8
1 E
33

8.1.E.33

C · J
S · EE
O · 3
N. 13

II 6 8

De Divinis, Apostolicis atque Eccleſiaſticis Traditionibus, deque authoritate ac ui earū ſacroſancta, adſertiones ceu libri decem.

In quibus fere uniuerſa Eccleſiæ antiquitas, circa dogmata Apoſtolica, orthodoxe elucidatur.

Authore R. P. Domino Martino Pereſio, Aiala, Guidixtenſiū Epiſcopo, ac S. Theologiæ Profeſſore.



Paulus 2. Theſſal. 2. & 3.

Denunciamus vobis fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundū Traditionem, quam acceperunt a nobis. Itaq; ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.

Coloniæ excudebat Iaſpar Gennepæus. Cum gratia & priuilegio Cæſ. Maieſtatis.

ANNO IESV CHRISTI M. D. XLIX.

SERENISSIMO HISPA-niarum principi Philippo, Marti-nus Pereſius Aiala, Guidixienſium Epiſcopus, ſalutem & Ieſu Chriſti pacem.



ETSI VIDEO PRINCEPS SERENISſime, laborem hunc meum, quem magnum diuq; ſuſcepi, de doctrina diuinarũ & apoſtolicarum Traditionum, nõ poſſe numeris omnibus abſolutum eſſe: Tum propter rei ipſius nouitatem, quam nemo (quantum ſuſpicor) perfecte hactenus tractauit: Tum etiam propter doctrinæ meæ tenuitatem, quam ipſe agnoſco: Optarim tamen, ut tantum utilitatis Eccleſiæ Dei afferret hic meus tractatus, quanta mihi conſtitit diligentia, uigilijs, perpetuo magnoq; labore. Neq; enim potuit non eſſe laborioſiſſimum, tot ſanctorum patrum & antiquiſſimorum ſcripta diligenter legiſſe, & ex

 ijs apta

ijs apta huic nouo ac raro argumento collegiſſe: Tum collecta ordine diſpoſuiſſe,
teſtimonijs ſacrarum litterarum confirmaſſe, & uarijs rationibus illuſtraſſe. Sed
plurimum tamen(ut dixi)me conſolaretur, ſi quem fructum in Eccleſia hic meus
labor conſequeretur. Conſequetur autem non paruum(ut ſpero)ſi homines prauo
ſenſu nō affecti, hæc ſtudioſe & Chriſtiano animo legerint, atq; rem ipſam de qua
agitur præcipue ſpectantes, conniuerint interim ad humile & inornatum ora
tionis genus quo ſum uſus, & ad alia quæ mea doctrina præſtare forte non po
tuit. Scio enim hoc opus maiori eruditione & ingenio egere, quã quibus ego
ſim præditus. Verum alijs tacentibus in hoc tam neceſſario argumento, uide-
batur mihi omnino loquendum, & Eccleſiæ neceſſitati pro mea mediocritate
inſeruiẽdum, hoc præſertim maligno tempore, quo diuinitus tradita negligun
tur, Traditiones apoſtolicæ impugnantur, eccleſiaſtici ritus & ceremoniæ irri-
dentur, deniq; uniuerſa Eccleſiæ Chriſti politia ab hæreticis turpiſſime puerſa
eſt. Hunc autem tractatum ad te mitto Princeps excellentiſſime, non ſolum
ut ſub ampliſſimo nomine autoritatis tuæ(quo protegi ac defendi poſſe, contra
morſus prauorum & moroſorum hominum ſatis confido)in publicum prode-
at, ſed ut qui has ſeptentrionales plagas, hæreſeos, & apoſtaſiæ labe miſere in-
fectas, nũc primo inuiſis, penes te habeas antidotum præſentiſſimum, quo poſ-
ſis fidem apoſtolicam, & ſanctorum patrum antiquam religionem, quam a Ca
tholicis & inuictiſſimis progenitoribus tuis, quaſi iure quodam hæreditario
poſſides, illibatam ſeruare, & huiuſmodi peſtilentibus doctrinis, cum ad pias au-
res tuas peruenerint, facile obuiare. Vale inclite Princeps, & generoſam hanc in-
dolem tuam, tanta nobis promittentem, cum Ieſu Chriſti fauore in melius ſem-
per euehe. Auguſtæ uindelicorum, ſexto calendas Septembris. Anno
ſalutis noſtræ M. D. XLVIII.

AD CHRISTI STVDIOSOS, ECCLESIASTICA PACE GAVDENTES, Autoris præfatio.

INTER PERNICIOSA ZIZANIA quæ in agro dominico, hac noſtra turbulẽta tempeſtate, ueterator ille, Chriſtiani nominis hoſtis implacabilis, nobis in caligine uitiorũ alte dormientibus, ꝑ ſuos pſeudoapoſtolos abunde diſſeminauit, fratres in Chriſto dilectiſſimi, unus hic in primis eſt fons & origo omniũ errorum; quod nihil ſit pro certo & indubitato in ĳs, quæ ad Chriſtianã attinẽt pietatẽ, a quoq̃ fideli recipiendũ, niſi atramẽto mortuo in ſacris codicibus expreſſum inueniatur. Hinc illa falſa nouatorũ noſtri tẽporis de Chriſti euãgelio gloriatio, qua ſe apud ſimplices & ignorãtes hoĩes uenditãt, uerosq; Euãgelĳ uindices ſe uocãt, occupantes primas cathedras inter ſuos, & ambitu diabolico affectantes ab omnibus hominibus nuncupari Rabbi: quo nomine ſibi ſolis falſo tribuunt Symbolum illud, Verbum Domini manet in æternũ. Quoniam nullam ſcilicet aliam doctrinam, quantumuis apoſtolicam, ac a tota ueteri Eccleſia receptam admittunt, & ſcripturæ intellectum pro ſuo arbitratu moderantur: quaſi Euangelium non teneant ĳ, qui cum eo Eccleſiaſtica dogmata a primordĳs fidei per Chriſtum Dominum, & ſanctos Apoſtolos, aliosq; Eccleſiæ uenerandos patres, & totius orbis magiſtros tradita atq; euulgata recipiunt: aut quaſi Euangelio non conſentiant, qui Eccleſiam ſanctam, Ieſu Chriſti ſponſam, iuxta eiuſdem ſponſi præſcriptum audiũt, & tanq̃ ueri filĳ ſub eius diſciplina ſe continent: aut deniq; quaſi Euangelium non intelligant ĳ, qui Eccleſiaſticæ & Apoſtolicæ Traditioni, & interpretationi ſanctorum uirorum inhærentes, non ingenio ſuo fidentes, Euangelium intelligunt: ſed potius ĳ, qui Lutheri, Vuiclephi, Huſſĳ, Pikardorum, Vualdenſium, & aliorum huius farinæ hominum nouas φαντασίας ſequuntur & admirantur. Huius tanti mali cauſa eſt, ꝙ ponẽtes in cœlum os ſuum, perfricta fronte affirmare audeant, Eccleſiam ſanctam, catholicam, & apoſtolicam per multas annorum ætates in erroribus horribilibus (ſic enim iſti ſeſquipedalibus uerbis tumentes deblaterant) & in abominanda idolomania uerſari, ac nunc tandem illam de ĳs (ſi dĳs placet) per ipſos admoneri. Sed res bene habet. Confidimus in domino Ieſu, cuius fidem profitemur, & Eccleſiam a ſpiritu eius directam ueneramur, quod non dimouebit nos a firma hac petra, in qua fundati ſumus, neq; ab Apoſtolicis dogmatibus, in quibus enutriti ſumus, non tantum Lutherus ille impius, & reliqui nugatores ſequaces eius, qui nihil habent in ſcriptis ſuis præter fumum & uana uerba; Sed ne angelus quidem, etiam ſi

de cœlo ſigna & prodigia faciat, ac cœlum terræ nunq̄ uiſis portentis miſceat. Eccleſiam enim nouimus, & certo ſcimus a Chriſto ſponſo ſuo, iuxta eius pollicitationem deſertam nunq̄ fuiſſe, imo ipſam (ut Paulus docet) columnam & firmamentū ueritatis in hoc mundo caduco & infirmo a Deo conſtitutā eſſe: tantum abeſt, ut errare illā aut labi poſſe credamus. Laborarunt in hoc argumento fallaciſſimo noui iſti pſeudoeuāgeliſtæ æditis in uulgus infinitis pene libris, nihil tamen aliud, q̄ præcedentium hæreticorū camarinam mouerunt. [illegible]: de ijs autem, in q̄bus nulla cōtrouerſia eſt, prolixe ſcribunt: in ijs uero in quibus urgentur, tergiuerſantur, & in uarias nugas diffugiunt, neq; in uno loco pedē ſiſtunt. Cumq; ab eis ui aliqua argumentorū extorquetur fides de aliquo dogmate ab uniuerſali Eccleſia recepto, & p teſtes omni exceptione maiores probato, nō recipimus (inquiunt) niſi quod in diuinis ſcripturis inuenimus. Quaſi uero ipſorū dogma corruptiſſimū, quod mordicus tenent, in aliquo libro Canonico reperiri poſſit. Similes ſane mihi uidētur in hac re iſti Sathanæ apoſtoli, ubi magis ac magis ingeniū illorū contemplor, refractarijs quibuſdā & male fidei debitoribus, q cū ab eis legitimi creditores debita per teſtes fide dignos plene probata exigunt, ſoluturos, imo debitores ſe eſſe negāt, niſi ſyngrapha cautionis cōuincantur: contra dei omipotentis uidelicet placitum, qui in ore duorum aut trium iuſſit ſtare omē uerbū. At iſti Traditiões hoīm (inquiunt) ſunt. &, Oīs homo mēdax. &, Verbū dñi duntaxat recipiendū eſt, & id quidē ſcriptū: quæ q̄dem uſq; ad nauſeam in ſuis ſcriptis ſæpe clamitant & iterāt. In eo enī cardine uoluitur tota Lutheranorū cæca & inſana doctrina. Hinc audent negare ſacroſanctam miſſam eſſe & debere dici ſacrificium: Ordines Eccleſiaſticos tollunt, atq; confundunt: Ieiunia ſacra, cælibatum, inuocationes ſanctorum, purgatorium, oratiões pro mortuis, & id genus multa alia explodere ac abolere tentauerunt: quæ a Chriſto & Apoſtolis eius accepit, & uſq; in hodiernū diē tenet Eccleſia. Quod ſi iſti dogma hoc tam peſtiferū perſuaſiſſent omibus, ut conati ſunt perſuadere, actum iam eſſet de Chriſtiana religione & politia Eccleſiaſtica. Itaq; qui adulterinum hoc fundamentū a primis eius lapidibus eruerit, uniuerſas paleas & nugas Proteſtantium ſup ædificatas funditus euertet, & Eccleſiæ cauſam atq; doctrinā ueracē eſſe mōſtrabit. Faciet aūt hoc, q firmis argumentis cōſtituet (quod iſti puerſi nugatores negāt) eſſe ſcilicet in Eccleſia Dei, præter Canonicā ſcripturā aliud genus doctrinæ, in ipſa tamē fundatū & obſeruatū, neceſſarium, & reuerentia perq̄ dignū: quod diuina ſcriptura & Apoſtolici patres Traditionē uocant. in quo argumento non minus graui q̄ neceſſario, noſtra in præſenti, Deo duce, ſudabit induſtria: nō q de me altiora promittam, q̄ quæ multi docti & ſapientes uiri, quos noſtrū hoc ſeculum habet, zelo dei & ſacra eruditione pollentes, præſtare poſſent, ſi uellent: Sed q nemo eorum ſit, quos mihi contigit uidere, qui in deciſione controuerſiarum huius tēporis, plene hoc argumentū fuerit perſequutus, caput alioqui & ſeminariū oīm fere controuerſiarum, quæ hodie agitantur: & in quo uno ſi Eccleſiæ aduerſarīj nobiſcum uellent

lent

lent conſentire,facile omnia quæ nūc uexant Eccleſiam diſſidia ſopirētur.Oſtē dam aūt id ſuccincto & didaſcalico modo,tam ſcripturæ teſtimonijs,quàm irrefra gabilium antiquiſſimorum patrū placitis,totiuſq; Eccleſiæ orientis & occidentis conſenſu:adiunctis etiā rationibus efficacibus eccleſiaſticā cauſam pro mea me diocritate defendens ac cōfirmans,præſenti & neceſſario argumento conabor, fauente Ieſu Chriſto,aliquo modo ſatisfacere.Neq; uero ignoro,me difficilli mam prouinciā ſumpſiſſe,tum ob difficultatem ſingularē rei,tū etiā ob quorū dam carnaliū & ſciolorum hoīm ingeniū.Sunt eīm quidā, qui nihil uel audire uel legere uelint,etiam ſi ad pietatē maxime pertineat,niſi quod ornatū,elegās,& expolitum ſit: imo plane faſtidiunt, quæcunq; aures ipſorum blandiori ſono nō pmulcent. Alios item inuenias labe apoſtaſiæ infectos,q uel ſolo titulo libri lecto,doctrinā eius pariter & authorē execrabūtur:Quoniam Eccleſiæ anti quitatē,& Apoſtolicarum Traditionū reuerendā maieſtatē ob oculos omniū po namus,in magnā ſcilicet ſuorum errorum confuſionem:a quibus,quando ad meli orem mentē eos reuocare nō datur(quod tamen ſummis uotis deſideramus) illud ſolū iure humanitatis poſtulatum uolumus,ne priuſquàm hæc noſtra perle gerint,& ſine ullo affectu mature perpenderint,damnent: Sed potius iudiciū ſuum interim ſuſpēdant. Certo enim ſcimus,quod cauſa cognita,aut non damna bunt:Aut ſi forte damnarint,non nos,ſed Apoſtolicā & ueterem Eccleſiā ſe damnare cognoſcent.Sunt poſtremo alij paruuli fluctuantes, uariæ doctrinæ uentis hinc inde agitati,in pernicioſum quendam ſtatum neutrum inclinan tes;q quales quales ſunt,Eccleſiæ filij ſunt:Quibus ſpero,per Dei adiutorium & ſanctæ Eccleſiæ preces,hoc noſtro labore me nōnihil profuturū: & quidē eos, qui tenaciter Eccleſiæ radicibus adhærent,non parum confirmaturum. Habe tis fratres dilectiſſimi,inſtituti noſtri rationem. Supereſt nunc,precemur pien tiſſimum Ieſum,ut laborem hunc noſtrum,& aliorum,qui pro Eccleſia pugnant, ad utilitatem animarum,& ſuam ipſius gloriam bene promoueat atque fortu net,utq; deſtructis pernicioſis erroribus,& ſublatis Eccleſiæ nephandis abuſi bus, ad res chriſtianas, ut cæpit, reſpiciat. Valete in domino fratres.Auguſtæ Vuindelicorum pridie nonas Maij.Anno M.D.XLVIII.

DIVISIO TRACTANDORVM.

Quadripartitus erit noſter proceſſus.Primum enim aduerſariorum doctrinam de Traditionibus afferemus.Tum cauſam noſtram nōnullis aſſertiōibus,& pro batiſſimis rationibus ſtatuemus.Tum Diuinas & Apoſtolicas traditiones,& ea rum uigorem corroborabimus. Et poſtremo aduerſariorum Eccleſiæ argu menta diſſoluemus.

SVMMA PRAECIPVORVM CAPITVM QVAE IN HOCCE TRActatu continentur.

Pars prima.

ADſertio Aduerſariorum de Traditionibus. Folio 1 a.
Traditiones an ſint. 2.a
Traditiõcs diuerſo modo accipi. 2.b
Traditio qdnam proprie ſit 2.b
Traditionũ partitio cuiuſmodi. 3.b

ADSERTIO PRIMA catholica.

Traditionis antiquitas 4.a

Adſertio ſecunda.

Scripturas ſacras non poſſe ſeipſas in omnibus interpretari 12.a

Adſertio tertia.

Scripturæ ſacræ ut omnibus non debeant eſſe communes 15.b

Adſertio quarta.

Spiritus priuatus ut non ſufficiat ad tollendas fidei controuerſias 26 a

Adſertio quinta.

Magiſterii Eccleſiæ publicũ quodnam ſit 33.b

Pars ſecunda.

Adſertio ſexta.

Traditionum ſanctarũ diuerſos eſſe fontes 45.a
Scripturæ diuinæ Traditiones cuiuſmodi 45.b
Sacramentorum Traditiones quales 46.b

CONSIDERATIO PRIma catholica.

Baptiſmi ritus cuiuſmodi 48 a

Conſideratio ſecunda.

Confirmationis ſacræ Traditio catholica quæ 49.a

Conſideratio tertia.

Confeſsionis auricularis, pœnitentiæ aliſq; ſatisfactionis Traditio qualis 51.a

Conſideratio quartà.

Ordinis ſacri Traditio & ritus cuiuſmodi 59.a

Conſideratio quinta.

De tremẽdo altaris ſacrificio 68.a
Corpus Chriſti ut maneat in conſecrata hoſtia etiam ſine uſu communionis, uere & realiter. 71.a
Vt non ſit neceſſarium, q; fideles communicẽt dũ Miſſa celebratur 74.a
Suffragia an proſint defunctis, traditio 79.b
Cõmunio an fiat ſub altera uel utraque ſpecie 80.b
Purgatorium an ſit, Traditio catholica quæ 91.b

Conſideratio ſexta.

Vnctionis extremæ Traditio catholica quæ 93.b

Conſideratio ſeptima.

De cultu, ueneratione & interceſsione ſanctorum 94.b
Spiritus ſanctorum ut agnoſcant uota uiuorum 98.a
Spiritus ſanctorũ ut pro uiuis orent etiam in particulari; & ut inuocari debeant 101.a
De ueneratione Reliquiarum, ſepulchrorum

chrorũ & Baſilicarũ ſctorũ 107.a
Imagines ſanctorum ut honorentur traditio 113.b
Imaginũ Antiqtas cuiuſmodi 115.a
Imagines quo honore ſint uenerandæ 118.b
Baptiſmus paruulorum quid habeat, traditionis 121.b
Exorciſmus quid habeat traditionis patrum 124.a
De unitate Epiſcopatus in Eccleſia 124.a

Pars tertia.

De ſecũdo fonte Traditionũ, Apoſtolico magiſterio 124.b
Canonum ſanctorum Apoſtolorum authoritas quanta 128.a
Ieiuniorum Quadrageſimæ & aliorum traditio 129.a
Ieiunij duplicis traditionis Conſideratio 130.a
Ieiunij Eccleſiaſtici neceſſitas & utilitas quæ 131.a
Ieiuniorum temporis & cibariorum præſcriptio cuiuſmodi 139.b
Ciborum delectus cuiuſmodi 142.a
De ſacri Cœlibatus traditione Cõſideratio 148.b

ARTICVLVS PRImus.

Cœlibatus ut non repugnet naturæ, nec rationi 148.b

Articulus ſecundus.

Cœlibatus ut nõ ſit cõtra uerbũ Dei, ſed diuinitus introductus 149.b

Articulus Tertius.

Cœlibatus ut ſit laudabilis, & Deo gratus 152.b

Articulus quartus.

Cõtinentia ſalutari ſancta Eccleſia ut neceſſario gaudeat 154.b

Articulus quintus.

Voto firmare cœlibatum, ut ſit laudabile & Apoſtolicum 156.a

Articulus ſextus.

Cœlibatus ut Epiſcopali & ſacerdotali ſtatui ſit conuenientiſſime annexus, eiſq; expedientiſſimus 164.b
Cœlibatus legem non licere relaxari in ſacerdotali ſtatu 171.b
De Traditiõibus Apoſtolicis, quarũ ſancti doctores meminerũt 173.b
De tertio fonte traditionũ, Epiſcopali authoritate 174.a
De Anabaptiſtarum ſenſu circa poteſtates publicas 175.a
Poteſtati Eccleſiaſticæ quidnam tribuant Lutherani 175.a
Libertas Euangelica ut non excludat obedientiam 176.a
Libertas Chriſtiana in quibus conſiſtat 176.b
Epiſcopi propria ut ſint ſuperintendere primum 181.a
Epiſcopi proprium ut ſit eſſe paſtorem 181.b
Epiſcopi ut ſint Rectores Eccleſiæ & præſidentes 181.b
Epiſcopi ut ſint medici animarum. 183.a
Epiſcopi ut ſint parentes ſpirituales ſuorum ſubditorum 183.b
Epiſcopi ut uices agant ipſius Chriſti in Eccleſiis 184.a
Epiſcoporũ autoritas qd poſſit 148.a
Epiſcopi ut poſſint excommunicare 185.a
Excõmunicatiõis cauſæ q̃ ſint 185.b
Epiſcopalis poteſtas ut extendat ſe ad condendas leges 187.b
Prælati Eccleſiarum ut ultra excom

municandi habeant & coactiuam potestatem 195.b

Obediendum uti ſit etiam malis prælatis 197.b

Epiſcoporum & prælatorum Eccleſiarum, ad quos pertineat electio & reiectio 199.b

Adſertio ſeptima catholica.

Traditiones omnes non eſſe æqualis ponderis 203.a

Autoritas tradentium ut conſideranda ſimul cum qualitate traditorum 203.b

Adſertio catholica octaua.

Traditiones quæ pietatem nec promouent, nec ad retinendum eccleſiaſticæ politiæ ordinem conducunt, quomodo retinendæ ſint 205.a

Adſertio nona catholica.

De particularibus Aſſertionibus, & ut earum 208.b

Adſertio catholica decima.

De uniuerſalibus & Apoſtolicis Traditionibus, & ut earum 210.b

Pars quarta.

Diluuntur Obiectiones Aduerſariorum 219.a

Quomodo intelligitur nil addendum eſſe ſcripturæ 219.b

Intellectus loci Pauli ad Galatas, Si quis uobis euangelizauerit præterquam quod accepiſtis &c. 221.a

Intellectus uerborum Chriſti, In uanum me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum 222.a

Quid ſenſerit Cyprianus de Traditionibus 224.a

Intellectus cuiuſdam dicti Chryſoſtomi, & quomodo non omnia continet ſcriptum Euangelium quæ ad fidem attinent 226.b

Corrolarium de ſymbolo Lutheranorum, Verbum domini manet in æternum 229.b

Digreſſio ad principes & prælatos, ſuper diſſimulatione pſeudo apoſtolorum 231.b

ERRATA.

Folio 3, facie 2. linea 21. pro Iudaicum, lege Iudaicarum
Folio 9. facie 2. linea 18, pro cul, lege aut
Folio 10. facie 2, linea 9. a ſe ſeorſum
Folio 18. facie 1, linea 6, diſtingueretur
Folio 19. facie 1. linea 15. importunis
Ibidem linea 5. a fine, in potentias
Folio 30. fac. 2, linea 12 ſeſerante
Ibidem linea 7, a fine, poſſem
Folio 36. fac. 2, linea 10 regitur
Folio 37. fac. 2 linea 14. Eccleſiam
Folio 45. fac. 2. linea 13. ratum
Folio 50 fac. 1. linea 12. vnitatem
Ibidem fac. 2, linea 18. collationem
Folio 56. fac. 2, lin. 6. promereremur
Folio 60. fac. 2. linea 10. proficeretur
Folio 64. fac. 1. linea 17. aptent
Folio 68. fac. 2, linea 7. anguſtiſſimis
Ibidem fac. 2. linea 5. a fine, cum
Folio 70. fac. 2. linea penultima, quod
Ibidem linea vltima poſt loco, adde illo
Folio 83. fac. 1. linea 18. tranſmutari
Folio 97. fac. 1. linea 10. poſt quod, adijce ei
Folio 97. facie 2. linea 2. facientes
Folio 115. facie 1. linea 11. excitentur
Ibidem facie 2. linea 28. Oſtienſi
Folio 120 facie 1, linea 4. adfabre
Folio 127. facie 1. linea 25. cacotheologum
Folio 134. facie 2. linea 35. collocat
Folio 141. facie 1, linea 6. a fine, præcederet
Folio 151. facie 1. linea 17. earum
Folio 154. facie 2. linea 1. herba
Folio 168. facie 2. linea 17. aſpirent
Folio 192. facie 1. linea 23. Corinthijs
Folio 192. facie 2. linea vltima, deliqueſit
Fol. 204. fac. 1. lin. 27. eodemq;. Fol. 206. fac. 1. li. 26. As quod. Ibidem linea 38. continebant
Folio 209. facie 2. linea 10. vlla
Folio 212. facie 1. linea 30. præſidentium.

ADuertendum inſuper ad locos ex aliquibus ſanctis patribus hic allegatos, in quibus nonnullæ obſcuræ & duriuſculæ inueniuntur locutiones, Tum propter eorum antiquitatem, tum etiam propter græciſmos, quos nō euitarunt tranſlatores. Omnia boni conſulas lector.

Docto-

Doctores ſancti & patres antiquiſſimi, qui in hoc Tractatu citantur, & quibus nouatores huius temporis contradicunt, nunc in uno dogmate, nunc in alio.

Ex ſchola Apoſtolorum.

Anno Domini.

DIVVS Clemens martyr, ſancti Petri diſcipulus
Sanctus Martialis martyr, circa annum Domini 73
D. Dionyſius Areopagita martyr, circa annum Domini 65
Hermas Pauli diſcipulus, Epiſcopus Philippoleos.
Ignatius martyr 100
Polycarpus martyr 100
Papias Hierapoleos Epiſcopus 160
Anacletus martyr 100
Euariſtus martyr 111
Alexander primus, martyr 115

Ex ſequenti ætate MARTYRVM.

Xiſtus primus, martyr 123
Theleſphorus martyr 136
Pius primus, martyr 149
Anicetus martyr 164
Eleuterius martyr 183
Victor martyr 199
Zepherinus martyr 210
Calixtus primus, martyr 228
Irenæus 175
Tertullianus 160
Clemens Alexandrinus 200
Origenes 261
Serapion Antiochenus 193
Vrbanus martyr 241
Pontianus martyr 241
Anterius martyr 246
Fabianus martyr 246
Cornelius martyr 260
Stephanus martyr 268
Cyprianus martyr 260
Xiſtus ſecundus, martyr 271
Dionyſius pontifex, martyr 272
Fœlix primus, pōtifex, martyr 283
Eutichianus pōtifex & martyr 283
Caius martyr 294
Marcellinus martyr 307
Marcellus martyr 313
Euſebius pontifex 319
Melchiades pontifex 319

Ex tertia ætate.

SANCTORVM CON

feſſo

feſſorũ a tẽpore Conſtãtini magni.

Syluester pontifex	315
D. Antonius	330
Euſebius Cæſarienſis	320
S. Athanaſius 334. Hilarius	371
Magnus Baſilius	380
Gregorius Nazianzenus	390
Gregorius Nyſenus	380
Euſebius Emyſenus	350
Venerabilis Ephrem	380
Theophilus Alexandrinus	390
Epiphanius	390
Iohan. Chryſoſtomus	411
Ambroſius 380. Hieronymus	422
Damaſus 370. Rufinus	400
Syritius 418. Auguſtinus	430
Primaſius	440
Innocentius primus	417
Prudentius 380. Zozimus	419
Cyrillus 432. Leo primus	441
Gregorius magnus	605
Genadius	460
Iohannes Damaſcenus	390
Hadrianus primus	774
Paſchalis 1104. Beda	732
Iſydorus 603. Fulgentius	500
Bernardus	1140
Innocentius ſecundus	1134
Haymo 834. Anſelmus	1080
Innocentius tertius	1200
Thomas Aquinas	1274
Gratianus	1120

Synodi ſanctæ

QVAE HIC ETIAM *citantur.*

Antiochena Synodus prima, ubi Canones Apoſtolorum ſunt æditi. Antiochena Synodus ſecunda. Fabiani Papæ, Synodus. Gangrenſis Synodus. Laodicenſis Synodus. Ancirana Synodus. Nicena prima Synodus. Syluestri Papæ Synodus. Sardicenſis Synodus. Aralatenſis prima, & ſecunda, & tertia Synodus. Illiberitana prima Synodus. Conſtantinopolitana prima Synodus. Antiochena tertia Synodus. Epheſiana Catholica Synodus. Mileuitana Synodus. Carthaginenſis ſecunda, & 3. & 4. & 5. Calcedonenſis generalis Synodus. Sexta Synodus. Septima Synodus. Toletana prima, 2. 3. 4. 8 11. Synodus. Bracharenſis Synodus. Hiſpalenſis Synodus. Gerundẽſis Synodus. Vallenſis Synodus. Triburienſis Synodus. Vuormatienſis Synodus. Vuercellenſis Synodus. Arauſicana Synodus. Lateranenſis generalis Synodus. Conſtantienſis Synodus. Florentina Synodus.

Typographus lectori.

NI tibi amore ſectæ cæcutiant & caligent oculi, Chriſtiane & candide lector, facile ex hac longa Patrum & Magiſtrorum Eccleſiæ ſerie, unanimi Traditione & conſenſu animaduertere poteris, quis ſit uerus & genuinus Eccleſiæ catholicæ ſpiritus, dux & rector, nempe pacis & unitatis. Ad hæc ſunt inter hos Eccleſiæ Doctores, qui nos annos mille quadringentos præceſſerunt, quorunq; doctrinam etiam hodie obſeruat Eccleſia Catholica. Porro ſectarij & hæretici, qui ab annis triginta irrepſerunt in ouile Chriſti, q̃ tum inter ſe diſſideant uarientq;, manifeſtius eſt, q̃ ut opus ſit digito demonſtrare. Quare uelim te huius libri utilitate frui, & prudentiorem effici, ad uitandum ſectariorum libros, & peſtilentem doctrinam. Vale, & ſtudium noſtrum in edendis Catholicorum libris, tuo fauore adiutes.

Aſſertio aduerſariorum de Tradi tionibus.

QVamuis nihil frequentius fere in ſcriptis eorum comperias, qui ſanctam Eccleſiam impugnarunt, ꝙ quod aduerſus Apoſtolicas Traditiones latrent, ijſq; detrahãt, ac vulgo ſuo eaſdem Papiſtica & commentitia hominum inſtituta vocantes, ludibrio exponant: ne tamen aliquibus uideamur antagoniſtas fictos noſtris argumẽtis impetere, afferemus fideliter in medium ipſa aduerſariorum expreſſa verba, per quæ omnes intelligant, male ſanam eorum mentem, quantum ad præſentem cauſæ ſtatum attinet, & efficaciter a nobis impugnari, & a ſancta Eccleſia merito dãnari.

Non eſt hoc nouum Proteſtantium inſtitutum, neq; ab illis primo inuentum (ne gloriam reportent de mendacio, quod magis renouarunt ꝙ inuenerunt) ſcilicet pro certo non habere, niſi quod in diuinis ſcripturis expreſſum inuenitur. Nam Eunomiani hæretici manifeſti, & in ſpiritum ſanctum olim blaſphemi, teſte diuo Baſilio ad Amphilochium, Baſilius conglorificationis ſpiritus ſancti cum patre & filio dogma non recipiebant, quia in ſcripturis minime contineri videbatur, nihil de traditionũ authoritate curantes. Aeriani etiam ieiuniorum & ſacrorum Ordinum inſtitutum reijciebant, quia videbatur ipſis quod ex ſcripturis non haberẽt teſtimonia, vt teſtis eſt Diuus Epiphanius, cũ aduerſus eos diſputat & traditione conuincit. Epipha.

Item B. Bernhardus Sermone lxv. de quibuſdam ſuæ tempeſtatis hæreticis (puto eſſe Petrobuſianos) loquens, eos ſolum admittere Euangelium affirmat, & ob id negari ab eis purgatorium, orationes pro defunctis, & multa alia quæ ſcripturis clare comprobari non poſſunt. Pygardi inſuper Valdenſes, inuocationem virginis intemeratæ & aliorũ ſanctorum, Idololatricam eſſe perperam aſſerebant, quia e ſcripturis autoritatem non habebant: omni prorſus Eccleſiaſtica traditiõe contempta. Bernhar.

Poſt quos Martinus Luther, peſtilentium & iam damnatorum errorum inſignis ſuſcitator, nouorumq; noſtri ſeculi dogmatiſtarum anteſignanus, nullam fere habet in ſcriptis ſuis periodum, in qua dicterijs & blaſphemijs de more ſuo non reſpergat doctrinam per traditionem in Eccleſia vigentem, nunc illam vocans Phariſaicam, nũc ſuperſtitioſam, & mere humanam adinuentionem, & cum ſacroſancto Dei verbo pu- Sententia M. Lutheri.

gnantem. Quæ res quo ſiat dilucidior, non erit inutile, ſi locos aliquot inſigniores in mediũ proferamus, quibus ille paſſim ſcripta ſua viſus eſt velut exornaſſe. Primo, in lib. illo blaſphemo de captiuitate Babylonica, venerabilia Confirmatiõis et Ordinis, & Vnctiõis extremæ Sacramẽta, a ratione & numero Sacramentorũ excludit, nimirũ quod nõ ſit (vt ille inquit) pro illis verbũ Dei, nec vllã gratiæ promiſſionẽ in ſe habeant.

Verũ de traditionibus expreſſius in Deuteronomij cõmentarijs cap. iiij. exponens illud Moyſi, *Vt ſeruetis præcepta Dei.* Hoc dicto (inqt) oſtendit hominum Traditiones pugnare in re ſacra cum verbis Dei, vt quæ obſtent & ſcandalo ſint. Et paulo poſt, tractans illud, *Oculi ueſtri uiderunt.* Hic dat (inquit) cauſam, quare debeant reijci mandata et inuẽta hominum, exemplo Moabitarum, qui colebant Deum, et non per verbum Dei. Vbi vides in vna re duo manifeſta mendacia, alterum, q̃d Traditiones humanas vocat iſtud caput perditiſſimum, quicquid in verbis ſcripturę nõ reperitur (hoc enim ipſe vocat verbum Dei): alterũ, quod eas verbis Dei pugnare affirmat, et id quidem ſine aliquo ſcripturæ teſtimonio. Et infra cum declarat illud, *Vocem uerborum eius audiſtis, & nullam ſimilitudinem uidiſtis.* Hic locus (ait) non ſolum damnat imagines externas Dei, ſed multo magis internas opiniones, et cogitationes de Deo ex nobis extra verbum Dei fictas. hic certe ſola vox verborum eius cõmendatur, et quicquid de Deo dicitur aut cogitatur, quod nõ ſit iſta vox, prorſus impiũ et damnatum eſt, nam ſuo verbo ſolo voluit ſuam voluntatẽ, ſua conſilia deformari. Hæc ibi.

Non te prætereat, ſed obiter conſidera lector optime, quanta dexteritate hic Proteſtantiũ Eſdras exponat ſacras literas, quã ſapienter et acute arcanam intelligentiã teneat, et ſua dogmata corrupta ex ea trahat. Bone Deus, ecqd obſecro cõmune habet, nullam vidiſſe ſimilitudinem Dei Iudæos cũ legem acciperent, cum hoc, q̃d nulla Traditio, nullaq; doctrina extra Dei verbũ acceptanda eſt? an non hoc eſt quęſo in media luce caligare, leuiſſima et prorſus inepta allegoria, tã arduum dogma, quod ne ipſa qdem litera ſonat velle ſtatuere? Ad hunc guſtũ reliquos fere errores ſuos oẽs ex ſacris oraculis deducit hic totius Eccleſiæ cenſor. Quis dicat hunc ſcripturę diuinæ vindicẽ et reparatorẽ, ac nõ potius deprauatorẽ eſſe? Vt mihi qdem videtur, hic eſt immaniſſima illa

Pſal. 79 fera, et aper ſingularis de ſylua, de quo conqueriẽ Dauid tanq; de vineę dñi vaſtatore & exterminatore. Sed videamus quid per Dei verbũ in præfatis verbis intelligat, quod dicit ſolum debere regnare. In cõmentarijs. n. Epiſt. ad Galatas, ipſe ſe explicat, exponens illum locum, *Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet uobis præterquam quod euangelizauimus, anathema ſit.* Neque alia (inquit) doctrina in Eccleſia tradi & audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta

ſcriptura.

ſcriptura. Doctores vel auditores alij cũ ſua doctrina, anathema ſunto. Vbi ſeipſum cũ alijs anathemate ferit, hic furioſus gladiator. Hactenus Lutheri ſenſus de Traditionibus.

In Auguſtana vero Confeſſione, conſenſu omnium Proteſtantium Inuictiſſimo Cæſari noſtro Carolo exhibita, Anno Domini milleſimo quingẽteſimo trigeſimo, etſi temperatius de Traditionibus agatur, indi gne tamen, ne dicam mendaciter hoc argumentũ etiam tractatum eſt: Primo coarctarunt Traditiones ad quędam hominum inſtituta, ex quibus (inquiunt) quędã ſunt contra Euangelium, ut cœlibatus traditio, et aliæ nõnullæ, et tunc ſeruãda regula eſt, q̃d oportet Deo obedire magis quã hominibus, aliæ (inqunt) loquunẽ de rebus ſuapte natura adiaphoris, de cibis et veſtitu, et ſimilibus, quas dicunt fieri impias, ſi proponantur cum opinione quod delent peccata, et quando habentur pro iuſtitia: cæterũ ſi pro ordine Eccleſiaſtico retinendo proponantur, tunc obſer uandæ ſunt. Hæc ibi. Quæ mitius fortaſſe dixerunt gratia ineundę con cordię. Philippus tamen longe aliter docet, in libello de Eccleſia, plane cũ magiſtro ſuo conſentiens, vbi manifeſtans cauſas quibus moti Proteſtantes diſceſſionẽ ab Eccleſia fecerunt, expreſſe reprehẽdit cultus Dei ſine ipſius verbo introductos, quod reputat tantũ flagitium, quantũ co lere deos alienos. Bucerus etiã in Deformatione Colonienſ. nil certũ eſſe affirmat præter ſcripturã, cui ſoli Eccleſia debet inniti, nec aliud debet populo proponi, et omne aliud tanquã incertũ, inutile, noxiũ, & pure hu manũ, etiã ſi ab eis tradatur qui ſpiritu Chriſti multa cognouerunt, reputari debet, quia caro et ſanguis (inquit) Dei ſapientiã nõ percipit, imo Deo ipſi repugnat. Hucuſq; ineptit ille. Deniq; in hoc ſunt generaliter omnes, tam Lutherani, quã Sacramentarij et Anabaptiſtæ, vt in eorum ſcriptis videre eſt, vbi tertio quoquo verbo hanc inculcant ſententiam: quorũ leuia fundamenta in fine huius noſtræ conſiderationis, vbi ipſa ſoluere deſtinauimus, afferemus. Contenti ſemel illa adduxiſſe, ne cram be putida ſæpius repetita pios lectores offendat, et ſtomachũ moueat. Nunc ad impugnationẽ huius peſtilentis dogmatis deo auſpice accingamur, poſitis primo poſtulatis, deinde aſſertis.

PRIMVM POSTVLATVM.

Traditiones eſſe.

IN confeſſo eſt apud omnes nemine refragante, doctrinę genus per Traditiones in Eccleſia deriuatũ, eſſe ſemper, et fuiſſe: maxime cũ diuina ſcriptura paſſim de ijs faciat mentionẽ, nunc has reprehendendo, vt Chriſtus redemptor noſter Marc. vij. et Mat. xv. nunc illas cõmendando, vt Apoſtolus ſecunda Theſſal. quæ ſane res, ipſa per Marc. 7 2. Theſſ. 2

ſe notior eſt, quã ut probatione egeat, præſertim quando in ea cum adverſarijs ipſis ſine ulla differentia conuenimus. Nam ſi non eſſent, abſurda nimis eſſet controuerſia, an eſſent neceſſario obſeruandæ, nec ne.

SECVNDVM POSTVLATVM.

Traditionis nomen non vno modo accipi in ſcripturis, neq; apud antiquos patres.

ACcipitur Tradere aliquanto largius pro doctrina quouis modo primitus tradita, ſiue oretenus, ſiue per ſcripturam. Apoſtolus namq; ij. Theſſal. ij. doctrinam per epiſtolam et per ſermonem acceptã generali nomine Traditiões vocat. Itẽ Act. vi. Lex ſcripta Moyſi, Traditio nuncupatur:

Acto. 6 Homo iſte (dicunt illi qui Stephanum protomartyrẽ accuſabãt) non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum & legem, audiuimus enim eũ dicentem quoniam Ieſus Nazarenus deſtruet locum iſtum, & mutabit

Cypria. Traditiones quas tradidit nobis Moyſes. Diuus Cyprianus frequẽter vocat Dñicam Traditionẽ quã in ſcripturis diuinis dñs cõmendauit.

Paulo tamen contractius ſumi ſolet, pro doctrina ore tenus primitus accepta, ſiue poſtea ſcripturis autenticis fuerit demandata, ſiue nõ. Apoſtolus i. Cor. xi. *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quo-*

1 Cor 11

1 Theſſ. 4 niam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur &c. Et i. Theſſal. iiij. Rogamus vos et obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodũ accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic etiam ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum &c. vbi nonnulla quæ prius tradiderat, ſcripto recenſet. Rurſus Matth. vltimo, Chriſtus redemptor noſter apoſtolis pręcipit, vt doceant gentes, ad quas mittebantur, obſeruare quæcunq; ipſe mandauit & tradidit illis, quorum multa poſtea ſcripturis Canonicis cõmendarunt nõnulli ex apoſtolis & diſcipulis domini. Deniq; totum euangeliũ dici poteſt hoc modo Traditio, eo q̊d per viuam Ieſu Chriſti & apoſtolorꝫ vocem, primitus in cordibus hominũ diſſeminatũ eſt, licet poſtea per ſacros Euangeliſtas in ſcripturas fuerit digeſtum.

Quid proprie Traditio.

PRoprie magis tamen ac noſtro huic propoſito pertinẽtius, ſumitur pro doctrina primorũ & maiorum in politia fidelium viua voce accepta, & continua ſucceſſione a patribus ad filios deriuata, & conſuetudine peruetuſta firmata, & in libris autenticis illius politiæ minime contenta: ac licet in alijs inſtrumentis vel libris fide dignis ſcripta fuerit, non ob id Traditionis nomen amittit, tandem ſic accipitur vt diſtinguatur a doctrina, quæ in libris Canonicis reperiẽ, Hoc modo accepit Chriſtus quando Marci vij. oppoſuit

friuo-

friuolas et ſuperſtitioſas Traditiones et legi Dei repugnãtes, mandatis Decalogi in ſcriptura contentis. Hoc modo accepit Paulus i. Timot. vi. cum illũ monet vt ſeruet mandatũ ſine macula et irreprĕhenſibile. et nõ multo poſt dicit: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocũ nouitates, et oppoſitiones falſi nominis ſcientię. Quod verbũ Tertullianus autor peruetuſtus libro de Prĕſcriptione hęreticorũ, de doctrina viua voce tradita intellexit. Nec circũſtantia verborũ Apoſtoli hũc locũ aliter intelligere ſinit, ſi oculate perſpexeris. Dicit igitur Tertullianus: Traditiões per viuam vocĕ doctrinæ Eccleſiaſticę appellabat Apoſtolus depoſitũ. Libro etiã de Corona militis, poſtquã idem autor multas Eccleſiaſticas Traditiones recenſuiſſet, vtpote de ritu Baptiſmi & Euchariſtiæ, antelucanis precibus, oblationibus pro defunctis, & Martyrum natalitijs dicit: Harum et aliarũ huius modi diſciplinarũ, ſi legĕ poſtules, ſcripturã nullam inuenies. Traditio tibi perpendetur auctrix, et cõſuetudo confirmatrix, et fides obſeruatrix. Et paulo ſuperius dixerat q̃d ad Traditiõis obtentum non eſt exigenda autoritas ſcripturæ. vbi ſatis clare patet, qualis erat in antiqua Eccleſia, huius nominis vſurpatio. Nec Cyprianus cum Nouatianos vrget, nec Irenæus cum Valentinianos, nec Baſilius cũ Eunomianos, nec Hieronymus cum Heluidiũ & Vigilantiũ, nec Auguſtinus cũ Donatiſtas impetit, aliter accipiunt huius nominis ſignificationĕ, prout ſequens proceſſus indicabit. Eſto igitur, vt fixa eſſe poſſit noſtra diſputatio, hęc Traditionis definitio.

Marci 7 · *1. Tim 6* · *1. Ti. 6* · *Tertull.* · *Definitio Traditionis.*

Traditio eſt arcana doctrina cõſuetudine fideliũ roborata, ex animo in animũ a maioribus in poſteros medio incurrĕte verbo transfuſa. Cuius definitionis oẽs fere partes ex D. Dionyſio apoſtolorum diſcipulo, libro de Eccleſiaſtica Hierarch. cap. i. deſumptæ ſunt, q partes has ſacro ſanctæ Traditioni tribuit. cuius verba ad aliud propoſitũ, in ſequẽtibus pertinentius adhuc allegabuntur. Nec pmittendi ſunt aduerſarij cõtra omnium ſanctorũ patrũ in hac ſignificatiõe conſenſum, vt ad humanas conſtitutiones, Traditiones ſanctas maligne coarctent, cũ generalior ſit vocabuli ſignificatio, ita vt diuinã etiã doctrinã minime deſpicabilem contineat: nomina enim iuxta receptam ſapientũ ſententiam accipienda ſunt ab ijs q recte de doctrinis volunt differere. alias non magis cũ illis congrediendũ quã cum ruſticis et illiteratis hominibus, vtpote q principia negant vel deſtruunt, in q̃bus diſputantes oportet cõuenire. Ex his igitur acceptionibus, quanq̃ ſecunda nonnunq̃ vtemur, tertia tamen erit nobis in proceſſu magis familiaris, eo q̃ de Traditionibus ſic acceptis eſt potiſſimum controuerſia.

TERTIVM POSTVLATVM.

Non quicq̃d generali Traditionis nomine commẽdatur, ſtatim applauſibile eſt & acceptabile.

EX diuinis ſcripturis duplex Traditionum genus omnibus
facile innoteſcit, non bonarum ſcilicet & bonarum. Magi-
Marci 7 ſter enim veritatis Chriſtus Ieſus Marci vij. friuolas et Dei
legi repugnantes Iudæorum Traditiones reprehendit. Irri-
tum (inquit) feciſtis præceptum Dei, vt Traditionem ve-
ſtram ſeruetis. Moyſes enim dixit: Honora patrem tuũ & matrem tuã
&c. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri Chorban, quod
eſt donum quodcũq; ex me tibi proderit, & vltra non dimittitis eum
quicq; facere patri ſuo aut matri, reſcindẽtes verbum Dei propter Tra-
ditionem veſtram. Et paulo ſuperius dixit idem Euangeliſta. Phariſæi
enim et Iudæi niſi crebro lauerint manus ſuas, non manducant, tenentes
Traditionem ſeniorum, & a foro niſi baptizentur non comedũt, et alia
Apoſtol. multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare. Diuus etiam Paulus Iudaicũ
Ceremoniarũ Traditionem reijcere iubet, vtpote quæ luce euangelica
coruſcante, vanæ infatuatæ erant, Chriſtoq; iam adglutinatis, nihil
vtilitatis pariebant, quinimo pernicioſæ erant ijs, qui poſt iuſtitiã Chri-
ſti manifeſtatam, ſpem ſalutis in illis collocabant. dicit enim: Si mortui
eſtis cum Chriſto ab elemẽtis huius mundi, quid adhuc tanquã viuen-
tes in mundo decernitis, ne tetigeris, neq; guſtaueris, neq; contrectaue-
ris, quæ ſunt, omnia in interitu ipſo vſu, ſecundum præcepta et doctri-
nas hominum, quæ ſunt, rationem quidam habentia in ſuperſtitione, &
ταπεινοφροσύνη, id eſt, animi abiectione. Vbi obſeruanda obiter eſt apoſtoli-
ca prudentia: licet enim hæc quæ cenſet non obſeruari iam debere, anti-
qua lege diuina cauta erant, tamen quia iam per Ieſu Chriſti iuſtitiam,
quæ præſens erat, et Dei voluntatem, nullum robur habebant, ſed ſola
hominum (qui videbantur Apoſtolici) autoritate, tanquam neceſſaria
cõmendabantur, hominum præcepta appellat, vtpote quæ iam deſie-
rant eſſe diuina. Vnde habes triplici nomine Traditiões nõ bonas eſſe:
aut quia legi Dei repugnant, & proximæ ſunt occaſiones peccandi, aut
quia Chriſti gloriæ derogant: aut quia friuolæ, oneroſæ, et nullius fru-
Irenæus gis ſunt. De primis loquitur Irenæus libro quarto, dicens: Traditiones
falſas corrũpentes legem miſcebant Iudæi. de quibus Eſaias: Caupones
Cypria. tui miſcentes vinum. Et Cyprianus contra Stephanum, Traditionem
Auguſt. contra veritatem non debere ſeruari affirmat. Auguſtinus libro tertio
contra Donatiſtas, primum hoc genus reſpuit. In epiſtola vero ad Ca-
ſulanum, Diuo Hieronymo in hoc aſſentiẽs, alias illas inutiles et onero-
ſas, vbi ſine ſcãdalo dabitur, iubet reſcindi. Alio vero genere bonarum
Apoſtol. Traditionum nihil eſt in Paulo frequentius. Epiſtola ſecunda ad Theſ-
ſalonicenſes, et prima Corinthiorum primo, et prima et ſecũda ad Thi-
motheum, quod retinere optime cenſet, Cyprianus, Irenæus, Tertullia-
nus, Auguſtinus ad inquiſitiones Ianuarij, et epiſtola ad Caſulanum,

quorũ

quorum ſententias hic non proferimus,quia in proceſſu dabitur oppor- tunior locus.In ſumma,Qui non vult Paulum nec ſecum, nec cū Chri- ſto pugnare,et alias Eccleſiæ ſacroſanctas columnas a ſe ipſis diſſenti- re,neceſſe eſt,vt hoc duplex membrum Traditionum admittat. Atque ita ſtat firmum in veritate noſtrum poſtulatum,quo vno eluduntur fa- cile omnes aduerſariorum in cuneum eccleſiaſticum libratæ machinæ, vſqueadeo eſt robuſta in hac parte horum Gigātum manus.

Habes ex hac doctrina Traditiones non bonas,partim eſſe per ſe ma las,partim gloriæ Dei ex occaſione derogātes , partim vero inutiles & oneroſas.Quibus omiſſis,ad legitimas Traditiones accedendum.

ASSERTIO PRIMA.

Doctrina fidei,et diuini cultus diſciplina,ſine ſcripto verbo per multa tempora fuit,et prius Traditione conſtitit fidelibus, quam ſcri- ptura:nec adueniente ſcriptura abrogata eſt omnino Tra- ditio, quin potius ſimul cum ipſa ſcriptura commen- data eſt,& per Traditionem autorita- tem obtinuit.

QVantum ad veterem ſtatum fidelium tam naturæ,quam le- gis attinet,ſatis hoc conſtat. Nam antequā Moyſes legem Iſraelitis traderet,peruetuſti illius ſeculi patres,ab Abel vſque ad ipſum Moyſem veri cultus Dei doctrinam habuerunt, nulla Canonica adhuc ſtante ſcriptura , ſed per iugē ſucceſ- Geneſ.4
ſionem a patribus in filios,a filijs in nepotes deriuatā. Sacrificabat enim Geneſ.4
Abel:Inuocabat nomen domini Enoch:Colebat Deum pater iuſtorum Geneſ.12
Seth: Placebat Deo,& holocauſta offerebat Noe:Erigebant altaria,et Geneſ.16 Geneſ.17
ſacrificia deuouebant Abrahā et Iſaac:Sacrificabat etiā,et vota Deo fa- Iob
ciebat Iahacob: Sanctificabat ſe, & filios ſuos Iob , & holocauſtis Deū placabat.De quibus omnibus,cum nulla ſcriptura conſtaret,ecquis di- cat Traditione paterna hos ſanctos patres ductos non fuiſſe, cum hæc et ſimilia faciebant? Quis rurſum eſt tam perfrictæ frontis homo, vt au- deat hos patres venerandos, Deo valde charos atque coniunctos , ſuper huiuſmodi inſtitutis damnare,quod ſine ſcripto verbo Dei huiuſmodi cultus excogitabant? Hos vero cultus ſine expreſſo verbo Dei fuiſſe introductos, palam docet Chryſoſtomus homilia xviij. in Gene. cum incidit in oblationem Caym: Conſidera (inquit) quomodo naturæ conditor ſcientiam animæ indidit: quis enim illum dic oro ad hanc cogitationem (oblationis videlicet) perduxiſſet? Nullus alius, quam quæ in animo conſcio ſcientia. Tulit (inquit) de fructibus terræ ſacri- ficium Domino. ſciebat enim, & clare ſciebat, quod congruum eſſet ex poſſeſſionibus aliquid Deo offerēdum. non quod eo dominus indi-

geat:ſed vt ſuam gratitudinem declaret,qui tali beneficio fruitur. Vide iſti hunc beatum affirmantẽ ex ſolo rationis dictamine, ſanctos Patres oblationem & cultum introduxiſſe, quæ non modo non damnat, ſed congrue facta eſſe dicit. Audi et alterum Patrem non minoris nominis, Chryſoſtomo coęuum,q vniuerſum illum cultum patrum,eorum qui

Epipha. ante legem vixerunt,mire complectitur,venerabilem ſcilicet Epiphanium,cum hæreſin Manichæorum inſectatur: Iuſtitia (inquit) tempore fuit Abel & Enoch,quibus non erat lex ſcripta, ſed naturalis tantum intelligentia & Traditio per ſucceſſionem ex patribus ad filios. Hæc ille. Quod ſi verbo ſcripto ductos contenderint aduerſarij ſanctos patres iſta feciſſe,oſtendant hoc ex ipſis ſcripturis, qui tam ſunt ſtomachi nauſeabundi,vt nihil niſi verbum ſcriptum admittant. Sin autem id nequeunt oſtendere, vt nullo pacto valent, deſinant per viſcera Ieſu Chriſti vſque adeo leui ratione adducti,interturbare Eccleſiæ Catholicæ ordinem,a Chriſto & apoſtolis inſtitutum, & ſuſcitare in Eccleſia tam turbulentas tragœdias,in magnum animarum detrimentũ. Non ergo ſufficit in ſcripturis aliqua non contineri ad hoc vt cõtinuo reijci debeant,& a cœtu fidelium prorſus explodi, alioqui ſancti illi Patriarchæ reijcere debuiſſent omnia illa qbus certo ſciebant Deum optimum placari,& venerari:ac ſubinde impij fuiſſent,qui cultus Dei ſine ſcripto verbo excogitarunt, et excogitatos inſtituerunt.

Putabit forte aliquis,q̃d adueniente ſcripta lege huiuſmodi doctrina per Traditionem,abrogata fuerit & prorſus ceſſauerit. ſed non ita eſt. Nam ipſa circumciſio,& Sabbathi ſanctificatio, et animaliũ mundorum & immundorum diſcretio,pariter et ſacrificandi ritus,et multa etiam alia,quæ Traditione tantum, plus quã per bis mille annos penes fideles vigebant, ſcripturæ poſtea demandata ſunt:nec ob id maiorem autoritatem acquiſierunt ſcripta, quã antea habebant verbotenus a Deo tradita. Adde q̃d primarij Hebræorum hoc doctrinæ genus vna cũ ipſa lege ſcripta, ſancto Moyſi a Domino oretenus traditum fuiſſe atteſtantˉ,quo reconditi ſcripturæ ſenſus aperiebantur. q̃d ipſe poſtmodũ ſucceſſori ſuo Ioſue cõmẽdauit:q rurſus ſeptuaginta illis ſenioribus, a qbus prophetæ acceperunt, a prophetis,primores Synagogæ receptũ

Rabbi Moyſes ſeruauerunt. Hunc Traditionis ordinẽ aſſignat Rabbi Moyſes ſuper Deutero. poſt multos alios antiq̃s Rabbinos:cuius diſciplinæ nonnulla veſtigia,quamq̃ corrupta, apparent in antiquorũ Talmudiſtarũ ſen-

Cabala tentijs,& maxime in libro eorũ qui dicitur Cabala:vbi licet multa fabuloſa contineantur et falſa dogmata,quę in odium Ieſu Chriſti redemptoris noſtri,noui recutitiq; Rabbini cõmenti ſunt, tamen ſunt alia ex Rabbinis quę Chriſtũ præceſſerunt deſumpta, quę Chriſtianã religionem confirmant, et ſcripturarum intelligentiæ inſeruiunt:q̃d ſatis ipſum

nomen קבלה indicat, receptionem enim, ſi recte interpreteris ſonat: a
verbo קבל q̃d eſt accipere, ſeu recipere, quia, ſ. in huiuſmodi libro recon-
ditus q̃dam legis veteris intellectus, per traditionem (vt ipſi dicunt) ac-
ceptus continebatur. Nec hoc genus doctrinæ in renouatiõe legis Mo- Eſdræ 4
ſaicæ, tẽpore Eſdræ p̃termittit Deus, cum illi dicit: Præpara tibi buxos
multas, & accipe tecũ Sariam, Dabriã, Selemiã, Echanũ, & Aſiel, q̃nq;
hos qui ſunt ad ſcribendũ velociter parati, & venias huc, & ego incendã
in corde tuo lucernã intellectus, quæ non extinguet̃ quouſq; finiantur
quæ incipias ſcribere: et tunc perfectis, quædam palam facies, quædam
ſapientibus abſconſe trades. Vides ſcripturæ declaratione occultã, ſeor-
ſum ſapientibus, non per publicã ſcripturam, ſed oretenus traditã. Pro-
pter q̃d D. Petrus libro primo Recognitionũ dixit, maiores appellaſſe Petrus 1
clauẽ verbi Dei, Traditionẽ Moyſi & ſeniorũ, quã Phariſei ex induſtria recog.
a populo abſcondebãt, et de qua Chriſtus ſcribis legis dicebat: Væ vo- Lucæ 11
bis legis peritis, quia tuliſtis clauẽ ſcientiæ, et ipſi non introiſtis, & eos q̃
introibant prohibuiſtis. Hæc Petrus. Ad hanc arcanam doctrinã a vete
ribus mutuatam & mutuandã, minores populi ſui remittebat idẽ ſan-
ctus Moyſes. Interroga (inquit) patrẽ tuũ & annunciabit tibi, maiores Deute. 32
tuos, & dicent tibi: Quãdo diuidebat altiſſimus gentes &c. Quod cõ-
ſtat ante inuulgatã ſcripturã cognitum primis patribus fuiſſe. Hac etiã
Traditione a ſenioribus ſuis ſe eſſe edoctum ſanctus Dauid gloriabat̃,
cum dicebat: Deus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annuncia- Pſal. 43
uerunt nobis. Hi ſunt termini, quos tranſgredi prohibuit Salomon, filiũ Prou. 22
ſuum erudiens, ne tranſgrediaris (ait) terminos antiquos, quos poſuerũt
patres tui. Hæ ſunt viæ antiquæ, per quas Hieremias populũ Dei ince- Hiere. 6
dere volebat, quãdo dicebat, ſtate ſuper vias et videte, et interrogate de
ſemitis antiq̃s, quæ ſit via bona, et ambulate in ea, & inuenietis refrige-
riũ animabus veſtris. Hæ ſunt deniq; propter quas dicebat Eccleſiaſti-
cus: Nõ te prętereat narratio ſeniorũ, ipſi enim didicerũt a patribus ſuis: Eccle. 8
quoniã ab ipſis diſces intellectũ, & in tẽpore neceſſitatis dare reſpõſio-
nem. Plura adhuc poſſem ad hoc propoſitum teſtimonia coaceruare, ſed
in gratiam vetuſtatis ſufficiat hæc adduxiſſe.

In nouo etiã Teſtamento minime obſcurũ eſt, quod aſſeruimus. Chri
ſtus enim redemptor noſter toto vitæ ſuæ tempore nihil ſcripſit quod
Canonicũ eſſe ſciamus, nec aliquis ipſo ſuperſtite ex eius ſchola diſcipu-
lus. Sed nec quando ipſe aſcenſurus ad Patrem Diſcipulos ſuos ad
prædicandum euangelium miſit, eis mandauit vt ſcriberent, ſed eun-
tes prædicate euangelium omni creaturæ. Hanc enim legem Spiri- Marci vl
tus non in materialibus aut lapideis tabulis, dum primo inciperet, con- timo.
ueniebat exarari, ſed intra cordium receſſus, digito Dei debebat
ſcribi, iuxta Hieremiæ uaticinium. Ideoque non tanti fecit Do- Hier. 31
minus.

minus Ieſus externam ſcripturam, quanti viuæ vocis energiam ſpiritus ſancti magiſterio eam concomitante, & intus corda hominum illuminante: id quod & Diuus Irenæus optime animaduertit lib. tertio aduerſus Valentinum: Non per alios (inquit) Diſcipulos euangelium cognouimus, quā per eos, per quos euangeliū venit ad nos. quod quidem tunc præconiarunt, poſtea vero per Dei voluntatem in ſcripturis tradiderūt.

Irenæus

Venerabilis etiam Euſebius lib. iiij. cap. xxxiiij. idem omnino in hęc verba teſtatur, loquens de euangelij pacis inuulgatione: Venerabiles (inquit) & Deo digni Apoſtoli Chriſti, cum eſſent in omnibus puritate vitę & animi virtutibus clari, non magni pendebant ſermonis ornatum, quippe in qbus anima erat diuinitus ornata virtutibus, ſimul & ſignorum gratia, quæ eis a Domino noſtro Ieſu Chriſto conceſſa fuerat, qua confidentes non in ſuaſorijs humanæ ſapientiæ verbis, ſummā prædicationis Dominicæ collocabāt, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtute perquā mirabilibus conſumatis et verborum ſuorū fide facta, vniuerſo orbi Regni cœlorum ſcientiā tradiderunt, paruipendētes plures libros ſcribere. Hæc Euſebius. Inſuper ſi tempus & ordinem ſcriptorū euangelicorū inſpicias, inuenies ſine ſcripto verbo euangelico, ſed ſola traditiōe Eccleſiam in ſuis primordijs floruiſſe, et in ea doctrinā fidei magnopere viguiſſe. Quid igitur tunc de Eccleſia erat ſine ſcripto verbo? an propterea credere non debebant fideles, quia verbum ſcriptum non videbant? Abſit a cordibus noſtris tam impia cogitatio. Age, tamen expendamus tēpus, per quod Eccleſia fuit ſine his (quas modo habet) euāgelicis ſcripturis. Primus ſcriptorum in lege gratiæ teſte Hiero. in prologo ſuper quatuor euangelia, & lib. de viris illuſtribus, cui etiā ſuffragantur Euſebius & Irenæus locis ſupra citatis, Matthęus apoſtolus fuit, qui Hebræis ſuis, Hebraicis etiam literis ſuum euangeliū conſcripſit: qua vero occaſiōe ductus, Euſebius loco iam citato explicat. Matthæus (inquit) primo Hebræis prædicauerat, verum cum pararet tranſitū ad gentes, patria lingua ſcripturā compoſuit: et ea quæ prædicauerat comprehendēs, dereliquit ijs ad memoriā, a quibus proficiſcebatur, vt gentibus prædicaret. Quando autē Matthæus id fecerit, idem Euſebius lib. v. cap. viij ex iij. Irenęi libro adducens teſtimoniū, declarat his verbis: Matthæus quidē Hebræis propria eorum lingua conſcriptum ædidit euangeliū, cum Petrus & Paulus in vrbe Roma euangelizarēt, atq; Eccleſiæ inibi fundamenta ſolidarent. Cum igitur ex Actis apoſtolorum Paulum ſub Neronis imperio Romam aduentaſſe conſtet, quamuis Petrus antea tempore Claudij Romam venerit, Hieronymo teſte, compertum eſt pluſquā viginti annos Eccleſiā ſine ſcripto euangelio fuiſſe: ne tunc quidem omnibus diuulgatum fuit, ſed ſoli genti Hebræorum, quod ipſum ſtatim Diuus Bartholomæus, vt teſtatur eius hiſtoria, indico

Euſebius

Hieron.

Euſebius

Irenęus

Hieron.

ſermone

ſermone tranſtulit, et Indis ad quos penetrauerat, tradidit: poſtea vero, vt Hieronym. lib. de viris illuſtribus ait, græcis literis, a neſcio quo fuit interpretatū, & Eccleſię plenarie inuulgatum. Hieron.

Marcus autem circa idem tempus, ſuum Euangelium ſcripſit, induƈtus ad hoc, vt Euſebio et Hieronymo in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum placet, Romanorū fidelium interceſſione. Inquit enim Euſebius, cum Petri prędicationis meminit: Sermo veritatis et lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuerſorum mentes placido illuſtrauit auditu: ita, vt quotidie audientibus illum, nulla vnquā ſacietas fieret, vnde neq; auditio eis ſolum ſuffecit, ſed Marcum diſcipulū eius omnibus precibus exorant, vti ea, quæ ille verbo prędicabat, ad perpetuam eorū cōmonitionem habendum, ſcripturę traderet, quo domi, foriſque in huiuſmodi meditationibus permanerent: nec prius ab obſecrando deſiſtunt, quā quod orauerant, impetrarent. Et hæc fuit cauſa ſcribendi, quod ſecundum Marcum dicitur euangelium. Ex quo plane datur intelligi, Marcum Euangeliſtam poſt aduentum Petri in vrbem, nec ſtatim poſtquā Romam appulit, ſcripſiſſe, ſed vt ipſemet Euſebius loco allegato refert, poſtquā per Petrum Simonis impoſtoris tenebræ ſimul cū earum autore reſtinƈtæ ſunt. Quando vero in Eccleſia publicatum fuerit, Irenæus libro tertio manifeſtat, dicens: Poſt Apoſtolorum exitum, Marcus diſcipulus & *interpres* Petri, euangelium, quod ille prædicauerat, digeſſit in librum, quod de digeſtione, ad plenam diuulgationē intelligendum eſt. Et in hac ſententia eſt Diuus Epiphanius Tomo ſecundo, cum traƈtat hæreſin Alogorum, & tempora Euangeliſtarum: poſt Matthæum (inquit) inſequutus eſt Marcus, iuſſus a ſanƈto Petro Tomæ euangelium ędere, qui vbi ſcripſiſſet, mittitur a ſanƈto Petro in Aegyptiorum regionem. Igitur ſuperſtite Petro (vt diximus) id ſcripſerat. Quare ſi reƈte ſupputauerimus, conſtat euangelium Marci poſt xxxvij. Annos a Chriſti aſcenſione publicatum, & receptum in omnibus Eccleſijs fuiſſe. Hieron. Euſebius Euangeliū ſecūdū Marcum, cur ſit Euſebius Irenæus Epipha. Euangeliū Marci quādo publicatū

Tertius ſcriptor recenſetur fere ab omnibus Lucas, cuius præfatus Euſebius lib. iij. cap. xiiij. poſt Marcum meminit in hæc verba: Lucas in initio euangelij ſui, cauſam cur ſcriberet, indicauit. Quoniam (inquit) multi alij temere p̄ſumpſerunt enarrare, quæ ſibi magis ad liquidū fuerant cōperta. Sed qua tempeſtate ſcripſerit, incertum eſt: nam licet in ij. Corinthiorum ante aduentum Pauli in vrbem, Diuo Lucæ ex euangelio laudem tribuerit idem Apoſtolus, non ſatis tamen compertum eſt, an ex euangelio prædicato, an literis iam demandato, laus illi in Eccleſia contigerit. Sed neq; Irenæus loco præfato cum Euangeliſtarum aliorum meminiſſet, mentionem facit. Verum eſt, quod ibi nonnihil de Luca refert, ſed tempus quando ſcripſerit, omnino ſilet. Adde quod Euſe- Euſebius 2. Cor. 8

Euſebius Euſebius, qui diligentiſſimus fuit antiquitatis inueſtigator Papiæ verba de ſcriptoribus euangelicis recenſens, tempus in quo Lucas ſuum euangelium ſcripſit, omittere videtur. Vnum illud certum eſt, & ex Lucæ proœmio conſtat, eundem Lucam ad ſcribendum euangeliū fuiſſe compulſum, ea ætate, qua multi iam ex aliorū relatu, Ieſu Chriſti hiſtoriam nitebantur contexere: quod minime in ipſis eccleſiæ primordijs Epipha. fuiſſe veriſimile videtur. Epiphanius tamen libro ſecundo cum in Alogorum hæreſin incidit, Lucam ſcripſiſſe nouē menſibus ante Matthæū Theoph. affirmat: quem forte inſequutus Theophilactus, ſuper Matthæū, aſſerit eum decimo quinto anno a Chriſto in cœlos ſublato, ſuum euangeliū ædidiſſe: quod teſtimonio aliquo antiquitatis non probant. ita vt libere liceat oppoſitū opinari, illum ſcilicet poſt Marcum & Matthæū ad ſcribendum animum appuliſſe: tum quia multa videtur ſupplere, quæ illi Grego. Nazian. omiſerunt, tum etiam quia ab Hieronymo, Euſebio, & Gregorio Nazianzeno, & a tota eccleſia, poſt Matthæum & Marcum, eius ſcriptura recenſetur. Dicit enim Gregorius ille magnus in Canone, quem ædidit de diuinis ſcripturis: Matthæus ſcripſit Hebræis, Marcus Italis, Lucas Græcis, Ioannes omnibus, præco maxime uocalis atque cœleſtis. Vbi tertium facit ſcriptorem Lucā: quod ſiue ſit, quia ſuum Euangelium Lucas poſt illos ſcripſerit, ſiue quia primitus ſcriptū tertio loco receptum ab Eccleſia fuerit, nihil refert, vtrumque enim pro noſtra aſſertione facit. hoc liquet & exploratum eſt, quindecim annis eccleſiā ſine ſcripto verbo fuiſſe, in quo omnes ſancti concordant.

Ioannem vero, quartum in ordine ſcriptorum euangelicorū fuiſſe, Euſebius nemo dubitauit. de quo idem Euſebius libro ſæpe iā citato huiuſmodi profert teſtimoniū: Tradunt Ioannem vſque ad vltimum pene vitæ ſuæ tempus, abſque vllius ſcripturæ indicijs euangeliū prædicaſſe, ſed cum horum euangeliorum etiam ad ipſum notitia perueniſſet, probaſſe quidem dicitur fidem & veritatem doctorum, deeſſe tamen vidit aliqua, et ea maxime, quæ primo prædicationis ſuæ tempore dominus geſſerat. Aliā cauſam addit Hieronymus in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſtico- Hieron. rum: Ioannes (inquit) Apoſtolus, quē Ieſus amauit plurimū, nouiſſimus omnium ſcripſit euangeliū, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cherinthum, alioſque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtū ante Mariā non fuiſſe. Hæc Hieronymus. Et licet Apocalypſim antea in Pathmos Inſulam relegatus, tēpore Do- Irenęus mitiani ſcripſerit, vt Irenęus et Euſebius autores ſunt, liquido tamen conſtat Ioannē Apoſtolum pluſquā per quadraginta annos, abſque ullis ſcripturis verbū Dei annunciaſſe, & eccleſias Aſianas rexiſſe. Quanto vero tempore poſt paſſionem, literis euangeliū mandauerit, Epiphanius Epipha. lib. 2 loco dudum citato teſtatur his verbis: Spiritus ſanctus cogit Ioannem

recu-

recuſantem euangelium annunciare ob metum & humilitatem in ſenecta ipſius, poſt nonaginta annos vitæ eius, poſt reuerſionē eius a Pathmos, quæ facta eſt ſub Nerua, poſtq́ multos annos in Aſia transegiſſet, euangelium expoſuit. hactenus ille. Vixit autem ipſe annis nonaginta nouē, obijtq́ anno ſexageſimo octauo, poſt domini paſſionem, cum Traianus iam ſumma rerum potiretur, vt Hieronymus autor eſt: quare ante ſexaginta annos a morte Chriſti, Ioannes euangelium nullo modo potuit ſcribere, iuxta Epiphaniū. Exactius tamen rationem tēporis tenens venerabilis Beda, vltimo cap. ſuper Ioannem, poſt lxv. annos a Chriſti aſcenſione ipſum ædidiſſe ſuum euangelium affirmat. Hieron. Beda

Iam vt ad Canonicas epiſtolas veniamus, ſi primus, qui epiſtolas ſcripſit (vt ipſe ordo Bibliorum habet) fuit Paulus apoſtolus, & inter eius epiſtolas (prout videtur ſentire Chryſoſtomus) fuit prrma Theſſalon. quam conſtat ex Athenis ſcriptā fuiſſe: Iam Paulus tradiderat euangelium Athenienſibus, antecp̄ ad illos ſcriberet. Et cum in illa epiſtola expreſſe faciat mentionem de præceptis & doctrina, ante epiſtolā traditis, certiſſimū eſt argumentū, prius illis oretenus doctrinā tradidiſſe, quam aliquid ad eos ſcriberet. Et ſiue ſit hæc prima, ſiue non, clare conſtat ex epiſtola ad Galatas capite 1. continuo poſt conuerſionē ſuam Paulum Arabiam penetraſſe, deinde in Syria & in Cilitia prædicaſſe, & per multum temporis nullam ſcripturam ædidiſſe. Adde quod quādo ipſe ſcripſit ad Romanos, iam Corinthijs prędicauerat: nam a Corintho miſſa eſt epiſtola illa. Quādo vero ſcripſit Corinthijs, iam prędicauerat Philippenſibus: vtracp̄ autē epiſtola ad Theſſalonicēſes miſſa fuit ex Athenis. Ad Galatas vero & Philippenſes, et Coloſſenſes, et Philemonem, et ſecundam ad Timotheum, ſcripſit ex vrbe Roma: primā ad Timotheum a Laodicia metropoli Phrygiæ Capatianæ: Epiſtolam ad Titū e Nicopoli Macedonię, vltimā vero (quæ eſt ad Hebręos) ex Italia conſtat miſſam fuiſſe: quare longo tēpore doctrina per Traditionem (quātum ad ea quæ ex Paulo habet Eccleſia) præceſſit eiuſdem Pauli ſcripturas. Chryſoſtomus in epiſt. ad Rom. Galat.

Petri vero apoſtoli epiſtolas conſtat etiam in vrbe Roma fuiſſe conſcriptas, vt ipſe de ſe teſtatur. In prima illarū apertum eſt teſtimonium, Cum dicit: Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone. vbi per Babylonē Rhomam intelligunt omnes ſancti, maxime Papias, Ioannis apoſtoli auditor, quem ſuper hoc citat Euſebius lib. 1. cap. xv. In ſecunda autem, Petrus clare manifeſtat quod poſt Pauli epiſtolas illam ſcripſerit, cum cauere iubeat fideles a Paulinarum epiſtolarū offendiculis. Conſtat autem ante Petri aduentum in vrbem, ipſum Petrum diu in Iudęa egiſſe, & per totam Syriam prædicaſſe, & Antiochiæ ſedem per ſeptem annos tenuiſſe. Inſuper antequā epiſtolas ſcriberet, Pontum, Galatiam, Petrus

Epipha. Bitiniam,ad quos priorem epiſtolam dirigit (vt Epiphanius autor eſt) inuiſiſſe. Et quicquid ſit de epiſtolis omnibus, cum particularibus perſonis, & Eccleſijs ſcriptę fuerint (excepta epiſtola ij. Petri, & prima Ioan. & Iudæ) & ſpecialia argumenta contineant, non videtur veriſimile, particularium argumentorum tractatus, ad ſpeciales eccleſias directos, in tota Eccleſia ſtatim fuiſſe diuulgatos, atque receptos: quæ tamen ſine illis credebant, ordinemque ab apoſtolis ex Traditione præfixum ſeruabant. Antequã enim ſcriptura integre omni Eccleſiæ traderetur, confeſſionem vocalem, ordinationem epiſcoporum & presbyterorum, ſacras vnctiones, ex D. Petri Traditione cõmendat Clemens in ordinatione ſua, quam ante mortem Ioannis et euangelium eius conſtat fuiſſe a Petro factam, ex legitima temporũ computatione. Sed quod nõ ceſſauerit Traditio, imo multa ſibi reſeruauerit quæ in ſcripturis non erant, et ſimul cum ipſa ſcriptura ab apoſtolis et eorum diſcipulis cõmendata fuerunt, & aliqua etiã nouiter introduxerit, Paulus apoſtolus palam facit, quando Timotheo pręter ea quę illi ſcribit, præcipit, vt depoſitum

1. Tim 1 / 2 Ti. 2 cuſtodiat. et in ij. cap. ſecundæ epiſtolæ iterum doctrinam a ſe per teſtes auditam illi cõmendat, dicens: Tu ergo fili mi confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu, et quæ audiſti a me, per multos teſtes, hæc cõmenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. vbi vides arcanã doctrinam ſolis Eccleſiæ præſidentibus & doctoribus obuiam, non in ſcripto, ſed oretenus traditam et ab eis cuſtoditam.

Dionyſ. Sed et Dionyſius Pauli apoſtoli diſcipulus, primo cap. lib. eccleſiaſticæ hierarchiæ, pręter ipſas ſcripturas, doctrinam per Traditionem ab apoſtolis mutuatam cõmemorat: quam ipſe etiam ſuo Timotheo magnopere cõmendat in fine capitis: Sanctum (inquit) eſt profecto admonere te earum (rationum ſcilicet pontificij muneris) meminiſſe, vt eminentiſſimam pontificalis muneris rationem nemini tradas, præterquam æqualibus tuis, Reuerendiſſimis pręſulibus, quibus ſacra tractare inſtitutum eſt, ipſoſque illos pontificio iure monebis, mundi, vt munda contingant, ſoliſque cõmunicent diuina diuinis, perfecta perficientibus, ſanctiſque ſanctiſſima. Ego enim tibi vt reliquorum ſacrorũ, ita huius quoque diuini muneris cõſortium tradidi. Petrus etiam in ordinatiõe Clementis, vnam ex cauſis potiſſimis quã pro eius electione ad pontificatũ aſſignat, eſt ſcientia eccleſiaſticarum Traditionum. dicit enim præfato Clementi onus pontificium recuſanti, quod ſi eſſet alius melior, ſi quis mihi alius adiutor tam ſedulus aſtitiſſet, ſi qs tam plene doctrinę meę rationem cœpiſſet, & eccleſiaſticas diſpoſitiones tam plene didiciſſet, habens alium talem, non te cogerem, opus bonum ſuſcipere nolentem. Vbi pręter ſacrę doctrinę eruditionem, eum cõmendat, a ſcientia apoſtolicarum Traditionum, tanquam a te multum neceſſaria ad regendum

dum populum ſanctum Dei. Epiphanius inſuper librum Traditio- Epipha.
num contra Melchiſedechianos allegat ſuper parētibus Melchiſedech,
& in tribus vel quatuor alijs locis. Diuus Ignatius librum Traditionū Ignatius
a ſe confectum memorat teſte Euſebio lib. tertio. Item Dionyſius bis Dionyſ.
ſacerdotalium Traditionum meminit libro de cœleſti hierarchia cap. quarto, & capite quinto eiuſdem, volumina Traditionum in diſtributione hierarchiarum citat. Non eſt ergo quod dubitemus in re quam Apoſtolorum diſcipuli & viri ſanctiſſimi teſtificantur, ſcilicet ante euangelium ſcriptum & ſimul cum eo, Traditiones ſanctas non ſolum fuiſſe, ſed et vigorem habuiſſe: de quo latior erit nobis in ſequentibus ſermo.

Accedit ad hæc, quod huius ſcripturæ quam habemus autoritas, non per aliud Eccleſiæ innotuit quam per Traditionem: nam vnde diſcreuit Eccleſia hæc quatuor euangelia quæ modo habet & merito reiiceretur, ab alijs euangelijs, quæ ſub nomine Petri, Andreæ, vel Thomę, aut Nicodemi, vel cuiuſuis alterius apoſtoli commendabantur, niſi Traditione duce per ſpiritus ſancti magiſterium in ipſis Eccleſiæ primoribus ſeruata? Non enim erat contentum in hac ſcriptura quod omnia quę ibi ſcripta erant, diuinitus erant reuelata, neque ſi eſſet ob id ſtatim, quando primitus recipiebatur, fides indubitata ei adhibenda erat: cum quęlibet ſcriptura humanitus adinuenta, huiuſmodi titulis potuiſſet condecorari. Creditum ergo eſt, contenta in illa ſcriptura, a Deo eſſe reuelata, quia Traditioni Ieſu Chriſti & apoſtolorum, omnino conformabant, cuius rei iudicium ad apoſtolos & viros apoſtolicos Eccleſię proceres ſpectabat. Non qdem teſtificando ſolum, ſed tanq̄ iudices ſententiam ferendo, vtpote q plene ſpirituales erant, et Chriſtum et doctrinā eius ad plenum retinebāt, et per ſpiritum ſanctum quem habebant, & eius Traditionem, de omnibus ſpiritualibus iudicabāt: confirmante ſermonem ſuum eodem ſpiritu, ſignis & nunq̄ viſis in naturā mirabilibus. Nec iſtud eſt (vt multi autumant) dicere, diuina, autoritatem habere ab humanis. aliud enim eſt quod veritas huius ſcripturæ, quæ diuina eſt, pendeat a iudicio Eccleſiæ, aliud, q̄d hec ſcriptura habeatur pro diuina, de iudicio Eccleſię deſcenderit: q primum aſſeruiſſet, non longe eſſet a blaſphemia: ſecundum autem, vero verius mihi videtur. Veritas enim enunciatorum ſimpliciter pendet ab obiectis de quibus enunciant: ab eo enim quod res eſt vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa: ſed quod habeatur pro vera & indubitata ijs qui de contentis in ea nihil viderunt, ex autoritate & teſtimonio primorum fide dignorum quodam modo pendet. Prius tamē quam hoc probemus obiter aduerte, quod aliter fuit nota apoſtolis, & ijs q Ieſum vel apoſtolos audierunt, autoritas horum euangeliorum, quam nobis. Oblata

Ariſtot. 1. peri.

enim ſcriptura Lucæ vel Marci, verbi gratia, quos credo Chriſtũ nunquam audiſſe, Petro vel Paulo eorum magiſtris, vel alijs Eccleſiæ primoribus, factoq; hoc ſyllogiſmo: Quicquid a Deo reuelatum eſt, indubitato verum eſt. hoc euangelium eſt de ijs quæ reuelata per Deum ſunt: ergo eſt indubitato verum, ac ſubinde acceptandũ. Prima enunciatio, & ſyllogiſmi connexio, omnibus æqualiter patet, et qbus in hac Eccleſia ſumus, & qbus in illa, in lumine naturali. Secunda tamen propoſitio apoſtolis non ob aliud nota erat ꝙ ga magiſterio ſpiritus ſancti cognoſcebant illam doctrinam ſpiritualem eſſe, & cũ ſua Traditiõe plane conuenire, q̊d euidenter verũ eſſe ſciebant: ideoq; ſententiã tulerũt, vt in Eccleſia reciperetur, & pro diuina in Eccleſia haberetur. Traditio vero eorũ, per lumen fidei a Deo & filio eius, erat ijs nota: Ipſum vero lumen ex ſeipſo notum erat. Non q̊d aſſenſu euidentię ei lumini apoſtoli acqeſcerent, ſed q̊d non per aliud, ꝙ per ipſum lumen Dei agnoſcerent illud verum eſſe, & vere ſibi reuelatum, nec in eo decipi. Sicut enim ſenſus viſus non eget alio lumine ad videndũ lumen, per q̊d videt, ſed per ipſummet lumen, videt ipſum et alia, ita etiam contingit in cognitione ſupernaturali per lumen diuinum, alias abeundum eſſet infinitum in huiuſmodi fidei aſſenſibus. Quocirca datur aliqua fides, quæ ex terminorum cognitione ſolum pendet, ſicut fatentur Dialectici, ex ſimplici terminorum apprehenſione aliquam opinionem dependere. Nobis vero, qui Chriſtum et apoſtolos non vidimus, nec vlla miracula in huius fidei confirmationem conſpeximus, aliter nota eſt ſecunda propoſitio illius ſyllogiſmi, quia ſcilicet Eccleſia illa ſanctorum poſteritati ſuæ, tanquam Traditioni conformem declararunt, & vt talem debere acceptari, alijs ſcripturis reiectis, per ſpiritum ſanctum iudicarũt. Quod fide etiam credimus, non enim recurrendũ eſt in hoc ad ipſam ſcripturã, ne circularem probationẽ faciamus: ſed ſi velimus illam primam propoſitionem q̊dam modo reſoluere, aſſenſus eius partim pendet tanquã ab obiecto motiuo, ex ijs, quæ vidimus in Eccleſia, et legimus in omnibus ſcriptoribus antiqs eccleſiaſticis, nemine contra dicente, illam ſcilicet congregationem diſcipulorũ Domini, & apoſtolicorum virorũ fuiſſe ſacroſanctam, & Deo valde acceptam, quæ hanc ſcripturam recepit, tanꝙ ſuæ Traditioni conformem, quam rurſus Traditionem miraculorum claritate eximiaq; & pluſquam humana, qua pollebant virtute, magiſterio ſpiritus in auditorum cordibus operante, firmiter comprobarunt: partim vero quod hæc, quæ ſic legimus & audiuimus, quæ eccleſiaſtici ſcriptores nobis proponunt, per ipſum lumen fidei abſque vlla formidine agnoſcimus, et certo credimus vera eſſe. Dices, ergo fidem ſcripturarum reſoluis in mera humana teſtimonia? Abſit, ſed in cognitionem ex lumine fidei diuinitus infuſo ſubortam; terminatam

Qualiter nobis nota autoritas ſcripturę

tamen

tamen ad ea, quæ humanitus ſcripta ſunt, vel relata tanquã ad obiecta: quæ licet in ſe mere humana ſint teſtimonia, mihi tamen, qui lumen fidei habeo, intus animam illuſtrans, ea quæ ab aliis, q iſto lumine carẽt, veluti humana teſtificatione dicta accipiuntur, indubitato vera ſunt, ſicuti ea quæ ſimpliciter reuelata ſunt. Nec in hoc extendimus lumen fidei, prorſus ad non reuelata, quia eo ipſo q̃d per lumen fidei certitudo talium innoteſcit mihi, firmiter abſq; vlla formidine aſſentior. Et licet quantum ad ſubſtantiam eorum, quæ enunciant non ſint reuelata, tamen quantum ad apprehenſionem certitudinis ſunt mihi reuelata, nec opus eſt ad hoc alio lumine, ſed ipſum lumen fidei certitudinem ſui & obiectorum, in quæ me facit tẽdere, quæ ad fidem ad generandam conducunt, ſecum defert: ſicut lumen ſenſibile ſui & obiectorum in quę viſus pertingit, parit certitudinem. Hoc modo facile declinatur circulus, quo nonnulli a ſcriptura ad autoritatem Eccleſiæ prouocant, et e diuerſo. Euitantur etiam prophanæ aliæ imaginationes, et importunæ diſtinctiones, a multis vt ſua placita defendant adinuentæ, quæ magis intellectum obtundunt, quam luſtrant, diuinam fidei motionem anguſtis peripateticæ ſectæ repagulis concludentes: quorum confuſionem nõ eſt, quod in præſentia palam faciamus, eo quod in noſtris ſcholaſticis exercitamentis abunde credo præſtitimus. Nunc eundum quo nos vocat res. Quod vero nonnulli dicunt, Eccleſiam tãtum teſtem fuiſſe autoritatis ſcripturarum, et non potius per ipſius declaratorium iudicium, Traditione ſpiritus ſancti, ſcripturas iſtas autoritatem in Eccleſia obtinuiſſe, vix poſſunt (iudicio meo) declinare circulum, aut ſpõte ſua rediguntſe in periculoſas anguſtias. Eſto igitur huic, propoſitioni, hæc ſcriptura reuelata eſt a Deo, quæ minor erat confecti iam ſyllogiſmi, aſſentiamur ex teſtimonio primæ Eccleſię teſtificante, et non per iudiciũ autoritatis approbante. Quæro vel illud teſtimonium eſt mere humanum, vel a ſpiritu ſancto per vocem Eccleſiæ mutuatum: ſi humanum eſt, iam aſſenſus concluſionis, quod hæc ſcriptura eſt indubitato vera, non eſt fidei, ſed opinionis, aut moralis cuiuſdam coniecturę. quod nemo fidelis dicet. Sin autem teſtimonium eſt diuinum, per ſpiritum ſanctum acceptum. quid periculi inueniunt iſti, quod Eccleſia magiſterio publico ſpiritus ſancti quo pollet, authoritative (vt ita loquar) diſcernat has ſcripturas, ab illis: has (inquam) quas habemus approbando, & alias reiiciendo? An forte q̃d illa, quæ hęc ſcriptura continet per ſpiritum ſanctum ſunt ſcriptoribus ſanctis reuelata, ob idq; non congruere putant, quod diuinitus reuelata approbentur vllo modo per homines? Iſta obiectio nullius eſt momenti. Primo, quia iudicium, et ſententia Eccleſię ſuper acceptatione harum ſcripturarum, non terminatur ad veritatem ſcripturæ, vt diximus, ita vt veritas eius ab hac probatione

dependeat: ſed vt habeatur pro tali a fidelibus, & vt diuinitus tradita, & vt talia continens ab omnibus reuereatur. Secũdo, quia ſi multis antiquis autoribus credimus, non eſt neceſſarium concedere omnes euangeliſtas per nouam reuelationem ſpiritus ſancti conſcripſiſſe euangelia quæ ſcripſerunt: prçter eam dico, quç primitus apoſtolis per Chriſtum facta eſt, & alijs per ipſos. Licet credendum ſit, non defuiſſe illis ſpiritũ ſanctum, cuius impulſu munus ſcribendi ſuſceperunt, & cuius adiutorio ea, quç a Chriſto vel apoſtolis audierant, memorię firmiter retinuerunt, & per eundem ſpiritum ſanctum, fideliter ſcriptis mandauerunt.

Lucas Dicit enim Lucas in prohœmio ſui euangelij, teſtimonium de ſua ſcriptura noſtræ aſſertioni, & huic propoſito valde pertinens: Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſint rerum, ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, et miniſtri fuerũt ſermonis: Viſum eſt et mihi aſſecuto omnia a principio, diligenter & ordine tibi ſcribere optime Theophile. Ex quo patet Traditione eorum qui Chriſtum viderant, vel ab eo immediate acceperant, vti Paulus, Lucam euangeliũ accepiſſe, nec Chriſti diſcipulum ipſum Lucam fuiſſe, cui per reuelationẽ ſibi immediate factã ſcripſiſſe. Quorſum enim ponenda ſunt ſine neceſſitate miracula, maxime vbi ipſe ſacer

Tertull. Lucas autor rẽ ipſam aperit? Quod Tertullianus libro quarto aduerſus Marcionem inſinuat de euangelio Lucç (quod corruperant Marcionitæ) dicens, non ſufficere poſſe ex ſe ad autoritatem obtinendam, ſi patrocinio

Euſebius deſtitueretur anteceſſorum. Subſcribit huic noſtrç ſententiæ, Euſebius libro tertio cap. xxiiij. de ſcriptura Lucç, & cauſa, quare animũ ad ſcribendum appulerit, faciens mentionem: Lucas (inquit) volens abſtinere nos a cæterorum narrationibus, fidem facit per ſe conſcriptç veritatis, certus quod eam, vel Paulo exponente, vel alijs apoſtolis, qui ab initio ipſi viderãt, ac ſibi tradiderũt, conſecutus ſit. Hucuſq; Euſebius. Quod non aſſererent iſti graues et peruetuſti viri, ſi reuelatum fuiſſe Lucç im-

Irenęus. Papias mediate ſuum euangeliũ antiqua ſenſiſſet Eccleſia. De Marci autem euangelio Irençus recenſens verba Papiæ Hierapolitæ, per Traditionẽ ab apoſtolis accepiſſe Marcum euangeliũ quod ſcripſit: Marcus (inquit) interpres Petri fuit, et conſcripſit quæcunq; meminerat ab eo dicta: non tamen per ordinem cuncta digeſſit, ſed nouiſſime Petro adhæſit, ad vſum & miniſteriũ prædicandi, non ad Domini conſcribendos ſermones. Nihil itaq; peccauit in eo quod ita ſcripſit, quaſi quæ paſſim audita recordari videatur, & hoc ſolum ſatis egit, ne aut qd ex auditis omitteret, aut falſum ſcriberet. Nil clarius dici potuit, quod nos prætendimus. Eſto tamen rei veritas, quod dictante illis immediate ſpiritũ ſancto ſubſtantiam eorum quæ ſcribebant, ſuũm euangeliũm literis mandarent, quod non recuſo, nunquid ſpiritus iſtę non fuit priuatis

homi-

hominibus cõmunicatus? nec per miracula in æditione ſuarũ ſcripturarum Eccleſiæ manifeſtatus. Quis hoc negabit? Si ergo res ita ſe habet, quæ nam obſecro irrogatur diuino ſpiritui iniuria, ſi quæ priuatim ipſe reuelat membris Eccleſiæ, per ſe ipſum qui toti Eccleſiæ, & abundantius & communius, & manifeſtius præſidet, manifeſta & accepta faciat? Certe ſi non fallor nihil diuinæ reuelationi derogatur, imo ſi verum oculate perpendere volumus, rationi valde conſentaneum eſt, vt idem ſpiritus in prima illa Eccleſia tam communis et manifeſtus, ſe ipſum in priuatis Eccleſiæ membris, et a ſeorſum et priuate reuelata, per eandem Eccleſiam prodat, & palam faciat, quæq́ ab ipſo in ſcripturis reuelata ſunt, manifeſto ſua eſſe declaret: id quod in demõſtrationibus ſcientificis (prout Dialectici tradunt) etiam contingit. Nam diffinitum & diffinitio eandem rem omnino important. Attamen quia definitio clarius & per magis communia, ſubſtantiam rei, de qua paſſio propria debet commonſtrari, diſtinguit atq́ ſignificat, optime per eam ſumptã pro medio in Syllogiſmo demonſtratiuo, demonſtratur paſſio de diffinito: Dicit enim Ariſtoteles prohœmio Phiſicorum: diffinitum quoddã confuſum eſt, diffinitio vero in partes ſingulas diuidit. hanc ſolam ponens differẽtiam inter diffinitum et definitionem, quod diffinitum confuſius, diffinitio clarius eandem rem important. Ariſtot.

Rurſus ſi capita illa Eccleſiæ per ſpiritum ſanctum teſtimonia reddebant, de hac ſcriptura, erat ne hoc per nouam reuelationem, quæ illos certos reddebat ſcripturas haſce a Deo reuelatas, an per Traditionem ſuæ doctrinæ hoc agnouerunt? Si primum dixerint, reuelationes ſine cauſa, multiplicant, nam iterum de illa reuelatione poſſet eſſe quæſtio, an ſit per aliam nota, & ſic erit in infinitum abitio: vel in circulationem incidendum. Quare niſi ad Traditionem recurrãt, et ad conſonantiam, cum his quæ ipſi tradiderunt, quod noſtra aſſertio pretendit, non videtur quod congrue dici poſſit. Age tamẽ vtrumq́ et Traditione probatas ſcripturas, et ab adulterinis alijs diſcretas per iudicium primorũ Eccleſiæ, non tantum teſtificantium & proponentium, ſed veluti approbantium, antiquorum patrũ teſtimonijs oculatis, quibus refragari minime licet, demonſtremus. Primo Euſebius loco citato vbi de euangelio Marci mentionem fecit, ipſum dicit continuo vt ſcriptum fuit, Petro allatum fuiſſe a fidelibus, vt Lidio quaſi lapide examinaretur & probaretur. Hęc ſunt eius verba: Petrus autem vt per ſpiritum ſanctum religioſo ſe ſpoliatum reperit furto, delectatus eſt, fidem eorũ per hæc deuotionemq́ conſiderans, factumq́ confirmauit, et in perpetuo legendã ſcripturã Eccleſijs tradidit. Hæc ſunt Euſebij verba, qui non ex ſe iſtud comminiſci oſtendit, ſed allegat Papiam Hierarpoliten Ioannis apoſtoli diſcipulum, & Clementem ſexto diſputationum libro, aurores nempe Euſebius

irrefragabiles viros apoſtolicos, & quibus fidem non facere temerariū & ſacrilegum eſt: vbi manifeſto apparet, non teſtimonio duntaxat primorum capitum, ſed eorum autoritate confirmatā ſcripturam Marci, atq; in Eccleſia fuiſſe receptam. Idem etiam Euſebius libro tertio reddens cauſam quare alij codices qui nomine aliorum apoſtolorum a quibuſdam circumferebantur, recepti in Eccleſia non ſunt, ait, poſtquam Canonicos ſcriptores nouæ legis recenſuit: De alijs ſciendum, qui ſub nomine apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, velut Petri, Thomæ, Matthiæ, & cæterorum apoſtolorum, quæ appellantur euangelia, Andreæ & Ioannis actus, quia nunquam prorſus in ſcripturis veterum illorum duntaxat, qui apoſtolis ſucceſſerunt, aliqua mentio eorum, aut cōmemoratio habetur, in quibus ipſe ſtylus, multum ab ipſa eccleſiaſtica conſuetudine deprehenditur diuerſus, ſenſus quoq; ipſe, et omnia quæ ijs inſerunt longe ab apoſtolica diſſonat fide, ex hoc figmenta eſſe prauitatis hæreticæ comprobantur. Vnde ne inter illa quidem de quibus dubitari diximus, collocanda ſunt: vbi etiam euangelium quod ſecundum Hebræos dicebatur, nullius autoritatis eſſe affirmat, qa ab Eccleſia ei contradicitur. Tria vides in verbis iſtis quæ concurrunt ad iudicium de ſcripturis, Eccleſię conſuetudinem, apoſtolicorum virorum autoritatem, & fidem apoſtolicam in Eccleſijs traditā, et ab omnibus per Traditionem receptam: quam iudicem ipſius ſcripturę facit hic

Serapius pater venerādus. Eſt et Serapionis venerabilis Antiocheni patriarchæ, qui tempore Seueri floruit, percelebris de hac re teſtificatio: cuius idem

Euſebio Euſebius lib. vi. meminit: q ſcribens ad Pontium et Carecum viros eccleſiaſticos, ſuper euangelio Petri, per q̄d ipſi a montanis in errorem ducebantur, Nos (inquit) fratres & Petrum, et alios apoſtolos ſicut Chriſtum recipimus, quæ autem ſub eorum nomine falſo ab alijs conſcripta ſunt, velut gnari eorum ſenſus et ſcientię, declinamus: ſcientes quod talia nobis non ſunt tradita. Quid clarius dici potuit ad noſtrum propoſitum? Sed nec D. Irenæus, per aliud quam per viuam apoſtolorū Traditionem reijcit corrupta Marcionitarum euangelia. Mire tamen ſuper

Tertull. omnium teſtimonia huic doctrinæ Tertulliani verba libro quarto aduerſus Martionem quadrant, vbi corruptum Martionitarum euangelium, non alia via conuincit adulterinum eſſe, quam Traditione, et Eccleſiæ diuino magiſterio. Nam ſi id tentaret efficere cōparando Martionis euangelium ad veram ipſius Lucę ſcripturam, qua Eccleſia tunc temporis vtebatur, nihil aduerſus eos concluderet, eo q̄d illi procaciter contendebant, noſtrum euangelium eſſe corruptum, contra vero, ſuum veraciſſimum eſſe. dicit igitur Tertullianus. Porro Lucas non apoſtolus, ſed apoſtolicus: non magiſter, ſed diſcipulus: vtiq; magiſtro minor, & certe tanto poſterior, quanto poſterioris apoſtoli ſectator, Pauli ſine dubio.

dubio. Sed & ſi ſub ipſius Pauli nomine euangeliū Marcion intuliſſet, non ſufficeret ad fidem ſingularitas inſtrumēti, deſtituta patrocinio anteceſſorum, exigeretur enim id quoq; euangelium, quod Paulus inuenit, cui fidem dedit, cui mox ſuum euangelium congruere agnouit: ſiquidē propterea Hieroſolymam aſcendit ad cognoſcendos apoſtolos, et conſulendos, ne forte in vacuum cucurriſſet, id eſt ne non ſecundum illos crediſſet, et euāgelizaſſet: deniq; vt cū autoribus cōtulit de regula fidei, dexteras miſcuere. Et adijcit: Igitur ſi ipſe illuminator Lucæ autoritatem anteceſſorum & fidei & prędicationis ſuę optauit, quanto magis eā ab euangelio Lucæ poſtulabo, quę euangelio magiſtri eius fuerunt neceſſaria? Quibus verbis apertiſſime demonſtrat, veluti epilogo quodam, quæ paulo ante affirmabamus. Primo, quod Lucas ex Traditione & magiſterio Pauli accepit euangelium, et non per reuelationē ſibi nouiter et immediate factam. Secundo quod euangelium Pauli licet acceptum erat per reuelationē ſibi immediate a Chriſto factam (vt ipſe frequenter inculcat, non ab hominibus, neq; per homines, ſed per Ieſum Chriſtum eſſe ſe apoſtolum manifeſtans) tamen quia in principio occultus, et veluti priuatus ſpiritus eius erat, neceſſaria fuit illi, collatio et cōmunicatio cū Eccleſiæ colūnis. Non vt veritas prædicationis eius penderet ex illa collatione, ſed ad hoc, vt pro apoſtolica haberetur et reuereretur, et (vt ipſe dicit) ne in vanū cucurriſſet. Quod et Hieronymus ſuper hoc loco ſentit. Tertio, q̄d non ſolū Traditio eſt antiqor ſcriptura, ſed et notior fuit primitus atq; cōmunior. Quid igitur prohibet, vt minus notum, atq; poſterius probari poſſit et oſtendi, per magis notū atq; cōmunius? nihil ſane. Confirmat hoc ipſum iudicium Diui Clementis in vltimo inſtitutorū apoſtolicorū appoſitū, q̄d ſic habet: Sunto omnibus vobis Clericis ſimul et laicis venerandi, & ſacri libri &c. Vbi numerat hæc quatuor euangelia. Confirmat et iudicium concilij ſacroſancti Niceni, Laodicenſis, Tertij Cartaginenſis, quod ſic habet: Placuit vt præter ſcripturas Canonicas nihil in Eccleſia legatur ſub nomine diuinarū ſcripturarū &c. Itē concilij Toletani primi: Si quis (inquit) dixerit vel crediderit alias ſcripturas prēter quas eccleſia catholica recipit in autoritate habendas, vel eſſe venerandas, Anathema ſit. Confirmat hanc noſtrā ſententiam magnus ille Athanaſius, in quadam paſcali epiſtola, cuius copia cū quibuſdam alijs Græcæ Eccleſiæ antiquis monumentis nuper mihi e Bibliotheca Romana cū Romę agerē facta eſt. Vbi ſecernere volens hic beatus, libros Canonicos a nō Canonicis, hęc verba p̄fatur: Quoniam nōnulli aggreſſi ſunt, et ſibi ſcribere quę Apocrypha dicuntur, deinde eadē cum libris diuino afflatu compoſitis miſcere, atque confundere, de quibus certum habemus, ſicut maioribus noſtris traditū eſt, ab ijs, qui oculis ſuis initio res ipſas viderunt, ipſiuſq; verbi miniſtri

fuerunt

Lucas a Paulo accepit [illegible]

Hieron.

Clemens

Nicena ſynodus

Synodus Carthaginenſis.

Synodus Toletana.

Athanaſius.

fuerunt, quoniam hoc illi facere tentarunt, decreto & hortatu fratrum
&c. Deinde libros Canonicos recenſet. Quibus verbis vel ipſa luce cla-
rius conſtat noſtræ aſſertionis veritas. Nam ſanctus hic pater, librorum
Canonicorum autoritatē a veterum patrum Traditione pendere dicit,
Traditione inquā ab eis accepta, qui ſcripturas rebus ipſis, quas viderāt
Ruffin. & palpauerant, conſonantes eſſe viderunt. Ruffinus etiam in expoſi-
tione ſymboli ad Laurentium, catalogū ſcripturarū faciens, ex Tradi-
tione maiorum, ſcripturas quæ in eo recenſet, fidelibus cōmendat, his
verbis: Quæ ſint noui et veteris Teſtamenti volumina, quæ ſecundum
maiorem Traditionem per ſpiritum ſanctum inſpirata creduntur, &
Eccleſijs Chriſti tradita, cōpetens videtur in hoc loco euidenti numero,
ſicut ex patrū monumētis accepimus, deſignare. Ecce ex veterum Tra-
ditione et monumentis eorum, fidem tribuit Ruffinus, quod hæc vo-
lumina ſunt a Deo inſpirata, et pro diuinis retenta. Liquet igitur ex
mente ſanctorū, primam et veterem Eccleſiam, non tantum teſtimoniū
hiſce ſcripturis exhibuiſſe, quo teſtificata eſt illas eſſe diuinas, ſed de-
claraſſe, et per modum autoritatis iudicaſſe, has debere recipi: falſas
vero et adulterinas reijci, per Traditionem et magiſteriū ſpiritus, quo
pollebant. Hoc enim verba ſanctorum præ ſe ferunt. Quæris quale
fuit iudicium et Eccleſiæ ſententia circa hoc? Dixi, et nunc, ſi vis exem-
plo ſcripturæ, iterum accipe. Quale fuit regis Salomonis ſuper infante
1.Reg.3 illo, de quo contendebant duæ illæ mulieres meretrices, vtrius eſſet fili-
us: quod non effecit, vt puer ille filius eſſet matris ſuæ, cui ex ſenten-
tia regis controuerſiam dirimente, datus eſt: ſed declarauit, & autorita-
te iudiciali decreuit, vt haberetur pro eius filio, & non amplius ſuper ea
re contenderetur. Sic iudiciū primæ Eccleſiæ diuinis ſcripturis non præ-
ſtitit, vt veræ eſſent atq; diuinæ: ſed declarauit illas eſſe diuinas, & au-
toritate, & magiſterio ſpiritus, quo potens eſt, iuxta Pauli ſententiam,
de huiuſmodi ſpiritualibus iudicare, recipi eas fecit, et reuereri coegit.
Quare qui autoritatem hanc ab Eccleſia tollunt, multum meo iudicio
magiſterio ſpiritus ſancti, in ea præſidentis derogant, per quod creditū
eſt illi lumen diuinū (vt ſcriptura et omnes ſancti antiqui fatentur) quo
poteſt de doctrinis omnibus iudicare: de qua re in fine latior nobis erit
ſermo. Eſt ergo reſolutio, quod credimus hanc ſcripturā euangelicā eſſe
diuinā, quia primi patres, Apoſtoli, et apoſtolici viri eam recipiendā eſſe
iudicauerunt, et receperunt, quod per Eccleſiam nobis proponitur, et
per lumen fidei, certi de hac re ſumus, abſq; alio medio: ipſi vero hanc
ſcripturā admiſerunt, quia ſuæ Traditioni, et ijs, quæ viderant (vel ab
ijs, qui viderunt audierunt) conformē viderunt. Et hoc volebat Au-
Auguſt. guſtinus dicere, cum capite quinto contra epiſtolam Manichæi di-
cit: Ego vero euangelio non crederem, niſi me eccleſiæ Catholicæ
com-

cõmoneret autoritas. Quibus verbis non tantum tribuit Auguſtinus primæ Eccleſię officium teſtis,q cogere non potes,ſed iudicialem autoritatem erga receptionem harum ſcripturarum.

Ex ijs habes magnam eſſe vim,& dignitatē diuinæ Traditionis. Ab ea namq; ſcriptura diuina originem habuit. Per hanc etiã a primoribus Eccleſiæ cõprobata eſt,& a falſis ſcripturis per ſpiritus ſancti magiſterium diſcreta. Deniq; hac ipſa eadem intelligi deſiderat. id quod magis in ſequentibus palam fiet.

SECVNDA ASSERTIO.

Non omnia quæ Chriſtus et apoſtoli dixerunt, fecerunt, inſtituerunt pro erigenda Eccleſia,& diſſeminanda fide Catholica, continentur,imo nec potuerunt, nec debuerunt contineri in aliquo librorum noui Teſtamenti, nec in omnibus ſimul.

TRia euangelia,Matthæi,Marci, & Lucæ clariſſime oſtendunt hanc veritatem,cum in illis multa ſuppleat Ioannes,tã quæ attinent ad Chriſti diuinitatem, quam ad ipſius opera. Nihil enim narrant de initijs prædicationis Chriſti,ſed poſt ieiunium & tentationē tranſeunt ad miracula,quæ Chriſtus fecit poſtquam Ioannes in carcere: fuerat coniectus. Dicit enim Matthæus poſt Matthei ieiunij Chriſti narrationem. Audiēs autem quia Iohãnes traditus eſſet, diſceſſit de Iudæa &c. Eodem modo Lucas & Marcus. In ſignum huius rei cum narrat Ioannes Chriſti miraculum, quo aquam conuertit in vinum, ait: Hoc fuit initium ſignorum Ieſu. Et iterum in alio loco: Nondum enim Ioannes miſſus fuerat in carcerem. Sed neque Ioannis 2 ipſe Ioannes,cum alijs euangeliſtis omnia potuit comprehēdere, vt ipſe de ſe perhibet teſtimonium viceſimo capite ſui euangelij:vbi poſtquam Ioann. 20 Thomæ repræhenſionem poſuit, ſubiunxit: Multa quidem, & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.et aſſignans cauſam, quare hæc ſcripta fuerint, ait: Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei. Ex quo dicto habes ea ſolum eſſe ab euangeliſtis narrata, quæ ſufficere eis viſa ſunt ad faciendum fidem de Chriſto, et beneficio redemptionis,& diuinitate eius. Quum autem ſint multa quæ ad ipſum Chriſtum ſolum non pertineant, partim ad alia credibilia, partim ad eccleſiaſticum ordinem attinentia neceſſario tenenda & credenda, manifeſto concluditur,non omnia in euangelijs ſcripta fuiſſe. Id quod in vltimo euangelij cap. apertius affirmat: Sunt (inquit) & alia multa quę Ioannis vltimo. fecit Ieſus, quę ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum

capere

Lucas Acto. 1 capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libros. Inſuper Lucas Acto. 1. dicit, quod Chriſtus per dies quadraginta apparuit apoſtolis & diſcipulis, in multis argumentis loquens de regno Dei, & tamen vix Euangeliſtæ quinqꝫ uel ſex verba referunt, tam frequentium et percelebrium ſermonum. Atqꝫ hæc de Chriſto & doctrina eius per ipſius vocem accepta, ſufficiat retuliſſe.

Alia vero apoſtolica dogmata & inſtituta non omnia poſſe complecti ſcripto, nemo dubitare poteſt, niſi prorſus ſenſus & rationis ſit expers. Nam cum omnes apoſtoli orbem terrarum ſua prędicatiōe impleuerint, & multas Eccleſias erexerint, Epiſcopos, presbyteros, diaconos ordinauerint, qs dubitat illos ſanctæ Eccleſiæ patres multa inſtituiſſe, & oretenus docuiſſe eos, quos in locum ſuum ſubrogabant, & ſummo opere perfectos eſſe cupiebant? Quippe qui ſuperni Architecti, & propagatores Eccleſiæ Chriſti erant, quorum omnium cum ſeptem ſolum ſcripta monumēta extent, quomodo putādum eſt illis ſolis poſſe omnia compræhendi? maxime cum epiſtolæ particularia argumenta tractent, & ad particulares eccleſias ſint directæ? quibus, ſi totam Chriſtianiſmi ſummam voluiſſent compræhendere, a deſtinato & peculiari ſcopo excederent, & inſuper nihil conficerent. Paulus Paulus.n. qui plures epiſtolas ſcripſit, centies in illis ſignificat ſe tradidiſſe multa quæ ſcripta non conſtabant. Corin. 1. Dicit enim Corinth. 1. Notum vobis facio fratres, euangelium quod prædicaui vobis, quod et accepiſtis, in quo ſtatis, per quod et ſaluamini, qua ratiōe prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis: tradidi enim vobis in primis quod et accepi, q̄d Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundum ſcripturas, & quia ſepultus eſt, et quia reſurrexit tertia die, & q̄a viſus eſt Cæphę, et poſt hæc vndecim, deinde viſus eſt plus quā quingentis fratribus, ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Iacobo &c. Quæſo quis euangeliſtarum narrauit nobis illas duas apparitiones Iacobo et quingentis fratribus factas? Et vbi eſt dictum illud quod Apoſtolus in Actis allegat, quod beatius eſt dare q̄ accipere? Nec propter hęc credas Paulum ſupplere velle, quæ ab alijs narratoribus omiſſa ſunt: ſtat enim firmum Ioannis verbum iam allegatum, innumeris codicibus concludi non poſſe acta, inſtituta, & edocta per Chriſtum. Clarum de hac re prę- Euſebius bet teſtimonium Euſebius libro tertio, cap. ſupra citato, cum de ſcriptis Pauli facit mentionē. Deniqꝫ (inquit) Paulus qui inter omnes apoſtolos eruditior etiam in verbis videtur, & in ſenſibus præpotens, non amplius quā paruum epiſtolarum ſuarum corpus reliquit, qui vtiqꝫ contineret intra ſe innumera ſacramenta, vt pote qui ad tertium cœlum raptus. Hęc Euſebius. Quid ſi innumera ſacramenta intra illud pectus ſanctiſſimum tecondebantur, et pauca folia ſcripſit, minima pars illorum in il-

lis

lis contineri potuit. Cum igitur conſtet Paulum ſapientiam locutum fuiſſe inter perfectos, & epiſtolas plerunque miſiſſe paruulis & imperfectis, inter quos diſſenſiones erant, vt ex eorum argumentis palam eſt: cōſequitur multa ipſum dixiſſe, tradidiſſe & inſtituiſſe, quę in ſuis Epiſtolis ad particulares eccleſias miſſis ſpecialibusque argumentis deſeruientibus minime cōtineantur. At, quid in re clara moror, cum ipſe hoc centies fateatur? 1. Cor. xi. Laudo vos (inquit) fratres quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis pręcepta mea tenetis. & tamen quæ præcepta fuerint iſta, non conſtat ex ſcriptura: nam hæc fuit prima epiſtola ad eos miſſa. Et paulo poſt cum inſtitueret mulierem velatam debere eſſe in Eccleſia, quod nullibi ſcriptum erat, ait: Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Ecce vrget eos ſola Eccleſiæ conſuetudine non ſcripta, vt obediant, et non contendant in re non magni momenti. & paucis interpoſitis: Ego (inquit) accepi a Domino quod et tradidi vobis: non quidem ſcripto, nam nunquam ad ipſos antea ſcripſerat: quę autē tradiderit ipſe manifeſtat (quamquā non omnia) ſcilicet, vt probet ſeipſum homo, qui corpus & ſanguinem Chriſti vult ſacramentaliter participare. & pauca alia quæ ibi continentur. Et in calce epiſtolæ promittit ſe viua voce traditurum, quæ ad cōmunionis modum, & illorum Eccleſiæ ſtatum attinebant, dicens: cætera cum venero diſponam. cuius diſpoſitionis neque vllum verbum extat in ſcripturis. Dicere autem Apoſtolum non impleſſe promiſſum, eſt manifeſte illum mendacij coarguere, aut illi leuitatis notam impingere. Quarto vero cap. primę Theſ. expreſſe meminit multorum præceptorum, quæ illis non per ſcripturam, ſed oretenus tradiderat, Rogamus (inquit) vos & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodū accepiſtis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic et ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ pręcepta dederim vobis per D. Ieſum &c. Secunda autem epiſtola ad eoſdem, manifeſto cōmendat eis Traditiones per ſermonem acceptas, non minori obſeruantia tenendas, quam ea quæ in epiſtolis ſcripſerat. Et 1. ad Timoth. depoſitum Traditionū ei ſummopere cōmendat. et ij. epiſtola doctrinam ei traditā coram multis teſtibus iubet vt tradat alijs, q in doctrina ſana potentes erant populum exhortari. quam conſtat nō omnibus fuiſſe communem, nec per epiſtolas ei traditam fuiſſe: quare præter ſcripturas volebat aliqua per Traditionem teneri et obſeruari, quæ noluit ſcripturę mandare. Sed et Ioannes cum per ſexaginta ferme annos (vt diximus) Aſianas eccleſias rexiſſet, antequam euangeliū ſcriberet, manifeſtum eſt, omnia, quæ illic fecit et inſtituit, Traditione ſola ſuis Eccleſijs potuiſſe conſtare. dicit. n. in ſecunda epiſtola ſua: plura habeo vobis ſcribere, ſed nolui per chartā et atramentū. Spero enim me fu-

1 Cor. xi
1 Tim. 4
2 Theſſ.
Tim. 1
2. Canonica.

C turum

turum apud vos,et os ad os loqui. Vidiſti quomodo plura reſeruat hoc
ſacratum pectus,quæ os ad os fidelibus tradat,quam ſunt ea quæ ad il-
los per epiſtolas ſcripſit,Itidem beatus Petrus cum perbreues ſcripſerit
epiſtolas, & has quidē paulo ante mortē ſuā,poſt erectas multas Eccle-
ſias,multoſq; ibi ordinatos epiſcopos , quis non credet illis non relicta
eſſe dogmata et ſalubria inſtituta, quibus ſuos populos regerent , & in
viam ſalutis dirigerent, quæ non minori reuerentia recepta fuerunt quā
Clemens ipſius ſcripta? quorum aliqua in libris recognitionum recenſet Clemens
teſtis oculatus factorum Petri , eaq; poſtmodum in Eccleſia Romana
inſtituit ipſe Clemens.Et Anacletus,& Euariſtus & Alexander marty-
res et Pontifices ſanctiſſimi,epiſtolis ſuis poſtea Eccleſijs cōmendarunt:
prout iam videbimus,quod de alijs apoſtolis multo magis credēdum
eſt,de quorū ſcriptis nulla extat in Eccleſia canonica memoria. Gau-
dent enim Aethiopes, Traditionibus Matthęi, ſicut Indi olim Bartho-
lomei:Medij et Meſopotamij,Thomæ:Paleſtini Iacobi:Scythę Moſco
nitæ,Traditionibus Andręę:orientales vero Scythę,de Philippi: ſicut
Papias Roma de Traditionibus Petri & Pauli , et Aſiathici , Ioannis euange-
liſtæ ſacris monumentis. Vnde Papias ille Hierapolitas eiuſdem Ioannis
auditor,in proœmio quinq; librorum quos de explicationibus ſermonū
domini ſcripſit,merito de doctrinis apoſtolorum, viua ſibi voce tradi-
tis gloriatur. Cōſiderabam(inquit)q̄d Andreas,quid Petrus dixiſſent,
quid Philippus,quid Thomas,quid Iacobus,quid Ioannes, quid Mat-
thæus vel alij quilibet diſcipulorū domini,q̄d etiā Ariſtion & ſenior Io-
annes diſcipuli domini loquebantur,non enim tantum mihi libri ad le-
papias gendū proſunt,quantū viua vox , vſq; hodie in ſuis autoribus perſo-
Clemens nans.Hæc Papias.Quam doctrinam præter ſcripturas merito etiā ma-
Alexandrinus. gnifacit Clemens ille Alexandrinus ,vir ſcientia & morum integritate
præclarus,magnaq; antiquitate reuerendus, qui floruit tempore Marci
Antonij veri. primo enim ſuorum ſtromatum libro hæc verba habet:
Mihi quidem cōmentarij huius operis,non ad oſtentationem ſcribun-
tur,ſed ad cōmendationem ſenectæ,et ad obliuionis remedium,quo ſci-
licet in ijs ſit mihi adumbratio rerū magnificarū , diuinorūq; verborū,
quæ audire merui a viris ſanctis et beatis, quorum ab alio apud Acha-
iam , ab alio apud Syrias , ab alio in Oriente , & maxime apud Pa-
læſtinam inſtitutus ſum,ex Hebręorum origine veniente, ad vltimum
autem ipſo magiſterio vſus ſum viri veritatis et ſcientiæ meritorū ma-
xime deferendi:poſt quem velut theſauro in abſconditis reperto, aliud
quærere vltra ceſſaui.Et illi quidem diuinæ doctrinæ veritatem mihi
quæ ſibi ab ipſis ſtatim primis autoribus,Petro,Iacobo , & Ioanne, &
Paulo ſanctis apoſtolis tradita fuere , tanq; patres filio cōmendarunt.
Hactenus Clemēs. Vbi vides preciosiſſimis theſauris hunc ſanctū virū

compa-

comparaſſe apoſtolicas Traditiones: quibus ſe dicit in doctrina fidei fuiſſe imbutum, quietum, & confirmatum. Dilucidius tamen Diuus Innocentius tertius, in illo capite vulgato cum Marthę, loquens de illis tribus verbis in cōſecratione tremendorum myſteriorum cōtentis, ſcilicet, Eleuatis oculis in cœlum, Myſteriū fidei, Æterni Teſtamenti, hoc idem confirmat, dicens: Non eſt dubitandū, quin Eccleſia ab apoſtolis hæc ſuſceperit, nec obſtat, quod in euangelio non habeantur, nā multa ſunt in euangelijs omiſſa, quæ per apoſtolos ſuppleta ſunt, ſcripto & verbo. Et ne putet aliquis, hoc quod e verbis conſecratiōis Innocentius dixit, ſui temporis eſſe cōmentum, audiat Diuum Baſilium, ante mille et centum annos ad Amphilochiū de hac re loquentem, qui cū in multa incidat, quæ Eccleſia Catholica tenet, in ſcripturis diuinis minime cōtenta, de prefatis verbis huiuſmodi fert iudicium: Quis (inquit) e ſanctis viris reliquit nobis ſcripta verba inuocationis illius, quæ fit in deſignatione panis Euchariſtiæ, & calicis benedictionis? Neq; enim contenti ſumus his verbis, quæ apoſtoli et euangeliſtę meminere, ſed alia præfamur, quæ plurimum valent ad myſteriū, quæ tradita et percepta ſine ſcripto ſunt. Hæc ille vere magnus de verbis conſecratiōis Euchariſtiæ in ſcripturam minime expreſſis pręſenſit, nō minorem illis honorē tribuens, quam ſi ea ſcripta Apoſtoli reliquiſſent. Item Fœlix primus, & Xiſtus primus, martyres et pontifices Dei ſanctiſſimi, ante mille & trecentos annos, æqualitatem diuinarum perſonarum ex viua Traditione in ſuis epiſtolis cōmendant et probant. Adde quod multa ſunt in Eccleſia vniuerſali recepta, et ea quidem ad ſalutem neceſſaria, quæ ſcriptura Canonica dilucide conſtare minime poſſunt, ſed per Chriſti apoſtolorū Traditionem illi innotuerunt. Nam q̊d Chriſti anima benedicta poſt mortem ad inferos deſcenderit, nullus euangeliſta ſic expreſſe narrauit, ſed ex ſolo apoſtolico Symbolo clare conſtat. Item quod ſilius ſit conſubſtantialis patri, ſpiritus ſancti diuinitas & ęqualitas cū alijs perſonis, quod duę ſint in Chriſto naturæ, in vnitate diuini ſuppoſiti adunatę, q̊d ſint duæ voluntates in eodem, quod ſecundum quod homo diem iudicij nouerit, & ſemper patrem viderit, quod beatorum animæ ſtatim a corpore exutæ clara viſione diuinitatē conſpiciant, quod virgo Maria nō amiſerit virginitatem in partu, neq; poſt partū, quod ſit, et dici debeat mater Dei, quod in paruulis ſit efficax Baptiſmus Chriſti, quod ab hæreticis baptizati in forma Eccleſiæ per ſolam manuū impoſitionem ab Epiſcopo recipiantur, q̊d Catecumeni exorcizentur ante Baptiſmū, quod oleo Balſamo mixto vngātur baptizati, confirmandi, et ordinādi, quod vinum debeat miſceri aquæ in tremendis myſterijs, præterea crucis ſignatio, ſacramentorum numerus, ritus et formę, diei dominicę ſanctificatio, et plura id genus alia, de q̄bus vel ſubobſcura, aut nulla men-

Innocentius tertius dist. 4

Baſilius

Fœlix Xiſtus

tio in euangelicis codicibus habetur: & tamen tota Eccleſiæ ſucceſſio tam in Oriente, q̃ in Occidente, a ſpiritu ſancto edocta, a temporibus apoſtolorum vſq; in præſens ea tanti fecit, ac ſi ſcriptura ipſa continerentur, ſolius primorum et maiorum Traditionis autoritati innixa, quam qui non recipit nec veneratur, non eſt etiam, quod recipiat (vt probauimus) ſcripturas iſtas ſanctas, quas habemus, q̃ppe quarum autoritas, non per aliud quam per Traditionẽ maiorum Eccleſię nobis nota ſunt, ac ſubinde, q Traditionem negat, totam Chriſtianam religionem pene ſubuertit. Nam ſi omnia ſcripta eſſe debebant, quæ ad Eccleſiæ ſalutẽ, & regimen animarum pertinebant, vt contendunt factioſi, ſuperflueret prorſus ſpiritus ſancti magiſterium, infallibili pollicitatione ei promiſſum: nõ ad horam tantum, ſed quod vſq; in finem ſeculi eſſet eam comitaturum, & cum ea permanſurum. Nec vllo modo eſt veriſimile ſanctos illos apoſtolos, & primos patres (ſi omnia neceſſario ſcripturis forent demandanda) tã parcos in ſcribendis voluminibus fuiſſe. Accedit ad hęc, quod qui omnia ad ſalutem neceſſaria in ſcripturis contineri improbe volunt, & q̃cquid extra illas eſt, minime pro vero acceptandum affirmant, præter hoc, q̃d Patriarchas illos primos (vt paulo ſuperius monſtrauimus) damnat, q multa fecerunt, et inſtituerunt ſine vlla ſcripti verbi autoritate, apoſtolos etiam ſanctos temeritatis arguit, & de impietate notat, qui multos ex veteribus ritibus abrogarunt, et q̃ſdam ad tempus permiſerunt: vt eſt Sabbati ſanctificatio, circumciſio, abſtinentia a ſanguine ſuffocato, et idolothito. Rurſus aliqua nouiter introduxerunt, vt Baptiſmum in nomine Domini Ieſu, cuius alia forma a Chriſto erat pręſcripta, ut patet Marci vltimo, et celebrationẽ Dominicæ diei: et hæc quidem ſine manifeſto legis teſtimonio. Aut igitur hęc damnati oportet, quæ ſine vlla ſcriptura ſtatuta ſunt. Aut ſi acceptari debent, vt vere acceptanda ſunt, luce clarius manifeſtum euadit, non omnia quę tenenda ſunt, a ſcriptura petenda eſſe, ac proinde non omnia diuinitus tradita in ſcripturis cõtineri: qui eſt totius Lutheraniſmi fons. Nec video certe, qua ratiõe ducti Eccleſiæ ſubuerſores, aliqua ex apoſtolicis traditis dãnent, et aliqua recipiãt, quando contra nos uel alios agũt, cum in decretis ſanctorum Patrum, apoſtolicorum virorum, & aliorũ vtriuſq; Eccleſiæ ſanctorum monumentis (prout iam iam videbimus) æqualiter, de omnibus honorificentiſſima fiat mentio, niſi q̃d ſuo lubito cõuenticula et coitiones aduerſus ſanctam Eccleſiã matrẽ omniũ fideliũ, volũt ſuperbi iſti facere, et apoſtolicis Patribus, et ſanctis omnibus, ſathanica ſe temeritate conanť præferre: aſſerentes perfricta fronte Eccleſiam ſanctã per duodecim annorũ centenarios turpiter erraſſe, cõtra Ieſu Chriſti ſponſi ſui infallibiles promiſſiones, qui iugẽ ſui ſpiritus aſſiſtentiam eidem ſponſæ promiſit, et a patre cumulatiſſime impetrauit.

Marci

Colligi-

Colligitur ex dictis Eccleſiam ſanctam cum adhuc virgo erat, cum ſanguis ſponſi eius in ea caleret, antequã hereticos nouiſſet, nullas habuiſſe fere ſcripturas noui Teſtamenti: Omnia enim Chriſti monita, verba & opera, cordibus fidelibus erant inſculpta, omnia in ore, omnia in opere. Cum vero diuina lex cœpit in cordibus hominum languere, & pullulabant iam hæreſes, & incipiebat regnare iam in homines mundanus amor, & propria affectio, diuino conſilio introductæ ſunt in Eccleſia ſcripturæ, quæ bonam partem dogmatũ et inſtitutorum diuinorum continerent: quibus hæreſes conuincerentur, fides conſeruaretur, peccata corriperentur, et fideles inſtruerentur & conſolarentur, & quibus deniq; Traditiones approbarentur, eſſentq; tanquã norma et inobliquabilis regula, ad quam cætera non ſcripta, ſed per manus tradita, dirigi poſſent. Fuit autem cum ea ſeruata Traditio eodem ſpiritu ſancto procurante non ſine magna etiã ratione, vidit enim ſpiritus inuerecundos hæreticos affuturos, vt fuerunt Marcionitæ, qui omnes noui Teſtamenti ſcripturas tentarunt corrumpere. inſuper affuturos multos alios ſuperbos & pertinaces, qui cognitione ſyllabarum et corticis ſcripturæ duntaxat ducti, intellectum ſcripturarum ſibi arrogarent, & ex falſo intellectu eius, ſpreto maiorum Eccleſiæ iudicio, pernitioſa dogmata in eadem diſſeminarent (id quod omnibus hereticis peculiare ſemper fuit) quam ob cauſam potiſſimum, credo Traditionem in Eccleſia ſimul cũ ſcriptura maioribus fuiſſe relictã, qua et ſcriptura a corruptoribus poſſet conſeruari, atq; ab adulterinis ſecerni: pro vt tempore Irenęi, et Tertulliani factum cernimus, et iuxta veram intelligentiã ſpiritus, intelligi: nec vllo pacto permitteretur, alienis et prophanis hominum commentis doctrinam fidei conſpurcari. *Quare fuerit ſeruata Traditio.*

Eſt & alia ratio ſeruatæ ſanctæ Traditionis: vna cũ ipſa ſcriptura, propter quam primi illi patres noluerunt omnia myſteria ſcriptis mandare, et quam Dionyſius et Baſilius orietalis Eccleſiæ lumina, nobis aperiunt: alter in primo cap. eccleſiaſticę hierarchiæ, alter vero ad Amphilochium ſcribens, cum quorundã meminit traditorũ. Docet ergo Dionyſius Timotheũ, ad quem librum pręfatum deſtinat, in hunc modum: *Dionyſ.* Obſerua diligentius, ne ſancta ſanctorum efferas, neu prophanis luminibus violanda permittas: Verum reuereberis magis occultaque Dei myſteria ſpiritualibus, inuiſibilibus notionibus honorabis, atque intemerata ſeruabis, nequaquã ea paſſim rudibus tradens, ſed ſanctis ſolis, ſanctarum rerũ intelligentias ſacratius pandes. Audiſti Dionyſiũ, Pauli apoſtoli diſcipulũ. Audi nunc magnum Baſilium, eandẽ cauſam clarius *Baſilius* adhuc et fuſius aſſignantẽ: Sicut Moyſes (inqt) multa inſtituit quę ſcripto non accepit: vt quod Sacerdos magnus ſolus in ſancta ſanctorũ introiſſet, et hoc ſemel in anno, & certa quadã hora, et ſolos Leuitas dignos

myſterio iudicarit,& multa alia quæ contemptum parerent, ſi cõmunia eſſent,inſtituit. Ad eundẽ modum Apoſtoli & patres in occulto ſilentio,myſterijs autoritatem conſeruarunt: neq; enim omnino myſteriũ eſt,quod ad populares & vulgares aures effertur. Hæc eſt ratio (inqt) cur aliqua tradita ſint citra ſcripturã,vt ne dogmatum cognitio neglecta fieret,& in contemptum apud vulgus veniret propter conſuetudinem:aliud enim eſt dogma,aliud prædicatio. Dogmata enim ſilentur, prædicationes vero publicantur. hactenus Baſilius.Qui ſatis clare docuit ſeruatæ Traditionis præcipuam rationem,ne ſcilicet, vileſcat quod traditur, ſed in precio ſit.Nec hoc ſolum patres primos, ſed antiquiſſimos philoſophos,vt Mercurium Trimegiſtum,Pythagoram,& complures alios ſapientes factitaſſe legimus:qui parum vel nihil ſcripſerunt, ſed oretenus auditores ſuos inſtruebant,ne philoſophia vileſceret et cõtemptibilis apud vulgus hominum fieret. Valeant ergo eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſipatores,& contra tam veneranda capita omniumq; ſanctorum conſenſum,rudibus ſuis admiratoribus inculcent, omnia dogmata Eccleſiæ ad ſalutem neceſſaria, in ſcriptura exprimi & contineri debere:cum nõ ſolum reuerendæ antiquitatis, & ſanctorum aſſenſus, ſed & ipſa ſcriptura & ratio, aliter ſeſe habere rem clara voce reclamet: id quod noſtra aſſertio propoſuit. Quo fit, vt non ſit illa vnica Traditionis introductæ ratio,ſcilicet,vt ſecundum ordinem omnia in Eccleſia ſiant,quam in ſuis ſcriptis prætendunt aduerſarij. Hæc enim ſolis ceremonijs & nonnullis inſtitutis adaptari poteſt, non tamen ſanctis Traditionibus in vniuerſum.Sed mirum non eſt eos toto quod aiunt cœlo in hac re aberrare,qui ceremonias cũ Traditionibus ignoranter & maligne confundunt:id quod poſtea a nobis ex ipſorum verbis demõſtrabitur et aperte confutabitur.

TERTIA ASSERTIO.

Diuina ſcriptura non in omnibus adeo clara eſt,vt ſeipſam poſſit exponere, & per ſeipſam poſſit intelligi.

VEtus Teſtamentum ſatis in hoc ſe prodit,cuius neq; hiſtoriæ,quæ minus videntur habere in receſſu plane ſe ſinunt intelligi.Nam vt de alijs taceamus,liber Geneſeos multis in locis tam eſt profundus in ſenſu,quã humilis in verbis. Quot fœlicia ingenia ſudarunt in expoſitiõe opificij Dei in ſex illos dies digeſti? quã varie illud nobis expoſuere? Quis vnquã ſatis intellexit,quid ſit principium illud in quo Moyſes dicit Deum feciſſe cœlum et terram? Quid tenebræ quæ erant ſuper faciem abyſſi? quid ipſa abyſſus? quid ille Domini ſpiritus qui ferebatur ſuper aquas? quid agebat? quid illis præſtabat cum ſuper eas mouebatur? quid per

lignum

lignum vitæ & ſcientiæ boni & mali? quæue iſtorum lignorũ ptopria? Quis vnquam ſatis explicuit fontem illum Paradyſi a quo quatuor illa flumina orta eſſe ſcriptura dicit, q totam terram irrigabant? quis abunde diſcuſſit ſtatum primi hominis ante peccatũ? Romphæam illam flãmeam, qua protoplaſto poſt peccatum interdictus eſt ad Paradyſum introitus? Pœnam Chaim & ſignum quod in eo poſuit dominus ne occideretur, ſimul et mulctam occiſoris eius? homicidium Lamech, & punitionem quę ſubſecutura erat eum qui ipſum occideret? Benedictiones illas reconditiſſimas, Iahacob patriarchę, paulo ante mortem ſuam ſpiritu Prophetico filijs collatas: & alia id genus multa? Tam ſunt hæc ſenſu grandia, et myſterijs profunda, vt multi antiquiſſimorum patrũ, & viri ſanctiſſimi et doctiſſimi, de aſſecutiõe ſenſus literalis quaſi deſperati, ad myſticas intelligentias recurrerent. Prætereo illam Ceremoniarum, vaſorum, inſtrumentorũ tabernaculi fœderis cõgeriem, colloquia illa Dei cum ſancto Moyſe, fauores & populi Iſraelitici flagella, multitudinem rituum, onus præceptiuncularũ: quæ omnia vmbra erant futurorum, vt Apoſtolus docet, e quibus pauca, quamuis præcipua quæ ad Chriſtum et Eccleſiæ ſtatum attinent, Paulus et alij apoſtoli per ſpiritum ſanctum, veluti per tranſennam nobis expoſuerunt.

Ad Prophetas venio quorum ſenſus abſtruſiſſimus omnes ſanctos et Hebręos autores perterruit. Quot ſunt in eis parabolę? quot ęnigmata? quot amphibologiæ? quot figuratæ locutiones? quot viſionum differentię et circumſtantiæ? q̃t tropi? quot ſimilitudines ad res naturales? quę latent in numeris, inſtrumentis, animalibus, myſteria? quot ſunt in eis ſenſus in vicem ſubornati? quam recluſi? quæ diuerſitas prophetandi? Iam prophetant verbis, iam factis, iam futuris, iam præteritis. Nunc dirigunt ſermonem ad ſtatum ſui populi, nunc demonſtrant futurum Eccleſiæ Chriſti ſtatum, & Meſſiæ aduentum. Nunc mores inſtituunt, & vitia carpunt, nunc gloriam inculcant ſupernæ patriæ, aduentus Meſſiæ miſcent, frequenter tranſeunt a litera ad ſpiritum, & id quidem inſenſibiliter & latentiſſime. Quot ſunt in eis ſchemata & phraſes difficiles? quæ omnia minime accipi debent, prout prima facie videntur ſonare, niſi carnaliter & Iudaice velimus ſapere. vt ſunt illa: ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium: habitabit lupus cum agno, pardus cum hœdo accubabit, vitulus et leo et ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos, delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, et in cauernã reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuã mittet. & multa alia his ſimilia. Omitto Danielis hebdomadas, monarchiarum conquaſſatiões, conſtructionẽ templi in Ezechiele, eorumq́ recõditiſſimas viſiones, cuius in primo cap. tanta eſt maieſtas atq́ profunditas, ut Hebręorũ ſapientes, paucis et his q̃dem grandęuis et eruditis velint ſolum

eſſe cõmune. Quid de Pſalterio et Iob dicam? quę myſteria ſuo ſermone non cõplectant? quam eſt varius ſtylus eorũ, atq; difficilis? Iob proſa incipit, & pedeſtri ſermone finitur, ſingula verba eius, tropis ſcatent, & ſenſibus abundant: tandem in ijs diuinis oraculis tam eſt cõmixta cum rudi ſimplicitate profundæ veritatis maieſtas, vt ſi diligenter et humiliter nonnulla eorũ excutias, ſtatim pariant tibi latentem intelligentiã, quam in manifeſtis ſermonibus occultabant: quædam apertis ſermonibus ita produnt, vt nihil præter id quod ſonant amplius ſit quærendũ. Quædam autem ſic deſcribunt, vt pariter literã et myſticum intellectũ expoſcant. alia vero myſtice tantũ intelligenda proponũt, quæ ſpiritualis ſolus diſcernit, qui iudicat de omnibus, et ipſe a nemine iudicatur. Hieron. Recte Hieronymus epiſtola ad Algaſium vetus Teſtamentum orientalem portã appellat, per quam ſolus Pontifex ingreditur, & regredit, et ſemper clauſa eſt, et ſoli patet Chriſto, qui habet clauem Dauid, et aperit, & nemo claudit. Idem Homilia ſecunda ſuper Cantica, exponẽs illud: Meliora ſunt vbera tua vino. cũ varias illius loci lectiones recenſeat, cum ſeptuaginta interpretibus ſentiens, qui vbera illic tranſtulerunt, non loquelæ (vt alij) ait: ſpiritus ſanctus myſteriorum formas obtectas eſſe voluit in ſcripturis diuinis, & non palam & in propatulo haberi.

Quo fit vt ad hãc difficultatem in veteri Teſtamento ſuperandum, minime ſufficiat Hebraici Idiomatis eruditio, quæ tantũ de Grãmaticali ſenſu certos reddere poteſt lectores. Nec iſtud adhuc ſemper præſtat, etiã in locis omnibus: Nam cũ Hebraica lingua admodũ anguſta ſit, et vocabulorũ inops, longæq; plures ſint res quam vocabula, neceſſe eſt, vt vna & eadem vox, idq; in eodem contextu, varias res ſignificet. Quis igitur poterit tantum de ingenij ſui dexteritate confidere, vt putet ſe aſſecutum fuiſſe Germanam vocabuli ſignificationẽ, pro quo ſcilicet ibi accipi debeat? Maxime cum periodi circũſtantia, vnum & aliud ſignificatum ſine offenſione ſenſus conſequentiæ admittat, vt multis in locis ſcripturæ veteri cõtingit: id quod in cauſa fuit tantæ diuerſitatis tranſlationũ, & punctationũ, quæ inextricabilem difficultatẽ pariunt in ſacris codicibus. Locupletiſſimi teſtes horum ſunt ipſi Rabbini: qui cum eis Hebraica lingua ſit propria et natiua: tanta eſt tamen inter eos interprætandi et legendi diuerſitas, vt facile eos poſſis dicere, nõ vnam legẽ genuino ſuo idiomate tradere, ſed diuerſis linguis, diuerſas leges conſcriptas interpretari. Antiqui Thalmudiſtæ pugnant cũ neothericis, & fere omnes cum Caballiſtis ſuper ſenſus ſcripturæ intelligentia contendunt. Teſtatur hoc Ieſus ille filius Syrach, qui in proœmio libri ſui, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, loquens de opere aui ſui, quod ipſe cõcinnauerat, ait: Hortor itaq; venite vos cum beneuolẽtia & attẽtiori Eccleſi. ſtudio

ſtudio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videntur
ſequentes imaginem ſapientiæ deficere in verborum compoſitiõe, nam
deſiciunt et verba Hebraica, cũ fuerint tranſlata ad alteram linguam.
Non autẽ ſolum hæc, ſed et ipſa lex & Prophetæ, cæteraq́ʒ aliorũ libro-
rum, non paruã habent differentiã, quando inter ſe dicunt. Hieron. etiã Hieron.
in hoc negocio artifex exercitatiſſimus, epiſt. ad Pãmachium, non decẽ
aut triginta vocabula, ſed magnam ſiluam nominũ et verborum hu-
iuſmodi apud Hebręos eſſe dicit. Quæ res (inqt) diuerſis interpretatio-
nibus materiam præbet, dum vnuſquiſq́ʒ inter dubia, quod ſibi conſe-
quentius videtur, hoc transfert.

In nouo Teſtamento, & euangeliorum ſcripturis, et ſi lux ipſa Chri-
ſtus Deus noſter, in tota lege veteri adumbratus nobis loquatur, non
deſunt tamen magna & profunda myſteria, quæ excutiantur, magnũq́ʒ
negocium faciãt hominibus pijs et eruditis, et de quorum interp̃tatione
non ſatis inter eos conuenit. Vt de 1. capite euangelij Ioannis, vbi diuini
verbi qualitas explicatur: de Chriſti generatione carnali, quam Mat-
thæus contexit, qualiter ad Chriſtũ pertineat. Quomodove ab illa,
quã Lucas recenſet differat, eorumq́ʒ diuerſitas cõciliabitur: de Mariæ
virginitate poſt partũ, de Magorũ aduentu, octo beatudinibus, de euã-
gelicis cõſilijs, de relinquendo pallio violẽtis hominibus, de altera ma-
xilla percutientibus p̃benda, de non reſiſtendis aduerſarijs, de iuramẽto,
de diuortio, de correctiõe fraterna, de ſermone facto ad Capernaitas. Io.
vi. de gladijs emẽdis, de tollendo ſacculo & pera, de eſu et potu in regno
Dei promiſſo, de abſciſiõe ſcãdali, de die qua Chriſtus celebrauit pha-
ſe, de reſurrectione mortuorũ in paſſione, et intelligẽtia τῶν παραβολῶν. Pau-
linas vero epiſtolas nemo non dicet eſſe in ſenſibus profundiſſimas, niſi
ille, q ſenſu careat, expersq́ʒ omnis difficultatis ſit, aut eas a limine dun-
taxat ſalutauerit, q̃ppe quarum immenſa obſcuritas non parũ negocij
Hæreticis exhibuit a principio naſceatis Eccleſiæ vſq́ʒ in præſens ſecu-
lum. Quot ſunt in eis tropi? quot voragines? q̃t conciſiones? q̃t hyper-
bata? quanta uocabulorum multiplicitas, et ſententiarum libertas? Quã
eſt Paulus reconditus in epiſtola ad Romanos; quam liber in epiſtola
ad Galatas: quam redundans eruditiõe et pietate in epiſtola ad Ephe-
ſios? quam durus in ea, quæ eſt ad Hebręos? quã deniq́ʒ varius & pro-
fundus in alijs? Loquatur Hierony. Quoties (inquit) Pauli epiſtolas le- Hieron.
go, videor mihi non verba audire, ſed tonitrua, maxime ad Romanos,
ad Galatas, et Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus, quam
dexterrimum agit artificem? quam prudens? quam diſſimulator illius
q̃d agit? Videntur in eo quædã verba ſimplicia, & quaſi innocentis ho-
minis, ac ruſticani, & q nec facere, nec declinare nouerit inſidias, et quo-
cunq́ʒ reſpexeris fulmina ſunt, hæret aliquando in cauſa, capit omne q̃d
tetige-

tetigerit,tergum vertit,vt ſuperet,fugā ſimulat,vt occidat. Sed de epi-
ſtola ad Romanos,et eius recondito ſenſu in explicatione quæſtionum
Hieron. Damaſ. epiſtola xv. ad eundē ſpecialius loquitur,his verbis: Tota qui-
dem ad Romanos epiſtola interpretatione indiget, & tantis obſcurita-
tibus inuoluta eſt vt in intelligēda ea, ſpiritus ſancti indigeamus auxi-
Petri 2 lio. Sufficiat pro earū difficultate ponderāda vnicū principis apoſtolo-
rum teſtimonium adduxiſſe. In quibus(inquit) ſunt quædam difficilia
intellectu,quę indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcriptu-
ras,ad ſuam ipſorū perniciem. q̄d noſtro magno malo hodie in his per-
August. turbatoribus religiōis experitur Eccleſia. Quamob cauſam,ſi Auguſti-
no libro de fide & operibus credimus, idem Petrus apoſtolus alteram
ſuarum epiſtolarum,& Iacobus etiā ſuam cōſcripſere:ne.ſ.ſimplices dif-
ficultate & obſcuritate verborū Pauli(maxime in ijs, quæ de fide ſola
cōſtruit)offenderentur. De Petri vero & aliorum apoſtolorū ſcriptis,
Hieron. ſic diſſerit idem Hieronymus: Iacobus, Ioannes, Petrus & Iudas,ſeptem
epiſtolas ſcripſerunt,ſuccinctas & breues in verbis, ſed longas in ſentē-
tijs,vt rarus ſit qui in earum lectione non cœtutiat. Apocalypſis Ioānis
tot habet Sacramenta q̄t verba. Accedit ad hęc varietas codicum, di-
uerſitas diſtinctionum,difficultas vocabulorum cōfuſe ſignificantium;
vnde etiam emerſit,ſicut in hebræis,translationum diuerſitas,et lectio-
num differētia,hebraiſmi ſimul cū gręcitate cōmixti, quibus abūde ſca-
tet nouum teſtamentum. Quo igitur ſe vertet merus Grāmaticus, et
idiomatum quātumuis callentiſſimus? Quid hic aget ſciolus et ſuper-
ciliosus linguatarius? Addat etiam ſi volet ſuæ literaturæ inueſtigandi
ſolertiam,acre iudicium,et doctrinarum peritiam,et iuge exercitium,ꝙ
conferat locos locis,cōiungat antecedentia conſequentibus, adhuc ta-
men longa ei via terenda reſtabit:multa enim ſunt quæ ſemel dicuntur
in ſcriptura,quæ conferri non poſſunt cum ſibi ſimilibus. Et quamuis
alio loco inueniatur phraſis orationis,vel dictio ſimilis, cum hæc varie
nonnunꝙ ſoleant accipi,qs decernet,vtrum eadem ſignificatione vtro-
biꝙ capiatur,an in diuerſa? maxime quando hoc vel illo modo expo-
nere,ordini literæ nō repugnat,id q̄d ſæpenumero cōtingit. Non ſuffi-
cit ergo literas ſolum noſſe,quæ ſæpiſſime legētes et nimiū illis inhæ-
rentes occiderunt. Verba ſunt ſemper viſionis, verba libri ſignati, qui
cum literatoribus offeratur,ingenue fateri poſſunt (ſi ſobrie ſapiunt) ſe
illum plane non intelligere,ſignatus enim eſt, ſeptemꝙ ſigillis clauſus.
Et niſi liber aperiatur ab eo qui clauem Dauid habet, Agnus occiſus
ab origine mundi,qui ſolus inuētus eſt,qui librum aperiret, & ſpiritus
eius aſſiduis orationibus, et gemitibus inenarrabilibus aduocetur, &
Eccleſiæ ſenſus teneatur,non eſt quod de ſua priuata induſtria gloriari
poſſit carnalis & animalis homo. Hunc ſenſum quia non receperūt,nec
hodie

hodie recipiunt perfidi & cæci Iudæi, craſſiſſimum habent velamen in
oculis cordium, vt legentes ſcripturam non videant, & audientes non
intelligant. Iuxta D. Eſaiæ vaticinium, quamquam (ſi Deo placet) de
mortuæ literæ cognitione ſuper omnem Eccleſiam glorientur, & nos
omnes quaſi non intelligentes et ſtupidos truncos deſpiciant. Si enim
idiomatũ peritia non diſtinguerentur a dono intelligentiæ & prophe-
tiæ, nunquã hæc poneret Apoſtolus, tanq̃ ſpiritus ſancti munera di- Apoſtol.
ſtincta. dicit enim 1. Cor. xij. loquens de ſpiritus ſancti donis: Quod alij
datur prophetia, alij diſcretio ſpirituũ, alij genera linguarum, alij inter-
prætatio ſermonũ. Hæc autem (inquit) operatur omnia, vnus atq; idem
ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Nec ſi aliquid arcani & homini-
bus carnalibus intellectu valde difficile non cõtineret ſcriptura, nunquã
ſic oraſſet Pſalmographus, Reuela oculos meos et conſiderabo mira- Pſalmo.
bilia de lege tua. quaſi dicat: amoue ab oculis meis velamen literæ, vt
ſpirituali ſenſu legis tuæ, videam aliud agi, aliud ſignificari. Et in eodẽ:
da mihi intellectum Domine, et ſcrutabor legẽ tuam. mirabilia teſtimo
nia tua Domine, ideo ſcrutata eſt anima mea, Declaratio ſermonum
tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Non abs re nobilis ille Acto. 8
Eunuchus euangelicus, cum in manibus haberet Eſaiã prophetam, &
Philippus Domini diſcipulus ab eo ſciſcitaretur vtrũ intelligeret quod
legebat, reſpondit: Et quomodo poſſum intelligere, ſi non aliquis oſten
deret mihi? Rogauitq; Philippũ, vt currum ſecũ conſcenderet: qui per
ſpiritum ſanctũ interpretatus eſt ei locũ Eſaiæ de Chriſto. Cuius Eunu-
chi perſonã Chriſtiane ſatis non veritus eſt, in ſe transferre D. Hieron. Hieron.
in epiſtola ad Ambroſiũ: Ego (inquit) vt de me loquar, neq; ſanctior
ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior. oſtendẽs ibi neminẽ per ſeipſum poſ- 1. Cor.
ſe arcana ſcripturæ rimari. Conſtans eſt Pauli ſententia: animalis homo
quantũuis ſit humanis adminiculis, et naturæ et artis dotibus ornatus,
non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Nam cũ iuxta Petri ſententiam,
ſpiritu ſancto inſpirati locuti fuerint ſancti Dei homines, fieri non poteſt
vt ſine Dei ſpiritu intelligantur, quæ ſpiritualia ſunt. Sunt.n. ſermonis
interprætatio et prophetia (vt diximus) peculiaria & diſtincta ſpiritus
ſancti dona: quæ natura nec arte conſtare poſſunt. Vnde beatus Bern- Bernhar
hardus ad fratres de monte Dei: Quo ſpiritu (inquit) factę ſunt ſcriptu- dus.
ræ, eo legi debent, & ipſo etiam intelligendę ſunt. Nunquã ingredieris
in ſenſum Pauli, donec vſu bonæ intentionis in lectione eius et ſtudio
aſſiduę meditationis, ſpiritũ eius imbiberis. Nunq̃ Dauid intelliges, do-
nec experiẽtia ipſorũ Pſalmorũ affectu induaris. hactenus Bernhardus.

Item ſi obſcuræ nõ eſſent ſcripturæ, nõ dixiſſet Chriſtus, ſcrutamini
ſcripturas. Res enĩ quæ ſcrutinio eget, non eſt obuia, nec clara omnibus. Luca 24
Etſi ſine ſpiritu Dei intelligi poſſent, nõ apuiſſet ipſe ſenſum apoſtolorũ,

vt ſcri-

Malach. vt ſcripturas intelligerent. Nec dixiſſet Malachias, Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem reqrent ex ore eius. Non eſt hæc obſcuritas in ſcripturis, euentu aut caſu aliquo, ſed diuino procurata conſilio: ea.n.noſtra exercetur ignauia, humiliatur ſuperbia, & augetur diligentia: ſuauius capimus quæ venamur, & magis hærent quæ cum labore cognoſcuntur: et ex ſcripturæ difficultate multas intelligentias pro morum inſtitutione nanciſcimur. Hinc ſingultus illi aſſidui, frequentes lachrymæ, orationes cōtinuæ, ſeceſſus, mortificatio, & diligentia ſanctorum, qui in enodandis ſacris ſcripturis egregiā operam nauauerunt: hoc ipſum ſapienter intelligentes, fruſtra.ſ. laborare humanam induſtriam, Origen. niſi ſpiritus ille cœleſtis aduocetur, qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Inter quos ſic auſpicatur Origenes, ſeu Hieronymus, ſeu quiſqs ille fuit author, quatuor homiliarum ſuper Cantica, quæ in iiij. epiſtolarum eiuſdem Hiero. continentur, expoſiturus illud, Similis eſt dilectus meus Capreæ: Inuocemus patrem verbi, qui nobis verbi ſui manifeſtet arcana, ſenſumq; noſtrum remoueat a doctrinæ humanæ ſapientiæ, & exaltet atque eleuet doctrinam ſpiritus: vt non ea quæ ſentit carnalis auditus, ſed ea quæ continet voluntas ſpiritus ſancti loquamur. Idcirco ſancti viri præter eximios duces quos ſibi ſequendos deligebant, vt Timotheus, Titus et Lucas, Paulum: Dionyſius, Clemens, Linus et Anacletus, Petrum: Ignatius, Policarpus, Papias, Ioannem: Papiam, Tertullianus: Pantenum, Origenes: Dionyſius alexandrinus, Originem: Timotheus, Dionyſium athenienſem: D. Cyprianus, Tertullianum: Euſebius, Dorotheum Antiochiæ antiſtitem: Hieronymus, Dydimum & Gregorium Nazianzenum: Cyrillus, Theophilum: Auguſtinus, Ambroſium: Oroſius et Primaſius Auguſtinū: terras inſuper longinquas luſtrabant, purgationi vitæ et orationi ſedulo inſtabant, adhibita præter hæc diligentia & ſtudio minime vulgari, quatenus preciosiſſimam hanc Margaritā ſibi compararent, et ad cœleſtem diſciplinam indies habiliores redderentur. De Gregorio Nazianzeno legimus, quod remotis omnibus ſecularibus libris, & mundialibus curis, ſoli ſcripturæ diuinæ & orationi vacauerit. neque hoc ex propria præſumptione, ſed maiorum ſcriptis fretus, & autoritate ductus. Nota eſt omnibus D. Hieronymi diligentia, qui vt alter Pythagoras maiorē fere mundi partem peragrauit, vt hanc poſſeſſionem cum fructu acquireret. Neminem etiam latent, quæ de recta Theologizandi ratione præfatus Gregorius Auguſt. ſcripſit, graduſq; illi præparatorij, quos Auguſtinus in libris de doctrina Chriſtiana ad conſcendendū diuinæ ſapientiæ culmen digeſſit. Is libro de moribus Eccleſiæ, qualis eſſe debeat diuinæ ſapiētię ſectator, his verbis aperuit: Sacræ ſcripturæ expoſitio petēda eſt ab ijs, qui doctores ſe profitentur. & infra: Diligentia et pietas ab inquirente adhibenda eſt:

altero

altero fiet, vt ſcientes inueniamus, altero, vt ſcire mereamur, id q̃d opere & ſermone omnes ſancti nemine diſcrepante docuerunt. Irenęus namq; libro primo capite quadrageſimo ſeptimo, talem profert de hac re ſententiam: Si in rebus creaturæ, quædam ſunt quæ adiacent Deo (id eſt relicta ſunt illius cognitioni) quædam in noſtram venerunt ſcientiam, quid mali eſt, ſi eorum etiam quæ in ſcripturis requiruntur (vniuerſis ſcripturis ſpiritualibus exiſtentibus) quædam quidem abſoluamus ſecundum gratiam Dei, quædam cõmendemus Deo: & non ſolum in hoc ſeculo, verum etiam in futuro, vt ſemper quidem Deus doceat, homo autem ſemper audiat, quæ ſunt a Deo? Pijſſima certe vox & viro apoſtolico digna ſententia, vix potuit iudicio meo accõmodatior obſcuritatis ſcripturarum adinueniri ratio, quam vt Deus ſemper doceat, & nos humiliter audiamus, & ab eo intelligentiã mendicemus. Quam longe abeſt ſpiritus iſte apoſtolicus, & exiſtimatio vere Chriſtiana a ſuperbis ſciolis noſtræ tempeſtatis, impoſtumis logodædalis, & factioſis hæreticis, qui ἐκ τῆς παιδοτριβίας ad primas Eccleſiæ cathedras vſurpandas aſſumpti, repente ſe putant in magnos euaſiſſe theologos. Ludunt in ſcripturæ campo, laſciuiũt ſchematibus, variant lectiones, luxuriantur copia et loquacitate. Ad hęc etiã, ſi dijs placet, de arduis fidei dogmatibus audẽt proferre cenſuram: ob id ſolum quod Luciani dialogum, aut Heſiodi carmen pueris nouerunt exponere, & quinq; capita Pauli epiſtolæ ad Romanos, & ad Galatas iuxta Lutheri corruptam intelligentiã, putant ſe poſſe interprętari: quaſi tota ſumma intelligentiæ diuinæ ſcripturæ, in ijs quæ pueri aut infideles ad vnguem callere poſſunt collocaretur. ſuperba ſane, & pernitioſa exiſtimatio. Quis enim negabit Origenem, Gregorium Naziãzenum, Baſilium, Chryſoſtomum, Cyrillũ, vt interim de Latinis autoribus taceã, & alios Græcos patres omittam, his nouis Gręculis, qui noſtra tempeſtate Eccleſiam turbarunt, longe in Græcis literis & ſapientia doctiores et grauiores, qui ab externis autoribus minime mendicantes, in media Græcia nati, Athenis enutriti, a Gręcis philoſophis edocti, Atticum leporẽ, quẽ quaſi maternũ habuerunt (vti teſtantur eorũ monumenta) ſimul cum ſapientia coniunxerunt, & magna laude docuerunt? Qui nihil tale ſenſerunt, quale ab iſtis nũc deliratur: nec ob id ſuperbierunt, aut in mirabilibus ſuper ſe ambulauerũt, ſed magna humilitate orationi et vitæ purgationi vacantes, et maiorũ veſtigia inſequentes, in ſcripturarum intelligentia magnopere profecerunt, et quia non cognouerunt literaturam in ea fidentes, inpotẽtias et ſecreta Dei introire meruerunt. Audi, ſi placet, non me, ſed ipſos ſanctos, de hac re conteſtatos. Origenes ſuper Cantica Canticorum: Neceſſe (inquit) eſt eum, qui ſcripturas ſacras deſiderat intelligere, cum labore contendere, vt non iuxta carnẽ & ſanguinẽ conuerſetur, quo poſſit

Irenęus

Origen.

dignior fieri ſpiritualium ſecretorum. Idem Homilia duodecima ſuper Exodum: Non (inquit) ſtudiũ ſolum nobis adhibendũ eſt ad diſcendas ſacras literas, verum & ſupplicandum Domino, & diebus ac noctibus obſecrandum, vt veniat agnus ex tribu Iuda, & ipſe accipiens librũ ſignatum dignetur aperire. Et ſuper 1. pſalmo ad Ambroſ. concluſas & obſignatas dicit eſſe diuinas ſcripturas, claue Dauid, & ſigillo ipſius, q̃ ipſas dedit. Neq; id ſolũ de Apocalypſi Ioannis, vel Eſaia propheta affirmat, ſed de omni ſcriptura diuina, quã dicit eſſe refertã innumeris difficultatibus, quas humana mens ægre cõprehendere poteſt. Gregorius vero Nazianzenus primo ſuæ Theologiæ libro, non omniũ dicit eſſe, etiã ſi idiomata calleant, de diuinis oraculis diſſerere, ſed eorũ (inqt) qui inter multos habito delectu ad tãtum munus videnẽ idonei. Qui vero ſint tales, ipſe declarat: qui (inquã) contẽplandi acumine cæteros antecellunt, q̃ iam ante corpus et animã ab affectu purgarunt. Magnus etiã Baſilius epiſtola de vita ſolitaria, eleganti cõparatione hoc ipſum confirmat: Quemadmodũ (inquit) in cera quis ſcribere non poteſt, niſi characteres impreſſos ante deleuerit, ſic nec anima diuina dogmata deguſtare, niſi priſtinos ex animo mores penitus deſtruxerit. Nec hoc ſolum docuerunt iſti duo viri grauiſſimi, ſed opere ipſum cõpleuerunt. Legimus enim xi. hiſto. tripart. libro, iſtos hos duos ſanctos patres, per duodecim annorũ ſpacium ambos in cœnobio quodam cõmorantes, ſcripturas oẽs euoluiſſe, et earũ intelligentiã non ex propria pſumptiõe venatos eſſe, ſed maiorũ doctrinã & autoritatẽ ſequutos fuiſſe. Epiphanius, cui tantũ ſanctitatis & doctrinæ tribuit in ſuis epiſt. D. Hieronymus, in cõpendiaria de fide doctrina, quam ædidit, nõ literas ſolum callentibus, ſed ſpiritu abundãtibus ſcrutiniũ ſcripturarũ cõmittit: Conſideremus (inqt) virtutem ſcripturæ, ne fiat nobis litera mors. Litera eñ occidit. in litera eſt vita, occidit autẽ imprudentem ad literã accedentem, et non habentem ſpiritum interpretantem, qui literã aperit, & q̃d in ipſa eſt reuelat. Hæc ille. Bone Deus, quot vidimus noſtra ætate miſerabiliter vulneratos, et ab Eccleſia in varias hæreſes diſtractos, hoc ſolo, quod viribus ingeniĳ cõfiſi, literę cortici adhærentes, & ſpiritus ſancti lumine carẽtes, ad ea q̃ ipſe ſpiritus p Traditionẽ in Eccleſia docet, nõ attenderunt? Subſcribit & huic noſtræ aſſertiõi, ille vere aureus et eloquentiſſimus Ioannes Chryſoſtomus Homilia xxi. in Geneſim: Nihil hic (inqt) ſcriptũ eſt, q̃d non multas ſenſuũ habet diuitias, quandoquidẽ diuino ſpiritus afflatu Prophetæ locuti ſunt, ita vti a ſpiritu ſcripta, ingentem in ſe continent theſaurũ. Et paulo inferius: Neq; enim vel ſyllaba (ait) vel apiculus eſt in ſacris literis, in cuius profundo non ſit nobis quiſpiã magnus theſaurus. Proinde nobis opus eſt, vt diuina gratia ducamur, vt ſpiritu ſctõ illuſtrati, eloqa diuina adeamus. Et ne putet aliqs, huma-

Nazianzenus

Baſilius

Hiſtoria tripart.

Epipha.

Chryſ.

humanis ſolum adminiculis tantum theſaurum poſſe ſibi comparare,
adiecit ſacer ille autor: Neque opus habet diuina ſcriptura hominum ſa-
pientia vt intelligatur, ſed reuelatione ſpiritus, vt hauſto inde vero ſen-
ſu, magnum nobis hinc lucrum accreſcat. Hactenus Chryſoſtomus. qui
quanti fecerit humana præſidia in intelligentia ſcripturę, aperte ſatis de-
monſtrauit. Iam accedat Eccleſiæ græcæ vltimus et irrefragabilis teſtis,
qui dictis prædeceſſorum ſuorum quaſi Colophonem addat, ſanctus Cyrillus
ſcilicet pater Cyrillus, qui non ſolum rudibus et mediocri ingenio præ-
ditis, et exercitatis, ſed ſanctis et doctis viris plenam diuinę ſcripturę in-
telligẽtiam denegat, libro quinto ſuper Leuiticum: Sciendum (inquit)
quod ex hoſtijs, quæ offeruntur et conceduntur ſacerdotibus ad eden-
dum, non penitus omnia conceduntur. Sed pars ex ipſis aliqua Deo of-
fertur, et altaris ignibus traditur. Vt ſciamus etiã (inquit) nos, quod etſi
cõceditᷣ nobis aliqua ex diuinis ſcripturis apꝓhendere et agnoſcere, ſunt
tamen aliqua, quæ Deo reſeruanda ſunt, quę cum intelligentiam noſtrã
ſuperant, ſenſuſqꝫ eorum ſuper nos ſit, ne ſorte aliter nobis, quam ſe ha-
bet veritas proferãtur, melius igni iſta reſeruamus. Hucuſque Cyrillus.
Vbi ergo eſt totius ſcripturæ diuinæ claritas, quam prædicant aduer-
ſarijꝰ tum tota iſtorum ſanctorum cohors difficilem, obſcuram, & pene
impenetrabilem aſſerat. ſed clara forte iſtis eſt, quia ſpreta Traditionis
antiquitate, & ſanctorum Patrum, et Eccleſiæ magiſterio, pro libito ſuo
quicquid in buccam venerit effutiunt. Conſonat etiam cum his ſanctis
& noſtra veritate, doctorũ Eccleſiæ latinæ chorus venerandus. Senſum
D. Irenæi iam vidimus ſuper hac re. Tertulliani quoqꝫ ſententiam in-
telleximus. D. Clementis verba poſtmodum in quinta aſſertione affe-
remus, qui non per nos ipſos ſolum, ſed per Traditionem ſcripturę intel
ligi debere autumat. nunc audiamus alios, ne toties eoſdem locos vide-
amur repetere. Sanctus pater Hieronymus non vno in loco ſuorũ ope-
rum veritati noſtrę ſuffragatur. teſtimonia duo vel tria inſigniora quę- Hieronymus
que magis ad rem facere vidẽtur, producamus: Primum eſt in prologo Studium in
ſuper libro Paralipomenon: Fateor (inquit) mi Domnion & Rogatiane Sacris lris.
chariſſimi, nunquã me in diuinis voluminibus, proprijs viribus credi-
diſſe, neque habuiſſe opinionem meam, ſed etiam de quibus ſcire me ar-
bitrabar, interrogare me ſolitũ, quãto magis de ijs de qbus anceps erãꝰ
Quæ vt certius calleret, aperte oſtẽdit qd fecerit homo ſanctiſſimus ſup
epiſtola ad Epheſ. cui acerrimum ingenium, idiomatum perjtia incom-
parabilis, atqꝫ humanæ ſapientiæ nõ curta, ſed abundãs ſupellex inerat.
Ab adoleſcentia (inquit) non ceſſaui aut legere vnquã, aut doctos vi-
ros quæ neſciebam interrogare, neqꝫ me ipſum tantum habui magiſtrũ,
ſed ob hanc rem Alexandriam perrexi, vt viderem Didimum, & ab eo Didimus.
in ſcripturis omnibus, quæ habebã dubia ſciſcitarer. Sed de difficultate

diuinarum ſcripturarũ,in epiſtola ad Paulinum ſpecialius pater hic venerãdus diſſerit,in hæc verba:Audi mi cõſerue amice Germane,auſculta pauliſper,totum quod legimus in diuinis libris, nitet quidem & fulget in cortice,ſed dulcius in medulla eſt:qui edere vult nucleum,frangat nucem. Reuela,inquit,Dauid oculos meos,& conſiderabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ profitetur,qua nos putas paruulos & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non ſolum in facie Moyſi,ſed in euangeliſtis & apoſtolis poſitum eſt,cum turbis ſaluator in parabolis loquebatur, & conteſtãs myſticum eſſe q̃d dicebat,aiebat:qui habet aures audiendi,audiat. Et niſi aperta fuerint vniuerſa quæ ſcripta ſunt ab eo q̃ habet clauem Dauid, qui aperit,& nemo claudit,claudit,& nemo aperit, nullo alio reſeruante pandentur.Hæc Hieronymus.

Ambroſius. Quid de D. Ambroſio dicam, qui libro vij. epiſtola xliij. Magnũ mare ſcripturam diuinam vocat,habentẽ in ſe abyſſum ſenſuum profundorum, & in quam plurima intrant flumina?

Auguſt. Nec ab his,ſanctus Auguſtinus diſcedit, imo magnopere huius negocij difficultatem extollit in pleriſq; ſuæ doctrinę locis.adducamus aliquot,& pręcipuos lib. v. ſuper Geneſim:Sacra ſcriptura(inquit)altitudine profundos & ſuperbos irridet, & profunditate ſua attentos retinet. Magnos,veritate inſtruit,paruos affabilitate nutrit. In libro de doctrina Chriſtiana fatetẽ obſcuritatẽ ſcripturæ a ſpiritu ſancto fuiſſe procuratam,vt nõ patefierent ſecreta indignis,& vt a nobis remoueret Deus ſuperbiam,& earum paruipendium tolleret. Epiſtola vero tertia ad Voluſianum,mira nobis aperit de ſtylo,quem in diuina ſcriptura ſpiritus ſanctus ſeruauit:Modus(inquit)ipſe dicendi quo ſacra ſcriptura cõtexit,quãuis omnibus acceſſibilis,tamẽ pauciſſimis penetrabilis:ea quę aperta continet,quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor doctorum atq; indoctorum loquitur:ea vero quæ in myſterijs occultat, nec ipſo eloquo ſuperbo erigit,quo non audeat accedere mens tardiuſcula et inerudita, quaſi pauper ad diuitem. Sed inuitat omnes humili ſermone,quos non ſolum manifeſta paſcat,ſed etiam ſecreta exerceat veritate:hoc in promptis,quod in reconditis habens:ſed ne aperta faſtidirentur, eadẽ rurſus operta deſiderantur:deſiderata, quodammodo renouantur: renouata, ſalubriter intimantur. Et paulo poſt circa finem ait:Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarũ,vt in eis quotidie proficere poſſemus, ſi eas ſolas ab ineũte pueritia vſq; ad decrepitã ſenectã maximo ocio,ſummo. ſtudio, meliori ingenio conarer addiſcere.

Grego. D. Gregorius Tractãs illud Canticorũ(Fons hortorum, puteus aquarum,)Sciendum(inqt) quod ſcriptura diuina in quibuſdam manifeſta exiſtens, in quibuſdam vero locis obſcuram ſe præbens, aliquando leniter ſicut fons potatur, aliquando magna inq̃ſitione eget, vt inuenta ſumatur. Et ſuper Ezech.

Homil.

Homil. vi. Magnæ vtilitatis (inquit) eſt ipſa obſcuritas eloquiorũ Dei,
quia exercet ſenſum, vt fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod
capere non poteſt ocioſus: habet quoq; adhuc maius aliud, quia ſi ſcri-
pturæ ſacræ intelligentia in cunctis eſſet aperta, vileſceret, quæ in qui-
buſdam locis obſcurioribus tanto maiori dulcedine inuenta reficit, quã-
to maiori labore fatigat animum quæſita. Sanctus Iſidorus idipſum cõ- Iſidorꝰ
firmat libro ij. de ſummo bono: Ratio (inquit) per quam fit hæreſis, ob-
ſcuritas eſt diuinarum ſcripturarum, in qua caligãtes hęretici aliud quã
ſe res habebat intelligunt. Bernhardus ſuper Cantica idem hoc aſſerit: Bernhar.
Ab imperitis, ait, indigne lectio ſacrę ſcripturæ præſumitur, ante ſpretã
& abiectam ſeculi pompã, ante carnem diſciplinæ ſtudijs edomatam, et
ſpiritui mancipatam: ſicut enim in caſſum circumfundit lux oculos cæ-
cos, ſic animalis homo non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei. Non enim
hæc lectio docet, ſed vnctio: non litera, ſed ſpiritus: non hominis erudi-
tio, ſed exercitatio in mandatis Dei. Tempus me deſereret ſi exempla
omnia & dicta ſanctorũ ſuper hac re vellem recenſere: recenſui autem
hæc, abſq; vlla amplificatione, qa ſoli proculdubio lumen inferre velle
videretur, q tam clara peruiaq; teſtimonia, alijs q; proprijs ſuis verbis
voluiſſet lucidiora facere. Et licet nõnulla ex ijs de guſtu tantũ myſte-
riorum ſcripturę videant̃ loqui, omnes tamen fere de intelligentiæ diffi-
cultate, & interioris & ſuperni luminis neceſſitate, aptiſſime nos inſtru-
unt. In ſumma, nemo ſanctorum doctorum hunc campum intrauit, niſi
mundus, purgatus, & a negocijs ſecularibus abſtractus. Nec putabant
ſe idoneos ad verbi Dei intelligentiam, hoc ſolo q̃d linguas callerent, et
regulas eruendorum ſenſuum præ manibus haberent, ſed qa Deo pro-
pinquiores per ſpiritualem profectum ſe eſſe cognoſcebant, vel ſaltem iã
proficerę ſe in vita ſpirituali credebant.

Sed quid ego in recenſendis præteritarum ætatum dictis et exem-
plis ſuper hac re moror? cum abunde nobis ex aduerſariorum confuſis
& inter ſe pugnãtibus doctrinis, propter diuerſas de quibuſdã ſcripturæ
locis ſententias, exempla ſuppetant? Lutherus Hęreſiarcha peſtilentiſſi- Lutheri
mus, cum fidem illam ſuam ſolitariam, iuſtificantem, quam Paulo falſo
tribuit, in principio cœpit prędicare, in magnam ſuorum Germanorum
pernitiem, amorem Dei, & omne legis opus a negocio iuſtificatiõis ex-
cluſit, verbis Pauli (vt ipſi videbatur fretus) quemadmodum patet ex
eius ſcriptis, maxime libro de libertate Chriſtiana, et varijs locis cõmen
tariorum ipſius in epiſtola ad Galat. Subſequentes tamen eius errorum
fautores ab ipſa veritate, et noſtratium argumentis conuicti, re ipſa illi
aduerſi, licet verbis conuenientes, charitatem cum fide neceſſario quodã
a ſe ficto glutino connectunt: cum fidem illam iuſtificantem viuam ap-
pellent, & quæ motus efficaces habeat erga Deum: quod ſine cha-

ritāte minime fieri poteſt,hoc ipſum(licet contrarium) tentantes (ſicut ille)ex eadem ſcriptura probare. Rurſus idem Luther in aſſertionibus ſuis,Articulo xxvi.xxxvi. Aſſeruit liberum arbitrium,rem eſſe de ſolo titulo,dicens:Liberum arbitrium figmentum eſt in rebus,vel vanus titulus ſine re:quia nulli eſt in manu ſua cogitare quippiā aut mali aut boni,ſed omnia,inquit,(vt Vuiclephi articulus Conſtantiæ dānatus recte docet)de neceſſitate abſoluta eueniunt. Inſuper eidem libero arbitrio denegat actionē,et quod mere paſſiue,in omnibus quę vult et nō vult, ſe habet.qd ex multis locis Pauli,& Teſtamenti veteris,pręſertim Deuteronomij,nititur probare.et tamē poſtea eius coniurati ex eadē ſcriptura contrariā colligunt ſententiā,actionem & libertatē iam concedentes libero arbitrio in bonis et fructuoſis operibus,vt ex eorū libris conſtat. Præterea præfatus Luther prius docuit omnes Chriſtianos eſſe liberos a quacunq; poteſtate, ſiue eccleſiaſtica, ſiue laica, vt colligitur ex libro ſecundo de ſeculari poteſtate,aduerſus regem Angliæ: quod ſcripturis putat ſe validiſſime probare. Vnde cœpit Anabaptiſtarum & Zvuinglianorum commentum,et multorum in Germania cædes atq; rebellio ſubſequutæ ſunt,ſed poſtea ipſe et temperatores eius,in odium eccleſiaſticæ poteſtatis,et gratiam ſecularium magiſtratuū,ſententiam et locos ſcripturæ,quibus fretus Luther illud affirmabat, pro ſuo lubito attemperarunt.et eccleſiaſticis magiſtratibus reiectis,ſeculares(quos fruſtra abolere tentarunt) ſibi iam propitios ad cœlum vſq; extulerunt, omniaq; munia eccleſiaſtica et prophana ab eis exequi poſſe male ſuaſerunt,quaſi illis eſſet cōmiſſa totius Eccleſiæ cura atq; gubernatio, & non potius regi ab alijs, qui ſecundum Eccleſiæ ordinē præſunt,et gubernari datum eſſet. Ad hæc, in libro de ſeruo arbitrio aſſeruit, nihil difficultatis eſſe in ſacris literis,& iactans ſe,in eis nihil ignorare, omnes prouocat,vt oſtendant ſibi aliquem ſcripturę locū, quem ipſe non poſſit interpretari,magnumque Oedipum,ſeu cœcum Tireſiam ſuperbiſſimumque diuinatorē agens,antiquiores, & a Deo illuminatos viros ſanctiſſimos,ſe longe doctiores,de cœcitate notauit. Et alibi etiam docuit in expoſitione ſcripturæ,ad ſolam Grāmaticam,ſimplicemque vocabulorum ſignificationem eſſe recurrendum. Sed in præfatione ſuper Pſalmos,ſui forte oblitus magnus hic Apoſtolus, oppoſitā omnino tenet ſententiā. Dicit enim:Pſalterium profiteor,verū ita profiteor,vt nolim ab vllo id de me præſumi,quod nullus adhuc præſtare potuit ſanctiſſimorū & doctiſſimorū,id eſt,Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere & docere,ſat eſt aliqt & eoſdē ex parte intellexiſſe:multa ſibi reſeruauit ſpiritus,quo nos ſemper diſcipulos habeat:multa ſolū oſtendit vt alliciat,multa tradit,vt afficiat. Et infra,poſtq̄ allegauit Auguſtinum ad hoc, ſubiunxit: Quocirca, ingenue me confiteri oportet,

Antilogię Lutheri.

me

me ignorare,an legitimam habeam Pſalmorum intelligentiam. Et paulo poſt: Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri vnum librum ſcripturæ a ſe in omnibus partibus intellectum. Et cum exponit Pſalmũ decimũ nonum,ait:Expoſuimus hunc Pſalmũ de rege quocunque, et nec dum certus an legitimũ ſenſum attigerit,iudiciũ interpretationis ſuæ reijcit in lectorem. Rurſus Pſalmo viceſimo fatetur ſe incertum eſſe,an de Chriſto ſolo,an de alio rege debeat intelligi. Alibi etiam magno ſtomacho inuehitur in hebræos rabbinos, dicens, eos fuiſſe corruptores ſcripturæ. Nec ad omnes has antilogias aſſerendas deerat homini in ſcriptura (vt ipſi videbatur haud ignauiter verſato) verbi Dei autoritas,diſtorta tamen,& male intellecta, qua ſcilicet mendacia conſarcinaret,&contradictiones aſſereret. Et niſi duos homines in eo fingas: vnum ſobrium, & alterum temulentum ſeu arrepticium, maniſeſto ſibi ipſi in multis dogmatibus contradicit, maximus & primus Proteſtantium pater. In quam ſententiam facile adducor, quia neminẽ ex ſcriptoribus magis volubilem & inconſtantem offendi in ijs, quæ ſemel affirmauit, aut negauit: argumentum ſane falſarij, & adulterini dogmatiſtæ. Iam intelligebat,iam ignorabat,iam aiebat,iam negabat,neſciebat quo ſe verteret miſer & delirus homo,& merito quidem: nam de ſpiritu ſuo non erat,quod confideret, qui toties eum fefellerat, & in eius ſcriptis miſerrime vacillare fecerat,et mutare millies ſententiã coegerat,haud aliter,quã ſolent hi,qui Chronica,& inſanabili infirmitate laborant, cum certis Criticis diebus violento aliquo παροξυσμῷ exagitantur,nouis codicillis reuocant antiqua Teſtamenta. Nullum nouũ librum ædebat hic falſus euangelicæ libertatis aſſertor, in quo alias a ſe affirmatum aut negatum non reuocaret,nil in eius libris nouiter æditis, magis frequens et obuium eſt, quam prioris ſententiæ reuocatio. Hoc volo (inquit) quod iam teneatur (hac enim loquendi formula peculiariter vtitur) tam erat ei in manu fidem & religionem moderari. Omitto hic Anabaptiſtarum & Sacramentariorum cum Lutheranis interminabiles concertationes, ex ipſius ſacræ ſcripturæ locis ſubortæ, & quidem in rebus tanti momenti, vt de vera & reali exiſtentia corporis Chriſti in Sacramento altaris, de Chriſtiana libertate, de effectu Baptiſmi in paruulos, de regno ſpiritus ſancti, & multis alijs, in quibus per ipſam ſcripturam a nobis, & a vetere Eccleſia, & a ſeipſis etiam diſſident, & vſque ad pugnos contendunt. Quare dictis & factis ſuis coguntur aduerſarij fateri, magnam et pene inſuperabilem eſſe in ſcripturis ſanctis difficultatem. Porro ſibi vindicare claram ſcripturarum noticiam,in quibus tot viri ſanctiſſimi hæſerunt,et ceſpitarũt,et ſuper quorum intellectu multi viri ingenio clari, doctrina non vulgari præditi,tam graues,et pene interminabiles ſuſcitãt

D iiij quæſtio-

quæſtiones,nec has de lana(vt aiunt)caprina, extremæ dementiæ mihi videtur:nec minor eſt meo quidem iudicio, quam ſi multi homines in eodem medio,& in eadem diſtantia ſanas habentes viſiuas facultates, eaſdemq; apertas & ad vnum materiale et corpulentum obiectum attentas,quod in omnium proſpectu eſt:vnus inter eos auderet affirmare album eſſe,alijs omnibus ſerio & vere illius corporis albedinem ſe videre negantibus. Quo fit vt execrandum, atq; ſacrilegum ſit illorum inſtitutum,qui ſcripturam omnibus peruiam eſſe voluerunt, ab omnibuſq; tractari debere,male docuerunt. Non enī eſt omniū ſacram ſcripturam interpretari,neq; cum fructus vtilitate legere. Nam ſi ſpiritualis homo per ſe ſolus poteſt cognoſcere ſenſum Dei (vt diximus) cū nō omnes ſpirituales ſint, nec omnes habeant donum iſtud intelligentiæ, teſte Paulo 1. Cor. xij. ſpiritu ſancto diuidēte ſingula dona prout vult, imo multis in Eccleſia lacte opus ſit,propter eorum ruditatem & imbecillitatem,vt idem Paulus de Corinthijs dicit, nihil illis proderit indifferenter in toto ſcripturæ campo ſpaciari, niſi forte vt laqueos ſibi parent, quibus miſere capiantur, et magnam iniuriā verbo Dei irrogent, illotis(quod aiunt)manibus ipſum contrectando,& præcioſiſſimā margaritam pedibus,id eſt,corruptis affectibus conculcando. Adde q̄d paruulis & rudibus(vt ipſa natura docet) cibaria per parentes debent miniſtrari,& non ipſi ſibi captare,alioquin ſolidum & difficilis concoctionis obſonium,pro leui cibario pernicioſa ignorantia ſibi deſument, vel auiditatis in diſcretione,addent crudum ſuper indigeſtum,in ſuæ ſalutis incommodū,ſatiuſq; eis eſſet fame torqueri, quā male ſaturari. Si enim omnibus indifferenter data eſſet ſcriptura, vt in eius intelligentia verſarentur,fruſtra poſiti eſſent(vt ſæpius diximus) in Eccleſia Dei gradus donorum:vt alij ſint paſtores, doctores, alij prophetæ, ac ſubinde alij auditores. Sed cōtra dicit Paulus, qui hos gradus veluti mēbra diuerſa corporis in Eccleſia coaptat,& omnia omnibus neceſſaria eſſe prędicat, quare neceſſario conuincitur,vt in Eccleſia debeant eſſe qui per alios,& non per ſe proficiant & intelligant: quod Chriſtus redemptor noſter ſubindicauit,cum panes turbis in deſerto per manus apoſtolorum voluit impartiri,& ſeorſum abſq; turbæ arbitris, illis aperiebat regni cœlorum myſteria. Semper Deus prohibuit rude uulgus, & carnales homines a ſcrutinio ſuorum myſteriorum. Vnde Exo.xix. laturus ſacroſanctam legem ſuam,iubet Moyſi, vt populum contineat ab aſcenſu montis. Conſtitues(inquit)terminos populo per circuitum,& dices ad eos:Cauete ne aſcendatis in montē,nec tangatis fines ipſius, omnis qui tetigerit montem morte morietur. Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur,aut confodietur iaculis, ſiue iumentum fuerit, ſiue homo. Hæc verba per Allegoriam tractans, magnus ille Nazianzenus ij.

lib.

Non eſt omnium ſcripturas tractare Apoſtol.

Exodi 19

Nazian.

lib. ſuæ Theologiæ hoc modo nos inſtruit: Verbum Dei ab hæreticis carnalibus & rudibus hominibus abhorret, ac tantum ſolidis ac lapideis tabulis inſcribi dignatur, nimirum q̃d lex partim in aperto eſt, partim inuolucris tegitur, ita vt & vulgus infra montem manens quod intelligat habeat, & electis ac in montis verticem progreſſis, quo exerceantur non deſit, hæc ille. Nec ad aliud propoſitũ ſancti Apoſtoli, et ſucceſſores eorum a Chriſto appellantur ſal & mundi lux, niſi quia per eos cibaria populorum debent condiri, & doctrina ſua tenebras ignorantiæ aliorum diſpellere. Dicere autem non eſſe in Eccleſia homines carnales, prorſuſq; ad cœleſtem philoſophiam per ſe capeſſendam plane ineptos, eſt manifeſto ſcripturæ contradicere, et ſenſibus repugnare: ob id. n. quaſi hos a recte diſpoſitis ſecernẽs redemptor noſter, dicebat cum a promiſcuis turbis audiretur: qui habet aures audiendi audiat, id eſt, qui habent ſapientiam diſcernendi, vt Theophylactus exponit, quam vt non omnes habent, non omnibus debet patere cœleſtis philoſophia. Theoph.

Repræhendunt hoc inſtitutum fere omnes ſancti, quorũ nõnulla teſtimonia eaq; præcipua in medium afferemus, omittentes multa alia, ne lectori in re tam aperta faſtidioſi ſimus. Nazianzenus ille de quo paulo ante fecimus mentionem, primo ſuæ Theologiæ libro, ad hunc modũ de re iſta docet: Non cuiuſuis Chriſtiani eſt de Deo diſſerere, non adeo res hęc eſt vilis, neq; horum qui humi ſerpentes terrenis ſtudijs occupantur: quoniam eorum tãtum eſt, qui inter multos habitu delecto, ad tantum munus videntur idonei, quiq; contẽplandi acumine cæteros antecellunt, q iam ante corpus & animam ab affectu purgarunt. Nam vt parum infœliciter ceſſerit, ſi morboſis oculis in ſolares radios intueri coneris, ita impurus ipſe, ſummã puritatem non ſine periculo attrectabis. Nazianzen. so

Quamobrem D. Baſilius cum coram Valente Imperatore fidei ſuæ rationẽ redderet, inſolentiã cuiuſdã coqui, qui tunc aderat, ſeueriſſime coercuit, eo q̃d homo rudis atq; carnalis, de rebus diuinis auſus eſſet petulanter diſſerere. Quibus vero permittatur ſcripturam ſacram tractare, ſatis eleganter alibi docet idem vir ſanctiſſimus: Non vſq; adeo (inq̃t) vilis eſt ſacræ ſcripturæ ſermo, vt vulgo indocili, et per terram adhuc repentibus homunculis pateat. Quorũ ergo munus eſt pater ſanctiſſime? Eorum (inq̃t) qui ingenium atq; induſtriã ſuam in θεωρίας atque ſcientiæ conſumpſerũt diſciplinis, & eorũ q norunt amotis corporalibus et materialibus, intellectualia & ſpiritualia cõſpicari: ante omnia vero illorũ eſt, q & anima et corpore iam purgati ſunt, vt minimũ, q certe purgantur: q vero minime purus eſt, q̃modo audebit purũ attingere? q̃niam imbecilles oculi ſolis radios ferre non poſſunt. Quas referemus gratias huic patri venerãdo, ꝑ tã claris aduerſus ſcripturę violatores ſacrilegos teſtimonijs? Vix ab iracũdia tẽperare poſſum, cũ Ariſtotelẽ video a Baſilius 1. Ethico.

ſua

ſua carnali et terreſtri philoſophia homines iuuenes moribus merito ar-
cere,quibus paſſiones dominantur,veluti ineptos ad tractandũ de hu-
manis moribus ſcientiam,& Sybillinos libros prudentibus viris ad id
munus delectis Romani tãtum cõmittebant, vulgus ab eorum lectiõe
inhibentes.&q̃d nullã velint differentiã fieri, imo oẽs aptos indiſcrimi-
natim eſſe dicũt Eraſmiani,& Lutherani iſti,nõ ad audiendã modo, ſed
ad tractandã & legendã cœleſtẽ philoſophiã, cõmittendo illam paſſim
immaturis adoleſcentulis,leuibus mulierculis,craſſis ſenibus,ſtultis ve-
tulis,epicureiq; ſenſus hominibus,qui vix fidei rudimenta tenẽt.An pu
tant obſecro, iſti prophetarum oracula faciliora aut indigniora eſſe,q̃
Sybillina folia? aut caſu quodam ꝓphetas tot inuolucris ſuas ſentẽtias
obuoluiſſe? Nõ certe, ſed diuina hoc ꝓcurante diſpoſitiõe: vt niſi ſpiri-
tualis homo & exercitatus, ad earũ intelligentiã poſſet ꝑuenire: et ne ſa-
cra et diuina doctrina ab indignis & carnalibus hominibus ꝓphanaret̃,
Hieron. aut cõculcaretur. Cõquerebat̃ olim de hac re grauiter D.Hiero.q acrius
procul dubio ſtomacharetur,ſi ſuper hac re nouatorꝝ iſtorũ temeritatẽ
conſpiceret. dicit enim in epiſtola ad Paulinũ:Cũ nulla ars ſit q̃ omnes
paſſim ſibi vendicent,hanc(ſcripturarũ videlicet intelligentiam)garru-
la anus,hanc delirus ſenex,hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præ-
ſumunt,lacerant,docent,anteq̃ diſcant. hæc ille. Quo nihil ſane poteſt
contingere inordinatius. nam ſi nec Cytharædus, nec figulus quiſpiam
euadere poſſit,niſi et præeunte magiſtro et induſtria,et ſpacio temporis,
et aſſidua exercitatione,niſi denique humiliter ſe maioribus illius artis
ſubdiderit,quomodo in ſola hac arte ſanctiſſima,erunt omnia confuſa,
& inter docere et doceri nulla differentia? nullus popularibus, rudibus
atq; carnalibus erit præfixus terminus? admittendi ſunt ſenes ad eã, pri-
uſquã animi ſordes deponant? inuitandi adoleſcentes cum adhuc pue-
rile balbutiunt? Credo equidem (nec me fallit opinio) inſtitutum hoc
ſub pietatis quadam vmbra a diabolo eſſe inuentum, quo facilius in
errores homines trahat, vt magiſtros ſanctos minoris æſtiment,et ſcri-
pturã ſacram,ſpiritus ſancti pignus præcioſiſſimũ, vilipendio exponãt.
Vidi ego quamplurimos in Germania aduleſcentulos,a Lutheranis vo
catos euangeliſtas, qui vix dum relictis nucibus & crepundijs, tam te-
mere ſcripturarum teſtimonia ad ea quæ ab alijs docebantur, poſtula-
rent,ac de ſcripturæ locis tam confidenter ſententiam ſuam proferrent,
nõ ſecus ac ſi magno quopiam virtutum profectu in ſacrorum librorũ
euolutionẽ,totos viginti annos ſedulo inſumpſiſſent. Vidi rurſus alios,
quos a ſedilibus & ſtiua ad rem Theologicam tractandã vocant iſti
reformatores,ſolam verboſitatem tenentes,nihil niſi quæ a magnis.ſ.il-
lis magiſtris ſuis,per tres vel quatuor menſes didicerunt, magno boatu
e ſuggeſtu intonantes,nondum fidei ſuæ(cum ab eis exigitur)rationem
redde-

reddere valentes, prius imperitorum magiſtros quam doctorum diſcipulos, hoc ſolo nomine ad apoſtolicũ munus electos, quod optime deblaterantes rudi plebeculæ improbe nouerunt imponere. An nõ eſt hoc ſanctum dare canibus, & pręcioſas margaritas porcis obtrudere? Flagitium certe dignum vt ipſi canes conuerſi diſrũperent huius ſacrilegi inſtituti autores. Longe aliter docent ſancti viri, et Deo amiciſſimi. Nõ enim omnia om̃ibus, neq; ſimul: ſed eſt quãdo, et in quibus, & in quantum. Creſcentę enim ſenſu fidei, & aliarũ virtutum, creſcere etiam debet alimentorum ſacrorum adminiſtratio: quemadmodum fieri videmus in naturalium corporum augmento. Sapienter animaduerterunt hoc antiquiſſimi Hebræi, qui primitus ſacras literas excoluerunt: nam portionem quandam ſcripturarũ, diſtribuerunt imbecillioribus, et rudioribus legendam, quæ ijſdem congruere maxime videbatur: diſtricte inhibentes alia, quæ perfectis tantũmodo legere permittebantur, exactiq; iudicij hominibus: inſtitutum ſane ipſę naturæ valde conſonum. Vt enim in alendo corpore quidam cibus quoquo modo omni ſtomacho vtilis eſt, non tamen omnis alimonia omni homini & omni ętati eſt idonea, ita & in alendo ſpiritu. quod Paulus in Ecclesia Corinthiorum agnoſcens, pro capacitate auditorum magna diſcretione miniſtrat ſpiritualia cibaria doctrinarum. Quaſi paruulis (inquit) in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis: idq; hoc dicit rudibus et imperfectis. De grandioribus vero, alibi aliter dicit: Sapientiam loquimur inter perfectos. Et ad Hebræos: Facti eſtis quaſi lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis autem qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Ad perfectos vero in eodem cap. ſic dicit: Perfectorũ autẽ eſt ſolidus cibus, eorum ſcilicet, qui pro conſuetudine exercitatos ſenſus habent ad diſcretionẽ boni & mali. Hic expreſſis verbis docet Paulus, non eundem cibũ ſpiritualem, omnibus Chriſtianis ex æquo poſſe cõuenire. Diſcreuit etiã auditorum ętatem, atq; profectum in diſpartiẽdis doctrinis cœleſtibus, quibus mundum illuminauit ſeruator noſter Ieſus, diſtinguens inter vulgares & ſelectos carnales, et iam ſpiritu proficientes. Nam turbis in parabolis loquebatur, apoſtolis vero ſeorſum, quibus datum erat cognoſcere regnum Dei: ſed nec eoſdẽ omnia ſimul tradidit, aut ſine prouerbijs docuit, prout ipſius verba declarãt apud Ioannem: Hæc in prouerbijs (inquit) locutus ſum vobis, venit hora cum iam nõ in ꝓuerbijs loquar vobis. Et paulo ante ibidem dixerat: Multa habeo vobis dicere, quæ nõ poteſtis portare modo, paracletus aũt ſpiritus ſanctus, quẽ mittet pater in nomine meo, ille vos docebit oĩa. Hęc dicebat apoſtolis ſuis, qui iã ipſum diu audierãt, & om̃ia pro eius nomine reliquerãt, qui ſacerdotes iam erãt ordinati, & corporis et ſanguinis eius participes effecti,

Apoſtol.
1 Cor.
Hebr. 5
Ioan. 16

denique

deniꝗ extra vulgi aleã poſiti. Vt diſcat nouator, q̃d velit cœleſtis præceptor fieri, in Traditione doctrinarũ ſpiritualium. Recte ad hoc propo- Nazianzenus. ſitum docet Nazianzenus ſerm. de ſpiritu ſancto: Oportet (inquit) paulatim et infirmis fidelibus ea quę pfectiora ſunt aperire, & cũ in fidei intelligentia et religione ꝓfecerint, tunc claros oculos habentibus lucem adhibere, et in veritate ambulãtibus ſcientiã cõmittere veritatis. Quod vtinã adhuc in ſancta Eccleſia ſeruaretur, alius fortaſſis eſſet profectus fideliũ, alia populi diſciplina, alia deniꝗ rerum facies, ſi pro diuerſitate captuum miniſtrarentur alimenta doctrinarũ, & non omnibus omnia confuſe traderentur, aut exiguo aut nullo facto diſcrimine, inter Neophitum et proficientem, Catecumenum et baptizatum, carnalem et ſpiritualem. Videor mihi tamẽ audire iam ſuccenſentẽ Eraſmianũ quempiam, noſtramꝗ imo ſanctorum doctrinã veluti ſuperciliosam improbantem. Bona (inquit) & ſancta eſt diuina ſcriptura, & ad ſalutẽ hominum data, atꝗ vt intelligeref ab ijs, quorũ refert ipſam ſeruare, promulgata: quorſum ergo tu ad paucos dicis ptinere, quã Deus voluit omnibus eſſe cõmunem? Nunqd non lux eſt diuina ſcriptura? Omnibus ergo patere debet. Sed et Paulus vniuerſæ Eccleſiæ ſcribit ſuas epiſtolas, non Theologis aut Epiſcopis. Quid ergo tu a vulgo hominũ ſubtrahis quæ apoſtoli voluerunt omnibus eſſe obuia? Apage, bona verba, nõ ſubtrahimus ſcripturã a fidelibus, ſed nolumus vt homines carnales et inexercitati, crudã eam potius deuorent, quã comedant. audiant Prælatos, Prophetas, et Eccleſiæ doctores, ab illis diſcant, quæ ſibi neceſſaria ſunt. Scriptura ſacra lux eſt, fatemur: ſed non omnibus cõprehenſa, ſed paulatim oſtendenda. Poſſeſſio eſt totius Eccleſiæ, non cuiuslibet priuati: in quo certe non parum hallucinatus eſt Eraſmus, & quotquot eum in hac parte ſecuti ſunt. Non omnia quæ in ſcriptura continentur, conueniunt ſingulis perſonis. Nec diffitemur ad omnia membra Eccleſiæ cum ſcribebat Paulus epiſtolas ſuas direxiſſe, non tamẽ voluit, vt quilibet per ſeipſum intelligeret omnia in illis contenta, ſed munus hoc demandatum erat, aut epiſcopis, aut presbyteris, et maioribus, vt recitarent, & vulgo exponerent. Quæ conſuetudo vſꝗ in præſentem diem Apoſtol. in Eccleſia retenta eſt. Hinc Apoſtolus 1. Cor. xiiij. in ſpirituales Corinthiorũ reijciebat curã intelligendi ea, quæ ipſe in epiſtola ſcribebat: Si quis (inquit) videtur propheta eſſe aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo vobis, quia domini ſunt mandata. Fateor quædam eſſe in ſcriptura, quorum lectio communis eſſe poſſit, & magno commodo a multis legi: at non idcirco ſcripturæ omnes omnibus debent ſtatim eſſe communes. Nam & Apocalypſis Ioannis, et primum caput euãgelij ipſius, & Paulinæ epiſtolæ, maxime quę ad Romanos & Galatas: inſup Eſaię, Ezechielis, & Danielis oracula, Cantica Canticorũ, ac multi deniꝗ in

euan-

euangelio loci,qua vtilitate legentur obſecro a rudibus et carnalibus, in quibus exercitatiſſimi homines mente iam purgati,& ſpiritu pleni,fa tentur ſe multa ignorare? Adnotauit hanc differentiam elogorum Dei olim beatus Fulgentius noſter, Aſtigitamis epiſcopus, exponens illud Matthæi de homine patreſamilias,qui profectus in regionē longinquā, ſeruis ſuis impartitus eſt munera,&vni dedit qnq; talenta, alīj aūt duo, alīj vero vnū,idem quod nos de diuinæ ſcripturæ inęqualitate ſentiēs, his verbis:Dominicus ſermo quē debemus oēs,non ſolū ſtudioſe,verū etiam ſapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obe dire,moderationis ſuæ tenēs vbiq; temperiē,vt nec ouibus deſint pabu la,nec paſtoribus alimēta,quędā ſpecialiter ſolis nobis,quędā ſpecialiter ſolis vobis,q̄dam vero generaliter vobis et nobis.Et infra:In verbo Dei abundat,q̄d perfectus comedat, abundat etiā q̄d paruulus ſugat, adde etiā et quo proficiētes ſaginenť. Qui igitur fieri poteſt,vt carnales & ru des homines iudiciū ſpiritus habeant,quo poſſint ſacram ſcripturam le gendo,ex ea delectū eorū facere,quæ pro ſua ætate & ſtatu conueniunt, & alia rurſus relinquere,quę maioribus &pfectioribus apparanť? Certe q iudicium habet huiuſmodi,quo poſſit iſta diſcernere, iā non carnalis, iam nō rudis,ſed proficiēs,perfectus,vel exercitatus,& nō ex infima ple be eſt:q̄d qui de omnibus ſine diſcrimine affirmat,profecto tū ſcripturę ipſi,tū rerū experientię, plane contradicit. Porro homini carnali &rudi, diſcretionē de rebus ſpiritualibus nō habenti, ſcripturā totā ita offerre, vt ex ea ſumat quicq̄d libuerit,perinde eſt ac ſi puerū voracē, aut intem perantē in pœnū aliquē obſoniorū refertiſſimum introduxeris , q facile pro leuibus cibarījs grauia,ꝓ mollibus dura,pro vtilibus noxia et mor tifera deglutiet. Nec ſufficit q̄d literas mortuas et Grāmaticam intelli gat,niſi et nucleū extrahere nouerit.Hic.n.ſolus eſt,q cum vtilitate legit ſcripturas.Nucleum aūt extrahere,& cū fructu pcipere , ſolus ſpiritua lis et exercitatus poteſt,nā animalis homo neſcit quæ ſunt ſpiritus Dei. Sufficit ergo rudibus & ſimplicibus credere Deo , et in Chriſto Ieſu fi lio eius,ꝓ nobis crucifixo,cū alījs fidei rudimētis , Maneant in Eccleſiæ vnitate,perſeuerēt in fide,& Dei & proximi dilectiōe,& maiorꝫ obedi entia:in alījs vero aut ſileāt, aut maiores audiāt,nō ſapiant plus q̄ opor tet.Melius eſt.n.idiotas & parum ſciētes per fidē et charitatē proximos Deo fieri,q̄ dū varia ſcire & diuina oracula rimari conanť, blaſphemos et ſuperbos in Deū et Eccleſiā inueniri. Nō eſt tā clara et aperta in omi bus ſcriptura , qn in diuerſos ſenſus a q̄uis ingenio mediocriter exerci tato flecti valeat,et quantūuis eruditus in eius intelligētia hęrere poſſit. Qñ.n.S.Moyſes Deuteronomīj codicē ædidit,nō vulgo,ſed ſacerdoti bus atq; maioribus ipſum obſeruandū tradidit. Dicitur eñ Deut.xxxi. Scripſit itaq; Moyſes legē hanc,et tradidit eā Sacerdotibus filījs Leui,q

Fulgētiꝰ

Cor.14

E porta-

portabāt arcā fœderis. Et licet iuxta pręceptū Domini audiēdus omnibus liber legis erat,per miniſteriū tamen eorundē Sacerdotū. Illis enim ꝑcipitur,ibidē vt legant:non tamē legendas vnicuiqꝫ permittit pro ſuo lubito et ſine diſcrimine. Traxerunt ex ſacris codicibus perperā intellectis,ortū omnia quæ ab initio ſurgētis Eccleſiæ vſqꝫ nūc ſchiſmata pullularunt. Nouit hoc futurum Deus,idcirco antiquitus cū populo ſuo legem non multum obſcurā dediſſet idiomate cōmuni deſcriptā, ſciens tamē non defuturos, qui legi ſuæ diſſonos ſenſus accōmodarent, obicē poſiturus hæreſibus,& hominibus pertinacibus, ſupremū tribunal cōſilij,ſacerdotes inſtituit,ac deinde ſummū Pręſulē,cui ab omnibus obediretur,ad quos dubitationes de lege deferrent. Deute. xvij. Si difficile & ambiguū apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinē et ſanguinem,cauſam et cauſam,lepram et leprā, et iudiciū intra portas tuas videris variari, ſurge et aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus,venieſqꝫ ad Sacerdotes Leuitici generis,et ad iudicē qui fuerit illo tēpore,quæreſqꝫ ab eis:qui iudicabunt tibi iudicij veritatē,et facies q̄dcunqꝫ dixerint,qui præſunt loco, quem elegerit Dominus,et docuerint te iuxta legem eius,et ſequeris ſententiam eorū,nec declinabis ad dexteram,neqꝫ ſiniſtrā. Qui autem ſuperbierit,nolens obedire Sacerdotis imperio,qui eo tēpore miniſtrat Domino Deo tuo,ex decreto iudicis morietur homo ille,et auferes malum de Iſrael: cunctuſqꝫ populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Adde quod cū aduerſarij in Eccleſia iuxta idem problema ſępenumero contingant errores, quaſi ex diametro(quod aiunt)inter ſe pugnātes,et e duobus hæreticis vterqꝫ adducere poſſit pro ſe ſcripturā,id quod paſſim accidit: vt inter Arrium et Sabelliū,Pelagium et Manichęum,et nunc inter Phanaticos Anabaptiſtas,et Lutheranos,ruſuſqꝫ inter hos,et impios Sacramentarios,ac vnuſquiſqꝫ ex hiſce factionibus homo,pro ſua parte ſtare cōtendat ſcripturā, quam veluti mediam inter diſſidentes quodā modo eſſe exiſtimant,hærerent certe quotidie Chriſtifideles, ſi per ſolam ſcripturā contentiones huiuſmodi deberent dirimi, nec ad aliud magiſteriū recurrendum eſſet,ſiue in decernendis quę ex ſcriptura non colligunt̄, ſiue in declarandis quæ ex ſcriptura emergunt dubijs:ac ſubinde non eſſet prouiſum ſufficiēter Eccleſiæ Dei a ſuo inſtitutore Chriſto in rebus tā magni momenti:id quod nephas eſt de tanta prouidētia ſentire. Nā quod dicunt ſcripturam ſeipſam exponere:etſi verū ſit in multis locis, poſſunt tamen ſe offerre cōtentiones, in quibus ſcripturę loci qui adducūtur ab aduerſis partibus,ſint in æquali numero, vel æqualiter obſcuri,et locus qui adducitur ad expoſitionem alterius,non ſemper adeo clarus,vt ob oculos ponat dilucidā illius loci de quo dubitatur intelligentiā:poſſunt etiā eſſe loci ſingulares eiuſmodi vt ſimiles illis in ſcripturis non inueni-

antur,

antur, quibus exponantur. Poſtremo, hoc ipſa experientia demonſtrat, tam in hiſce quam in præteritis temporibus, inter contendentes de ſcripturæ intellectu & fidei quæſtionibus, ſola .ſ. ſcriptura, diſſidia omnia religionis minime poſſe ſedari, quare ad ſpiritus ſancti magiſterium vltimo recurrendum.

QVARTA ASSERTIO.

Nullus priuatus ſpiritus per ſe ſolum ſufficit ad tollendas prorſus fidei controuerſias, & diſſoluenda quæ ſuper ſcripturæ intellectu ſuboriri poſſunt diſſidia.

PRiuatim accipio vt opponitur cõmuni: qui dupliciter priuatus dici poteſt, vel ratione perſonarum, quia .ſ. vni vel paucis cõtingit, quo modo priuatus ſpiritus dicitur donũ intelligentiæ ſcripturarum, ſeu diſcretio ſpirituum, aut gratia ſanitatũ, (Eſt enim mos apud ſanctos, quodcunq; ſpiritus ſancti donum, ſpiritũ appellare ſiue quia effectus eius eſt, vt Paulus dicit. 1. Cor. xij. ſiue quia eo vt inſtrumento mouet ſpiritus ſanctus hominem ad aliquod opus ſupernaturale.) Vel poteſt dici priuatus ex parte finis, quia ad priuatum cõmodum & vtilitatem datur: vt gratia ſpiritus qua incedit Chriſtianus in Dei beneplacito, cum fidei & charitatis perſeuerantia. Haud diſſimiliter accipitur ſpiritus cõmunis (oppoſitorũ enim eadẽ eſt diſciplina) nunc pro dono ſpiritus ſancti manifeſto ad Eccleſiæ vtilitatem ordinato, vt gratia verbi et prophetiæ, quæ fuit in apoſtolis et in multis alijs ſanctis, quæ eſt cõmunis ex parte finis: nunc pro dono ſpiritus, quod omnibus petentibus obuium eſt. Quo fit nullum inconueniens eſſe varijs rationibus, eundem eſſe priuatum & communem ſpiritum: cum tamen eadem ratione nequeant conuenire, ſicut in oppoſitis relatiue docent dialectici. Sunt enim hæc etiam de numero eorum quæ ad aliquid dicuntur. Apoſtol.

Rurſus priuatus ſpiritus iuxta primum modum, vel poteſt eſſe manifeſtus Eccleſiæ, vt fuit apoſtolorum & ſanctorum multorum, qui miraculorum virtute, vel eximia vitæ ſanctimonia, cum perſeuerantia in fide, charitate, & Eccleſiæ vnitate finiere vitam. Vel poteſt eſſe occultus, qualem non nego eſſe in multis Eccleſiæ doctoribus, paſtoribus, & ſcriptoribus Eccleſiæ pijs, intra Eccleſiam exiſtẽtibus, qui longo orationis vſu, vel Dei benignitate, & prærogatiua præuenti, hoc ſpiritu dotati ſunt. Non ſunt hæc a nobis conficta, ſed habent in ſcripturis ſanctis ſuas radices. De priuato enim ſpiritu iuxta primum modum, qui communis eſt ex parte finis, Apoſtolus loquitur 1. Cor. xij. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autẽ ſpiritus: et diuiſiones miniſtrationum, idem aũt Apoſtol.

 Domi-

Dominus:et diuiſiones operationum ſunt,idem vero Deus,qui operatẽ omnia in omnibus,Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Rationem vero priuatam intelliges ex ijs quæ ſequuntur: Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ,alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundẽ ſpiritum,alij ſides &c. Quod de fide in eximio gradu qualis fuit in Petro apoſtolo debet intelligi. Nam fidei donum ad priuatum ſpiritum, iuxta ſecundum modum debet reduci: alioqui diuerſitas quam cõcinnare vult Apoſtolus illis verbis in corpore Eccleſiæ,non ſtaret, ſi de cõmuni fide ſermo illic eſſet. Et ſubiunxit: Alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu,alij operatio,virtutum,alij prophetia,alij diſcretio ſpirituum,alij genera linguarũ,alij interpretatio ſermonum: Hęc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus,diuidens ſingulis prout vult. Et inſra: Sicut eñ corpus vnum eſt & membra habet multa, omnia autem membra corporis,cum ſint multa,vnum tantum corpus ſunt:ita et Chriſtus (.ſ. myſticus qui eſt Eccleſia Dei) etenim in vno ſpiritu potati ſumus. Ecce cũ vnitate & cõmunitate ſpiritus,ex parte perſonarũ & totius corporis Eccleſiæ,ſtat diuerſitas ſpirituum & gratiarum atq; donorum: qui licet priuatus ſit ex parte perſonarum quibus accidit,eſt tamen cõmunis ex parte finis,quia ad Eccleſiæ vtilitatem datus. Sicut cũ vna communi anima totius corporis,qua priuatim vnumquodq; membrum tegitur, et corpus ipſum viuit & habet eſſe,eſt diuerſa facultas,& figuræ, et functiõis in quouis membro. Et paulo poſt,non diſcedens a pulchra illa ſua ſimilitudine corporis naturalis,ad corpus Ieſu Chriſti myſticũ,ait: Si eſſent

1. Cor. 12 omnia vnum membrũ,vbi corpus? Nũc autem multa quidem mẽbra vnũ corpus,ei (ſcilicet cui deerat) abundantiorem tribuendo honorẽ,vt nõ ſit ſchiſma in corpore,ſed in idipſum pro inuicem ſolicita ſint mẽbra: et ſi quid patitur vnum mẽbrum,cõpatiuntur omnia mẽbra: ſiue glorſiatur vnum mẽbrum, congaudent omnia mẽbra. Iam vero adaptans ſimilitudinem ad Chriſti corpus,quod eſt Eccleſia (ait.) Vos autẽ eſtis corpus Chriſti,membra de membro: & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia,primo apoſtolos,ſecundo prophetas,tertio doctores,deinde virtutes,exinde gratias curationũ,opitulationes,gubernationes, genera linguarũ, interpretationes ſermonum. Nunquid omnes apoſtoli? Nunquid omnes prophetæ? nũquid omnes doctores? nũquid omnes virtutes? Quibus verbis tam priuata poſuit ſacratiſſimus ille Apoſtolus,ſpiritus ſancti dona ex parte perſonarum in Eccleſia, quam priuata ſunt munia & facultates membrorũ in corpore naturali. Itaq; quemadmodum non omnia membra eundem actum habent,ſic nec omnia Eccleſiæ membra eandem facultatem, cum hoc tamen συμπάθειαν & communitatẽ in omnibus mẽbris Eccleſiæ aſſignauit,ex qua diuerſitas hæc adaptaretẽ & cõcinnaretur,& pro ſe inuicẽ eſſent ſollicita mẽbra. Vnde

emergit,

emergit,et ſatis clare colligitur,has priuatas gratias ex parte perſonæ et cõmunes ex parte finis,non exercitio ſolo poſſe adquiri, vt infœliciter multi tentant,putantes omnia quæ ſpiritus ſunt, humanis adminiculis ſolũ poſſe cõparari,vt gratiam verbi in concionibus,& ſpiritũ interpretandi.Loquor aũt de ſpirituali munere cõcionandi, non ago de ijs , qui longiore vſu et conſuetudine quadã naturali aſſuefacti, aut potius ambitione ducti,vix intellectis duabus vel tribus lineis noui Teſtamenti, ac totidẽ quæſtionibus ſcholaſticis male digeſtis,diſpenſationem verbi diuini temere ac inſolenter audent ſibi tribuere,neq; uocati, neq; miſſi, neq; in vita ſpirituali exercitati:cuiuſmodi hominum genus ipſius naturæ dote potius q̃ p̄uentiõe ſpiritus tales euadũt,atq; ob id aut perexiguam aut nullam in Eccleſia frugem faciunt : imo non verear dicere (ſalua ſemper Eccleſiæ cenſura)ne per orationis quidem exercitium,ſupradictas gratias,ab omnibus ſimul poſſe impetrari, quanq; obnixe & inſtantiſſime petant: Alioqui periret pulchra illa et cõcinna ſanctæ Eccleſiæ in vnitate diuerſitas,quæ a dextris regis ſpõſi ſemper ſtat in veſtitu deaurato,circũdata varietate. Sicut.n.omnia mẽbra corporis,vnum membrũ non poſſunt eſſe, manente corporis integritate , ita nec omnia dona Eccleſiæ in vno poſſunt collocari,nec aliquod ex donis priuatis in omnibus inueniri. Stat.n.immota Pauli ſimilitudo,ſicut nec omnia mẽbra vnũ,nec vnũ mẽbrum oĩa eſſe queunt:ita nec oẽs apoſtoli, non oẽs prophetæ,non omnes doctores & ſcripturæ expoſitores, nec oẽs gratiã habent cũrationũ,nec donum linguarũ:alias corpus non eſſet attemperatum,et ſchiſma eſſet in eo: nec quodlibet membrũ pro alterius ſalute eſſet ſolicitũ,ſi ſibi poſſet quodlibet ſufficere, vel per humanã ſolicitudinem,vel per orationẽ:taliſq; oratio non eſſet efficax, ſi ab omĩbus fieret,vtpote quæ Dei diſpoſitiõi aduerſaretur,q̃ ſicut non deficit in neceſſarijs,ita nec abundat in ſuperfluis. Superfluum aũt eſſet , quod oẽs in Eccleſia gratiã verbi haberent,vel interp̃tationis dono polleret. Aemulanda tamen ſunt cũ hoc(vt Apoſtolus docet)meliora chariſmata,quia neſcimus quibus Deus ea per orationem impartiri vult.

De ſpiritu vero priuato ex parte finis,ſed cõmuni ex parte perſonarũ, qui omnibus petentibus obuius eſt,prȩter id , quod Paulus inculcauit, & nos ſubindicauimus, Chriſtus Deus noſter apud Lucam differit , de oratione loquens,vbi oẽs docet fiduciã ipſam impetrãdi: Petite(inquit) Lucæ 11 et dabitur vobis,quȩrite & inuenietis,pulſate et aperieť vobis:omnis .n. qui petit accipit,& qui quȩrit inuenit,& pulſanti aperieť . Et paulo poſt adducta de patre naturali & carnali,ad patrem ſpiritualem Deum,ſimilitudine,ſubiungit atque concludit:Si ergo vos cum ſitis mali,noſtis bona data dare filijs veſtris,quanto magis pater veſter cœleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? Qua quidem in re valde ineptiunt aduer-

ſarij,qui cum negent cõtinentiæ donũ,etiã ſi petatur, pauciſſimis a Deo cõmunicari,quod ſcimus ꝙ plurimis,imo pene innumeris in Eccleſia cõceſſum fuiſſe,idq; facilius ꝙ donum prophetiæ & intelligentiæ ſcripturæ: hoc tamen omnibus petentibus volunt eſſe cõmune, non ob aliud q̃ vt ſua phantaſtica dogmata vendibiliora faciant, quaſi de promptuario ſpiritus ſancti deſumpta,vtq; licẽtius per ἀπεράντων campum luxurientur, & cõmuni ſpiritui Eccleſiæ ſe opponant: aduerſus quos loquitur noſtrũ aſſertũ. Quod ſiue intelligas de priuato ſpiritu ex parte ꝑſonę (modo nõ ſit a Deo manifeſtatus,aut pollicitatiõe peculiari & manifeſte promiſſus)ſiue ex parte finis,verum ſemper eſt noſtrum hoc enunciatũ.

Cauſa quare ſic in hac parte errauerint iſti veritatis hoſtes,pręter malitiam & animi contumaciã, quibus male ſunt in Eccleſiã Dei animati, ſcriptura perperã intellecta fuit: vt. ſ. id quod ipſa loquit̃ de certis & determinatis perſonis,vel de ſpiritu omnibus obuio,et per orationem fidei cõparando ad agendorũ ſcientiam,ipſi ad oẽs generaliter,et ad ſpiritũ q ad Eccleſiæ vtilitatẽ ſolet dari, dicant ꝑtinere: non diſtinguentes inter donum ſpiritus ad ſalutẽ vniuſcuiuſq; neceſſariũ,& ad vtilitatẽ Eccleſiæ collatum. Varia enim ſunt dona ſpiritus,vt teſtatus eſt Apoſtolus.

Arguunt ex illa Chriſti promiſſione: Si duo ex vobis conſenſerint,de omni re quamcunq; petierint,fiet illis a patre meo qui in cœlis eſt: vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. In quo loco ſine differẽtia videtur omnibus ſpiritus promiſſus,qui ex toto corde quærunt & petunt. & hoc modo volunt finiri religionis controuerſias, ſi indifferenter petatur ab his vel ab illis ſpiritus bonus,circa fidei & ſcripturæ dubia: in qua ſententia potiſſimũ eſt Bu-
Bucerus cerus,in libro illo quem de Eccleſiarum vera doctrina conſcripſit: ſed nõ
Cypria. intelligitur iſte locus, vt Lutherani putant. Adſit ipſe D. Cyprianus,qui tanq̃ arbiter honorarius,intellectũ huius loci aperiat, & litem dirimat. Is tractatu de Simplicitate prælatorũ aduerſus hæreticos Nouatianos, qui ex hoc loco veram intelligentiam ſcripturæ ſibi arrogabant (prout hodie faciunt Eccleſiæ aduerſarij)hũc locum ſic interpratat̃: Dominus de Eccleſia ſua loqtur ad hos,q ſunt in Eccleſia, vt ſi ipſi concordes fuerint,ſi ſecundũ quod monuit et mãdauit,duo aut tres collecti vnanimiter orauerint,duo aut tres licet ſint,impetrare poſſint de Dei maieſtate ꝙd poſtulant: et ponit exemplum de duobus apoſtolis in cuſtodia clauſis,qbus reſolutis carceris clauſtris, Ieſus Chriſtus dñs opem tulit. Actu. xv. Et infra eadẽ verba repetens, ſubiungit: Nõ homines ab Eccleſia
Actu. 10 diuidit,q inſtituit & fecit pacẽ paſſim ſua voce cõmendans: oſtendẽs magis eſſe ſe cũ duobus aut tribus vnanimiter, q̃ cum diſſidentibus plurimis,pluſq; impetrari poſſe paucorũ cõcordi pace,quã diſcordi oratiõe multorũ. Hæc ille. A qua promiſſione manifeſto ſecludit hæreticos, &

Chri-

Chriſtianæ pacis ac vnitatis perturbatores. Hic velim etiã diligẽter perpẽdas, q̃d Chriſtus illis verbis apoſtolos ſuos alloq̃tur, q̃bus immediate p̃dixerat, quæcunq; alligaueritis ſuper terrã, erunt ligata et in cœlo, & quæcunq; ſolueritis in terra, erunt ſoluta et in cœlo. Et addit: Iterũ dico vobis, q̃a ſi duo ex vobis conſenſerint etc. Itaq; ſicut poteſtas illa ligãdi atque ſoluẽdi nõ omnibus fidelibus eſt generalis, ſic neque ſubſequens promiſſio. Neq; id in omnibus, q̃ petierint apoſtoli et ſucceſſores intelligendũ eſt: aliq̃d enim iuſtum et ſanctũ legimus Apoſtolum Paulũ magna cũ inſtantia petijſſe, quod minime impetrauit: ſed promittit̃ illis diuinum ſubſidiũ, cœleſtiſq; approbatio ſententiæ ligandorum et ſoluendorũ, ſuper qua vnanimiter conſenſerint & orauerint in nomine Dñi cõgregati. Ideo dicit, ex vobis. ſ. apoſtolis, non ex ijs q̃ ex veſtris caulis nõ ſunt, nec ad numerũ pertinent veſtrę vnitatis. Quare ex illo loco nihil poteſt cõcludi, q̃d aduerſariorũ cauſam promoueat: nam non ad oẽs fideles loquit̃ ibi Chriſtus. Et quãuis ad omnes fideles loqueret̃, quod ex contextu literæ minime cõſtat, non de omnibus quę petierint, quãuis iuſta ſint, debet intelligi promiſſio: ſed de omni eo quod ad ſalutem ſuã vel aliorum duo vel tres in Chriſti nomine congregati, cum fide et perſeuerantia petierint, alijs nullam neque moram atque impedimentum interponentibus. Quare ad donum intelligentiæ ſcripturarum minime poteſt extendi locus ille: quantumcunq; enim ſermo vniuerſalis videatur, temperandus tamen eſt ad intellectum antecedentiũ & conſequentium. id quod ſæpiſſime in ſcripturis accidit.

Afferunt etiam illud Iacobi, Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, poſtulet autem in fide nihil hæſitans: quæ promiſſio de ſapientia & intelligentia videtur eſſe, & hæc quidem generalis omnibus. Reſpondeo. Si hæc pollicitatio et aliæ ſimiles generales eſſent, omia Eccleſiæ membra poſſent eſſe vnum membrum, ſicq; deſijſſet, vt probauimus, vel deſinere poſſet eſſe Chriſti corpus, Eccleſia Dei: quod (vt mõſtrauimus) repugnantiã manifeſtam includit. Loquitur ergo ibi Apoſtolus de ſpiritu neceſſario ad ſalutẽ, et qui dirigit homines inter tribulationes & laqueos huius vitę, recta et regia via ad terminũ ſalutis noſtræ deſtinatũ: id q̃d ex antecedentibus licet diuinare. Nam ſupra dixerat, Omne gaudiũ exiſtimate fratres cũ in varias tentatiões incideritis, ſcientes q̃d probatio fidei veſtræ patientiã operat̃. Patientia autẽ opus perfectum. ac ſtatim ſubnectit: ſi q̃s autem veſtrum indiget ſapiẽtia etc. Quaſi diceret, Ne diffidatis in medio tẽtationum et tribulationum, q̃n potius gaudete atq; confidite, quia cum præſto adſit diuinus fauor, et ſpiritus ſancti gratia, omnibus vere petentibus obuiam, quæ intellectũ illuminet, et appetitum voluntatis corroboret, magnum ex huiuſmodi

ſuſtinentia fructum reportabitis. Itaque nulla illic eſt mentio de ſcripturæ intelligentia. Nec te ſinas falli propter vocabulum ſapientiæ ibi poſitum, mos enim eſt cognitionem agendorũ & virtutem proſequendorum in via Dei, quæ ſpiritus ſancti præſidia ſunt, appellari in ſcriptura, ſcientia, ſapientia, et intellectus: qua ſolus vere ſapiat, qui iſta ſapit & intelligit. Habetur enim ſapientiæ decimo: Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorũ etc. Quod de quolibet iuſto cum Chriſto iam regnante, merito canit tota Eccleſia. Itaque de ſpiritu priuato ex parte finis ad ſalutem neceſſario, loquitur Iacobus, quem alio loco petebat in pſalmo Dauid: Da mihi intellectum Domine, vt diſcam mandata tua.

Sap. 10

Pſal. 118

Nec diſſimiliter locus ille Ioannis ab aduerſarijs celebratus intelligi debet, cum dicit, vnctio docet vos de omibus. Quibus verbis, fidelibus ſpiritus ſancti gratia cõmunitis hoc tribuit, vt per vnctionis ſufficientiã declinare poſſent hæreticorum dogmata, eiſq; minime acquieſcere: q̃d longe aliud eſt, quam donum intelligentiæ ſcripturarum. Ponamus in medio integram orationis periodum, antecedentia & conſequentia cõtinentem, nam aduerſarij, conſciſas plerunq; allegant ſcripturæ ſententias, diuidẽtes ſenſum earũ, ſicut & ipſi a Chriſto & Eccleſia ſunt diuiſi. dicit ergo de quibuſdam hæreticis, qui Chriſtũ filium Dei negabant: Omnes qui negant filium, nec patrem habent. Qui confitetur filium, et patrem habet. Vos quod audiſtis ab initio in vobis permaneat, quia ſi in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & vos in filio & patre manebitis, & hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitã æternam. Hæc ſcripſi vobis de ijs qui ſeducunt vos: & vos vnctionẽ, quam accepiſtis ab eo maneat in vobis, & non neceſſe habetis quod aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio docet vos de omibus, & verum eſt, et nõ eſt mendaciũ, & ſicut docuit vos manere in eo. Quis nõ videt hic ſanctũ euangeliſtam loqui de doctrina ſpiritus, per ipſummet Apoſtolum prædicata fidelibus, qua potentes erant hæreticis contrariũ docentibus reſiſtere, ſi vellent. a quibus minime neceſſarium erat vt docerẽtur in prẹiudiciũ diuinæ vnctionis: quaſi diceret, tenete doctrinã ſpiritus per myſterium noſtrum iam a vobis acceptam, quam ſi tenueritis, non eſt neceſſe, vt extraneus aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio docuit, & docet de omnibus ad ſalutem noſtram neceſſarijs, ita ſentite & in ea manete. Ad hãc normam intelligi poſſunt, et alij in ſcriptura loci, ſi qui ſunt, qui aſſertioni noſtræ ſuperficietenus videbuntur forte obuiare.

1. Iohan. 2

Porro mirifice delirauit, proprijſq; verbis ſeipſum implicuit hac in re Lutherus, neq; eius errorem emendarunt, (q̃d ego viderim) ſui ipſius coniurati: qui cum dixerit, ad ſpiritum eſſe recurrendum in difficultatibus ſcripturæ, modo ſentit hunc ſpiritum eſſe priuatum ex parte finis,

Lutheri confuſio

nis,

nis,hoc eſt ad ſalutē homini neceſſarium,ſine quo nullam facit ſpem ſalutis Chriſtiano: modo videtur alium ſpiritū aſſignare,qui plenitudine & redundantia ſui, internam quandam(quam ipſe docet) claritatē huiuſmodi ſpiritū habenti tribuat, qua de omnibus dogmatibus fidei, & ſcripturæ obſcuritate diſcernere poſſit: Aſſignans rurſus aliā externam claritatē,q̄ concionatoribus et cōmuniter docentibus tribuit,vtrāq; ſibi arrogās libro de ſeruo arbitrio. Vbi ſupercilio pluſquā traſonico ſuperbe gloriatus eſt nihil ſe in ſcriptura ignorare: vbi vero dicit ſpiritum hunc neceſſarium ad ſalutem,et ad ipſum impetrandum omnes inuitat, de ſpiritu omnibus cōmuni, ad priuatam tamen ſalutem dato, videtur loqui. Cum autem facit ipſum tam redundantem, vt per eius internā claritatem,de omni dogmate poſſit iudicare, de dono ſpiritus paucis obuio,ſermonē facere videtur, ac proinde Cymerias quaſdā tenebras nobis effundit,hic falſus. Nōnulla verba eius teneo memoria,quæ ex ſcriptis ipſius male olim feriatus excerpſi,loci non ſum memor,bona tamen fide recitabo,prout intelliget,qui phraſin hominis hiulcam &conciſam nouerit,& in eius doctrinā bonas horas male collocauerit. Eſt ergo illius τοῦτο τὸ παραδοξότατον,Qui ſpiritū(inquit)habet, ei nihil eſt obſcurum, qui non habet,nec iota quidem vnum intelligit. Nil medium eſt: quiſquis igitur profitetur ſe dubitare aliqd in ſcripturis, aut ſpiritum habet & mentitur eſſe obſcuritatem,cum nulla ſit: aut non habet, & ne iota quidem vnum intelligit. hæc Luther. Obnixe te etiam atq; etiam rogo lector candidiſſime,vt conferas hæc verba cum aliȷs, quæ nūgator iſte magnificus in prælectione ſuper Pſalmos dixit,Nolim (inquit) ab vllo id de me præſumi,quod nullus adhuc pręſtare potuit ſanctiſſimorum et doctiſſimorum:id eſt,Pſalteriū in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere & docere. Satis eſt aliquos et eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi reſeruauit ſpiritus,quo nos ſemp diſcipulos habeat. Vbi manifeſte ſibi contradicit,& veluti furioſus in ſeipſum gladium vibrat. Omiſſa tamen patenti contradictione,primum eius locum expendamus,ipſumq; de manifeſta falſitate coarguamus: nam locus alter plane adſtipulatur noſtræ ſententiæ. Luther

Primo abſolutum illud de omnibus dogmatibus et ſcripturis ſpirituale iudiciū,nō puto alicui homini pro iſto ſtatu de cōmuni lege poſſibile. Nam ſi qui de ſpiritualibus iudicant (Paulo teſte,neceſſe eſt eos ſpirituales eſſe, qui iudicant inquā claritate illa interna) ergo qui ſine menſura et termino de dogmatibus, et de ſcripturæ locis interno lumine potens eſt diſcernere,in magna plenitudine oportet ſpiritū ſanctū habere,& quaſi ſine menſura & termino,quod de cōmuni lege viatoribus minime poteſt obuenire. Cuius rei præclarum nobis venerabilis & peruetuſtus autor Irenæus teſtimoniū exhibet,lib. ij. cap. xlix. Nos(inqt) Irenęus

adhuc

adhuc in terra conuerſantes,nondum aſſidentes throno Dei, & ſi ſpiritus ſaluatoris ſcrutatur omnia & altitudines Dei,ſed quantum ad nos, diuiſiones miniſteriorum,& operationum ſunt. Et nos ſuper terram ex parte cognoſcimus, et de vniuerſis quæſtionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis præſtat gratiam:magnumq; periculum eſt nihil Deo remittere,cũ ex parte cognoſcamus. Hocenim eſt pugnare cum datore gratiarum. Aperte retundit hic bonus pater iſtius inſani eiuſq; ſequacium ſuperbam audaciã,qua falſo putant nihil de ſcripturarum myſterijs ſe poſſe latere:innumera enim pene ſunt quæ in quæſtionibus fidei et ſcripturæ difficultatibus ſe offerre poſſunt rimanda et intelligenda. Spiritum autem habere in tanta plenitudine,quomodo cõcedet,qui dicit homines non poſſe non peccare, nec facere vt non ſit concupiſcentiæ carnalis motus,quos vera peccata eſſe dicit? Hic ego te appello perfide

Cõfutatio Lutheri.

Luther,non curo tuas frigidas diſtinctiones, quas in alijs magno naſo ſuſpendis,ad tuam aſſertionem me conuerto: ſi quis ſpiritum habeat ſine quo Deo placere quiſquam minime poteſt,nihil obſcurum habet in dogmatibus & ſcriptura,ſed omnia illi patent:rurſuſq; qui illo caret,ne iota quidẽ vnum intelligit:quæro iam abs te, an ſpiritus iſte amitti poſſit per peccatum,an eſt omnino inamiſſibilis? Si per culpam amitti poteſt,ediſſere nobis (per tuos manes) an cõmuni culpa vel crimine voluntatis amitti poſſit,an per errorem pertinacem intellectus? Si per peccatũ cõmune dixeris:ſequitur quod vbi primũ doctiſſimus aliqs in ſcripturis,cõmittit aliquod crimen,repente fit de doctiſſimo ignorantiſſimus: quod q̃ ſit abſurdum,ipſe videris. Item ſi tantum pugnat cum peccato iſta ſpiritus redundantia, ſequitur eam ad ſalutem hominis eſſe ſimpliciter neceſſariam: At nouimus in Eccleſia Dei permultos homines ſanctiſſimos,qui in rudi quadam & ſancta ſimplicitate,quę ſola ſibi ꝓdeſt, in fide Eccleſiæ præſentem vitã tranſegerunt, et Deo placuerunt,abſq; illa intelligentiæ interna claritate: de quibus D. Auguſtinus cum famã

Auguſt.

illius magni Antonij,& aliorum ſimilium, qui potius vitam angelorũ, q̃ hominum in deſertis agebant, audiuiſſet,in verba admirationis prorumpens,dixit: Surgũt indocti,& rapiunt cœlos, et nos cum noſtra ſcientia demergimur in infernum. Non ergo per donum iſtud intelligentiæ ſancti Deo placent, nec per carentiam eius Deo diſplicent. Sin vero dicas per culpam erroris hunc ſpiritum duntaxat amitti poſſe:tunc Nicolaus ille apoſtolorum Diaconus,& Carloſtadius quẽ tu olim ſpiritus ſancti,cum a te non diſſentiret,appellabas,ex lumine intelligentiæ,quod huic tu falſo tribuebas,ſubito vt ab Eccleſia defecerunt, facti ſunt talpa cœciores. Nam per te ſine iſta interna ſpiritus intelligentia, neq; iota vnum poteſt intelligi. Adde quia ſi manere poteſt donũ iſtud internæ claritatis in crimino ſo homine,& in eo qui in affectu exiſtit peccandi,

candi, tā animalis et diabolicus homo de omnibus ſpiritualibus poſſet
iudicare. quod Paulus expreſſe negat 1. Cor. ij. Inamiſſibilem aūt iſtum Apoſtol
ſpiritū propter hanc eandē rationem, ſcio non affirmabis: nam cū iuſti
poſſent a lege p̄uaricari, imo in omni actu bono, iuxta ſententiā (ſcilicet)
tuam, peccent, ac ſubinde in carnales & animales hoīes per malam vitam
prorſus trāſmutari, fieri queat, vt homines p̄ditiſſimi illa interna ſpiritus
claritate, qua ſemper vigēt, oīa diuina et ſpiritualia dogmata ſcrutarent̄
& intelligerēt: q̄d Paulus iterū non admittit. Pręterea cū tu in principio
cœpiſti delirare, & in ſanctos & in religionē apoſtolicā debacchari, quo
ſpiritu ducebaris o pernicioſe, ſancto ne an falſo? Si ſancto, q̄modo tāto-
pere inconſtās fuiſti, vt fere in nulla ſententia a te primitus adſerta poſt-
modū permaneres? neq; erat inconſtātia hęc de rebus leuibus: nam p̄ter
ea, quę retulimus magni pōderis a te dogmata re cantata, venerabilium
ſacramentoꝝ numerū decē vicibus variaſti: primū tria, deinde duo, ter-
tio vnū duntaxat eſſe affirmabas, in peſtifero illo tuo libello de captiui-
tate Babylonica: Sin aūt ſpiritu Apoſtaſię et ſup̄bię tunc ducebaris, quo
ſigno nobis perſuadebis te ſpiritū ſanctum poſtmodū accepiſſe, & ab eo
quicq̄d poſtea effutiſti mutuatū eſſe, maxime cū ſpiritus iſte ſanctus, mo-
deſtos, humiles, conſtantes, a ſe rectos reddat, ac demū a ſuperbis & fu-
rentibus hominibus fugiat? Te aūt iniurioſum, furibundū, ſuperbū, he-
reticorum cineꝝ ſuſcitatorē eſſe, & Protæo deniq; ipſo mutabiliorē, ne-
mo eſt q̄ ignoret, eorū qui doctrinā tuā vel extremis digitis tetigerunt.
Rurſus dic mihi o bone, Auguſtinus quē tu tantopere & merito de lu-
mine intelligentiæ nonnunq; laudaſti, habebat ne hanc interni ſpiritus
claritatē, qua potuiſſet de omnibus ſpiritualibus dogmatibus iudicare,
an nō? ſi non habuit, quare illum in materia de gratia & libero arbitrio,
tantū admiraris, & mordicus in omnibus te illi adhęrere affirmas, & nō
potius plenariū ſpiritum iſtum tuū illi proponis? ſin vero habuit, quo-
modo multa dixit, quæ poſtea retractauit, & in multis alijs locis ſcri-
pturæ hæret, ac veluti diuinando ſuam ſententiā profert? Quid dico di-
uinando, imo multa ſe in ſcripturis neſcire aperte & abſq; vllo fuco fate-
tur. Vis ſcire quo in loco? In epiſt. cxix. ad Ianuariū, vbi ipſum acriter re-
pręhendit, eo q̄d in epiſt. ad Auguſt. directa, eundem Auguſt. nihil ve-
ritatis latere dixerat: ſuper quo incōſiderato verbo, vide q̄ ægre tulerit
falſam & immodicā laudem vir Dei. Nihil (inquit) in epiſtola tua legi
triſtius, quod et apertiſſime falſum eſt, quia nō ſolum in alijs innumera-
bilibus me latent, ſed in ſcripturis multo plura neſcio quā ſcio. Attende
beati & exercitatiſſimi hominis vocē vere Chriſtianā, et hanc quidē ſe-
rio, et ſine vlla verboꝝ paliatione prolatā, quę dogma tuū aperte p̄dicat
eſſe mendaciſſimum. Non ergo de omni dogmate ſpirituali et ſcripturę
difficultate, lumē cognitiōis habuit Auguſt. q̄ppe cum q̄ in multis viri

alij

alij ſanctiſſimi & doctiſſimi non conſentiunt. I nunc tu o hæreticorum ambitioſiſſime, & tibi ſoli vendica ſcripturarum abſolutam intelligentiam, quã vir acutiſſimus tanta ſanctimonia prçditus, tãta doctrina prçclarus, iure ſibi denegauit. Sed ademit tibi hanc falſam gloriam fallax ille ſpiritus tuus, laus enim hypocritæ ad inſtar puncti: nam quãdo Pſalteriũ tanto cum applauſu non multis ab hinc annis prælegiſſes, internã hanc claritatẽ veritate cõpulſus, per ipſum oris tui organũ minime tibi cõuenire aſſeuerauit, vt paulo ante ex tuis ipſius verbis deduximus. Cũ tamen ante prælectionẽ illam perfricta fronte nil te in diuinis ſcripturis latere iactabas, omneſcp vt iſtud lumen in te experirentur prouocabas. O caput ſuperbũ, confuſionis et maniæ plenum. Vere dixit ſapiens ille de te et tui ſimilibus, Mẽtis inſtabilis verba inequalia. Hoc ſolum teſtimonium ſufficere poſſet Germanis qui hoc portẽtum hominũ admirãtur, quo manifeſto deprçhendant perditũ hominis ingeniũ, & veſanam mentem. Quid.n. amplius fecerunt Montanus & Maximilla, vaſa olim Satanæ, quã ſibi ſupra omes ſanctos Domini, arrogare cognitionẽ myſteriorũ Dei, et ſpiritus ſancti lumen ſibi præ alijs omnibus vendicare? Scio me nunc canem mortuum inſequi, & cum larua peſtilenti pugnare, ſed cuius nomen & doctrina penes multos maleſeductos, prohdolor, hodie & viuit & habetur in prçcio. Iam vero dicant mihi huius inſtituti ſectatores, qui ſpiritu priuato omia in fide dubia & cõtrouerſa in Eccleſia poſſe definiri aſſerunt, ſpiritus iſte eſt ne obuius omnibus, an non? ſi omnibus eſt obuius, cum credibile ſit, Ecolampadium, Zvuingliũ, Carolſtadium, & ipſum Lutherum hunc inſtanter petijſſe a Deo, id qđ et Lutherus in reſponſione ad Eraſmũ affirmat: quomodo in eis & per eos docet tam diuerſa & contraria in expoſitione ſacræ ſcripturç, et quidem ſuper rebus tã magni momenti? quæ enim de ſurſum eſt ſapientia, vt Iacobus ait, primum quidẽ pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens. Quibus iam potiſſimum credet Eccleſia, in quæſtionibus de fide Catholica neceſſario habenda? cũ omnes dicant ſe petijſſe a Deo diligenter, et per ſpiritum ſanctũ ſe tenere intelligentiã ſcripturæ. Quem ſi non putant ſe habere, vt non oſtendunt, qua fronte diuinorum intelligentiam, ſupra omnes ſanctos ſibi arrogant, et populos, vt ſe ſequantur inuitant ſuperbi et vani homines? Rurſus ſi obuius eſt omnibus, quare non etiã ſanctis doctoribus, quos conſtat quotidianis orationis exercitijs, hunc ſpiritũ a Deo petijſſe, et in diſciplinis fœliciter verſatos, magna vitæ ſanctimonia Deo placuiſſe, et miraculorum claritate mundo ſtupori fuiſſe? Quem ſi habuerunt (vt credere par eſt) quomodo iſti nouatores contradicunt illis, fere in omnibus quç docent? Certe ſi idẽ eſſet vtrobicp ſpiritus, cũ non ſit Deus diſſenſionis, ſed pacis, omẽs in his quæ ad fidẽ attinent, idipſum ſentire debuiſſent. Quare

Lutherꝰ ſimilis Mõtano & Maximillæ.

Iacobꝰ

Quod Lutherani Chriſti ſpiritũ [illegible] beant in his quæ docent

neceſſe

neceſſe eſt, vt alter iſtorum ſit mendax ſpiritus, vel horum nouorum dogmatiſtarum, vel ſanctorum doctorum. Quod ſi pro ſua impudentia, veritatis aduerſarij, ſibi rribuant ſpiritum veritatis, quomodo ſciet Eccleſia illos verum dicere, cũ in eis nec micam ſpiritus Chriſti videat, nulla miracula, nullam vitę ſanctimoniã, nullum mundialiũ rerum contemptum, nullam modeſtiã, nullam humilitatẽ, nullam deniq; cũ Eccleſia ſanctorum cõmunionem? quin potius ab omnibus antiquis patribus, & veteri et apoſtolica eccleſia manibus & pedibus diſſentiũt. Nunquid iudicabit hoc per ſacram ſcripturã? minime gentiũ. Nam ad ipſius declarationẽ poſitus eſt hic ſpiritus. Et niſi vellent iſti circulatores circulari, non reſtat certe aliud eis quo probent ſua dogmata vera eſſe, niſi quia ſic eis videtur: cum alijs multo pluribus & ſanctioribus, et doctioribus, et antiquioribus oppoſitum videatur: optimus certe modus definiendi fidei controuerſias. Dicunt, ſufficit nobis prędicare veritatem, quæ malis & corruptis moribus in Eccleſia ſepulta eſt, non egemus alia approbatione, nec enim aliud e ſuggeſtu, et in ſcriptis noſtris tonamus quam Chriſtum, Paulũ et euangelium, quod ſolum cupimus regnare, exploſis prorſus inanibus hominum cõmentis. Audio voces euangelicas, ſed ad decipiendũ ſimplices paratas. Cõmune eſt omnibus nefarijs hominibus, qui ſub religionis ſpecie præ cæteris ambiunt ſibi nomen aliquod cõparare, pernicioſis doctrinis populos ſeducendo, ſæpiſſime Chriſtum in ſuis ſcriptis et concionibus inculcare, ſacraſq; ſcripturas dextre et ſiniſtre citare, et magnos deniq; titulos ſibi arrogare. Fuerunt in Eccleſia hæretici, qui ſe apoſtolicos dixerunt: alij, qui a mundicie ſe[illegible] vocarunt: alij oratores, ab orationis exercitio: quos Eccleſia a ſuo gremio merito reiecit, et ſcriptores apoſtolici et peruetuſti in ſuis libris inſectati ſunt. Vna hæc iam peſtis deerat nobis quæ Eccleſiam ſub falſo euãgelij titulo vexaret, et a ſe inſectos, euangeliſtas diceret: his eulogijs illinit Sathanas vaſa ſua, quibus rudibus et carnalibus hominibus mortiferum venenũ propinet. Quę etſi vera eſſent (vt iſti falſo affirmãt) adhuc non ſufficerent ad cogendum fideles, vt in fidei controuerſiis illis acquieſcerent. At, quid dico ſufficerẽt? cum ſacratiſſimi Pauli apoſtoli autoritas, vt in initio prędicationis eius veritas ab omnibus reciperetur, viſa fuerit non ſufficere. Quippe qui non cõtentus ſpiritu quo Deus ipſum ſignauerat, et aperte vocauerat vas electionis ab eo factus, et quadã tenus declaratus, qui cœlos mente penetrauerat, ibiq; arcana multa, quæ non licet homini loqui, a Deo didicerat, Hieroſol. poſt xiiii. annos, ab incepta prædicatione ſua ad apoſtolos & ſeniores deſcendit, non proprio arbitratu, ſed ſecundũ ipſius ſpiritus reuelationem, quemadmodũ ipſe dicit in epiſt. ad Galat. vt cũ eis conferret euangeliũ et doctrinã, quã prędicabat: Cuius aſcẽſus cauſam ipſemet Apoſtol. nõ tacet, Ne forte (inqt) Galat. 1

in vanum currerē aut cucurriſſem. Quę verba tractans beatus Hieron. epiſt. xij. ad Auguſt. in hunc modum enarrat: Oſtendit Apoſtolus ſe nō habuiſſe ſecuritatem euangelij prędicandi, niſi Petri, & eorū qui cum eo erant fuiſſet ſententia roboratum. hæc Hieronymus. Sed & Tertullian. lib. iiij. aduerſus Martionem non aliter eū Apoſtoli aſcenſum exponit, dicit enim: Propterea Paulus Hieroſolymā aſcendit ad cognoſcendos apoſtolos & cōſulendos, ne forte in vanum cucurriſſet, id eſt, ne non ſecundū illos credidiſſet, & euangelizaſſet. Hoc idem etiā affirmat Theophilus ille Alexand. patriarcha, ſecundo libro de paſcate, vbi non aliā de cauſa Origenē ſpiritu ſuperbiæ agitatū fuiſſe prędicat, quam quod non cōtulerit fidē ſuam cū maioribus & prioribus, vti (inqt) fecit Paulus apoſtolus, vt videas quanti fecerit vas electionis publicū et cōmunem Eccleſię magiſteriū, cuius doctrinæ veritate per cōmunem Eccleſię ſpiritū cognita exploratacꝙ (agnoſcit enim ſpiritus ſanctus quod ſuum eſt, q ſcrutatur omnia etiā profunda Dei) dexteras ſocietatis illi dederūt apoſtolorꝝ primarij, vt Paulus ipſe & Barnabas in gētes, illi vero in circūciſionem euangeliū prędicarent. Idipſum procul dubio fieret nunc ab Eccleſiæ ſpiritu, q ſemper idem eſt, qui in principio fuit, ſi vera eſſent, quę iſti nouatores prædicarūt. Nam eo ipſo quod ad fidē attinent dogmata quæ diſſeminant, iudicari poſſent atcꝙ cognoſci a publico & cōmuni Eccleſiæ ſpiritu: At prædicarunt iſti fere per triginta annos, non curātes multum de Eccleſiæ conſenſu, imo ipſum ſuperba mente poſt habuerūt, qui tamē vix agniti ſunt a ſua prouincia, exceptis nōnullis, quibus ſuaſit auaritia, et carnalis libertas, atroxcꝙ in eccleſiaſticos odiū, quod apoſtoli iſti nuncꝙ nō inculcāt: Repugnat illis bona pars Germaniæ, Italia, Hungaria, Polonia, Gręcia, Hiſpania, et denicꝙ totus orbis. In quo (exceptis monachis, Pontificibus, et Eccleſiæ maioribus, quos iſti putant in ſe male animatos eſſe) multi, & pene innumeri ſunt viri pij, doctiſſimi, exercitatiſſimi, qui orationi nunquam non inſtant, et quibus magnopere diſplicent Eccleſiæ abuſus, & mala vita multorum: qui cupiunt veram doctrinam, ſimul cum morum probitate et ſimplicitate in Eccleſia regnare: qui tamen a doctrina iſtorum, ſcripto, verbo & opere longo interuallo diſtant. Sunt item fideles alij multi, ſimplices et recti corde, q hanc diſceſſionis doctrinam nouam legerunt & audiuerunt, quæ nihilo tamen magis eos mouit, quam ſi aniles quaſdam fabulas legiſſent aut audiuiſſent, tantum abeſt vt tanquam ſpiritualem doctrinā agnoſcant eam & complectantur. Orant certe hi pro ſe et alijs, quatenus a Deo ducantur, & illuminentur, et in viam pacis dirigantur: tenentes fidem, charitati ſedulo ſtudentes, pacem et vnitatem amantes, idipſum dicentes omnes: a quibus quis dicet abeſſe ſpiritus vnctionem, quo poſſint ſubodorari veram hanc doctrinam ſpiritualem eſſe, ſi ipſa vere

Hieron.
Tertull.
Theophilus.

vere ſpiritualis eſſet? At cum eam non agnoſcant, imo execrentur eorū ſpiritus, manifeſtum eſt doctrinam iſtam nouam non ſpiritualem, ſed carnalem & diabolicam eſſe. Hæc ſi claris intelligentiæ oculis, animi prius ſuperbia depoſita, Eccleſię aduerſarij animaduertiſſent, facile credo reſipiſcerent. Nec dicere auderent totum orbem male cæcutire, ſeq́ ipſos ſolos ſapere, & intelligere, volentes ab omnibus credi abſq́ vlla ſpiritus demonſtratione: in tantū ob id, quia ipſi dicunt, ſcilicet, id quod Deo ſoli præſtandum eſt. Superbia certe criminoſa & mille ſupplicijs digna. Si autem dicant iſtum ſpiritum non omnibus obuium eſſe, etiam ſi orationibus aduocetur, exprimant nobis, quibus patet & quibus nō, & quomodo ipſis fuit obuius, & alijs orantibus et obnixe petentibus viris ſanctiſſimis & doctiſſimis, & toto orbe celebratiſſimis, vereq́ apoſtolicis denegatus, et quas etiam ob cauſas. Inſuper oſtendant nobis ſigna aliqua manifeſta, ſibi ſolis cōuenire, vt controuerſiæ fidei finiantur, & intelligentiæ ſcripturæ, quā ipſi dant, tota Eccleſia acquieſcat. Quod ſi abſq́ ſigno aliquo dicant nos debere illis acquieſcere, tunc æqua cuilibet etiā ſpiritui phanatico, qui ſcripturam habeat in labris, et religionis ſtatum mutare vellet, eſſet ſtatim credendū. At Paulus docet, quod etſi angelus de cœlo aliud euangeliū, quā quod accepimus euangelizauerit, ſit nobis anathema. Habemus etiā doctrinam de cœlo, domini Chriſti Ieſu, qua docemur non credendum eſſe omnibus, qui dicunt hinc aut illinc eſſe Chriſtum, Geneuæ vel Argentinæ, vel Vuittenbergæ. Sunt exempla non rara in Eccleſia hæreticorum hominum, qui de iſto ſpiritu plenis buccis ſe iactarunt. Cherinthus enim per reuelationem Dei & angelorum, dicebat ſe habere doctrinam, quam contra apoſtolicas Traditiones prædicabat Simon Samaræus, Dei virtutem ſe eſſe dicebat. Maximilla et Montanus affirmarunt in ſe ſolis adimpletas fuiſſe promiſſiones Chriſti de ſpiritu ſancto, longe redundantius, quā in apoſtolis: quod et ſignis adhuc viſibilibus nitebant oſtendere, homines carnales & perditiſſimi, et quibus nulli forſan in Eccleſia extiterunt peſtilentiores. Spreuit tamen merito illos Eccleſiæ ſpiritus tanquam blaſphemos, attonitos & vanos hæreticos.

Ad hæc cum per orationem ſpiritus iſte attrahi debeat et aduocari, atq́ ad orationis efficaciam non ſufficiat quælibet humilitas, nec quæliſcunq́ frigida fiducia, ſed firma & perſeuerans aſſiduitas, Petitis.n. dicit Iacobus, et non accipitis, eo quod male petatis. Vbi ſatis clare notat Apoſtolus, poſſe eſſe defectū in oratione, nō modo circa res quę petunt, ſed etiam in modo petendi: propter quod cōmendat ibidem fidem orationis in nullo hæſitantem. Quis ergo hæc tam exacte præſtabit, vt donum quod petijt, ſe cōſecutum fuiſſe cognoſcat? Eſto quod ipſe ſentiat ſe conſecutū. vnde hoc alijs conſtabit, ſi reuelatione aliqua, vel inſtinctu, Iacobi 4

 ſpiritus

ſpiritus ſancti,aut ſigno aliquo viſibili atq; veraci non cõſtat? An quia ipſe hoc affirmat,ſtatim in re tã graui credendum eſt?Hoc plane temerarium,& a cõmuni hominũ ſenſu remotũ videtur. Accedit ad hęc, q̃d nulla extat in ſcriptura promiſſio priuato homini facta,de ſpiritu intelligẽtiæ,& dubiorũ fidei reſeratione,etiãſi a Deo petat.quare nõ tenemur credere,nec indubitato illi acquieſcere,in religionis diſſidijs, niſi forte cũ communi ſenſu Eccleſiæ conſonuerit,atq; ab ea probatus fuerit.

In ſumma,omnis ſpiritus priuatus,Eccleſiæ minime manifeſtus, vel hæreticus eſt,ſi contra Eccleſiam doceat:aut ſuſpectus, ſi nouitates aliquas,præter ea,quæ tradita ſunt, introducit: vel ſi recta docet,eo quod abſconditus eſt,non ſufficit ad hoc, vt illi veluti diuino oraculo,in dubijs fideles acquieſcant:nec tenentur ei firmiter credere, niſi pateter probet quod vel affirmat vel negat,ſcriptura vel apoſtolica Traditione,cõſenſu ſanctorum vel Eccleſiæ firmata. Adde quod licet aliquibus ſignis, & quaſi portentis oſtenderit,& manifeſtum quodãmodo ſe fecerit,in re grauiſſima(vt eſt fidei negocium)non eſt ſtatim leuiter ei credendum. 1 Ioan. 4 Nolite(inquit Ioannes)omni ſpiritui credere,ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint,eo quod multoties Sathanas transfigurat ſe in angelum lucis. Pulſandus eſt orationibus Deus,& omnia remedia tentanda ſunt, priuſquam nos ſpiritui priuato credamus. Ita vt quando receperimus eius iudicium, non eum iam pro priuato,ſed pro cõmuni & publico poſſit haberi.Et licet epiſcopi a ſuis ſubditis in rebus dubijs ſint ſequendi, intelligi debet interim,q̃d aliud non patet, aut quãdo ſecundũ cõmunem Eccleſiæ ſenſum docẽt.Quãdo vero e priuato loquunť capite,nõ teneñť fideles eis firmiter adhęrere,ſed cũ modeſtia et humilitate licebit a viris alijs doctis & catholicis veritatẽ inqrere,et de ea(ſi opus eſt)epiſcopum reuerenter admonere, et cum eo rem(veluti cum patre decet) agere.

Ex huius aſſertionis doctrina cum adiutorio præcedentis, emergit corollarium,hæreticos cum in fidei diſſenſionibus ad ſcripturam prouocant,tanquam ad vltimũ remedium, minime audiendos nec admittendos eſſe. Carent vtroq; lumine,externo & interno. Externo,q̃a ſenſum Eccleſiæ non recipiunt, & ſanctos Eccleſiæ patres atq; doctores, q̃ eas expoſuere,ſuperbe reijciunt:Interno,quia carnales homines ſunt,& plane animales,ad quos iuxta Paulum non pertinet de ſpiritualibus iudicium. Quamuis enim nullum aliud crimen haberent,præter hęreſin, & apoſtaſiam,operarij carnis ſunt, in eo quod ſectarij ſunt. Manifeſta (inquit Apoſtolus)ſunt opera carnis,quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia,luxuria,idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones,æmulatiões,iræ,rixæ,diſſenſiones,ſectæ.Nihil ergo ad illos pertinebit iudicium de ſpiritualibus dogmatibus. Item quia ſcriptura diuina, poſſeſſio propria Eccleſiæ eſt (ad eius vtilitatem data) & membris

eius

eius conſcripta, & a doctore Eccleſiæ Ieſu Chriſti ſpiritu eſt dictata, extra quã ſchiſmatici velint, nolint, ſunt, cum ab illa ſponte ſua exierint, & cũ illa non colligant, imo extra eã pernitioſe diſpergãt, ſeipſos ſegregantes, animales homines ſpiritum non habentes. Nec poteſt magis ad eos pertinere, quã ad Iudæos, vel Saracenos, cum quibus nil habet cõmercij Chriſtiana religio, literas ſolas tenent, & ſenſu eius prorſus carent. Vnde D. Hieronymus exponens illud canticorũ, En ipſe ſtat poſt parietẽ noſtrum. Poſt parietem (inquit) latet verbũ in ſcriptura, quod non intelligit anima, niſi intra parietes Eccleſiæ poſita, & charitate veſtita. Iſidorus aũt libro tertio de ſummo bono aliquid amplius addit, propter quod hæretici ad prouocationẽ ſcripturæ, admitti non debent. non ob id ſolum, quod lumine interno careãt, ſed quod eã ſiniſtra intentione corrumpant: Scripturas (inquit) hæretici ſano ſenſu non ſapiunt, ſed eas ad errorẽ prauæ intelligẽtiæ ducunt, neq; ſemetipſos earum ſenſibus ſubdunt, imo eas peruerſe ad errorem propriũ pertrahunt. Adde quod ad nihil aliud valet huiuſmodi collatio, quã ad ſubuerſionẽ ſimplicium fidelium, qui audiunt, qui cum videant res fidei in dubiũ uocari, nutãt, & infirmiores redduntur, vel ad maiores ſuſcitandas tragœdias, vel ad odia confirmanda. Nemo hæreticorũ per ſcripturã ſolam vnq; fuit conuerſus, neq; conuictus, quia omnis hæreticus ſemper putat ſcripturã habere pro ſe, vnica diſtinctione eludunt ſcripturæ locos, etſi luce ipſa ſint clariores: dicentes ſic vel ſic intelligitur, pro ſuo captu et lubitu, vel non, ſic habet alia translatio, accipitũ res pro ſigno, et frigida quædam alia cõminiſcuntur, quibus eludant, quæ ſibi obijciuntur. Quod abunde vidimus, et quotidie viſum eſt in collocutiõibus publicis et particularibus, cum ijs qui erroribus iam adhæſerunt. Idcirco D. Paulus, cum de negocio hæretici, qualiter cum illo agi debet, ſuum Titum admoneret, non vt cum illo diſputaret, tanquã vltimũ remedium poſuit, ſed vt poſt vnã aut alteram correptionem deuitaret. Sciens (inquit) quia ſubuerſus eſt, q eiuſmodi eſt, et delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus. Quæ verba tractans Tertullianus idem omnino aſſerit quod nos affirmamus: Cum hæreticis (inquit) nil proficit congreſſio ſcripturarum, niſi plane ad ſtomachum mouendum, aut cerebrum male agitãdum. Quis enim dubitat hæreticum non vere recipere ſcripturas, quantumuis ſibi glorietur, niſi ſuis adiectionibus, aut detractionibus ad inſtituti ſui normam interuertẽtem? Quid promouebit vel exercitatiſſimus in ſcripturis, ſi quid cum eis agens defenderit, aut ex aduerſo negauerit, ipſo heretico, vel impugnante defenſum, vel defendente impugnatum? Ventum eſt ad ſcripturas, ille dicit ſe abundare ſuo ſenſu, interuertit eas, et praua intelligentia defendit, actum ergo eſt de diſputatione, et nihil concluſum: nihil ergo conſequitur, niſi iurgioſa cõtentio, aut vilis laus de blaſphemia,

Hieron.

Iſidorus

Apoſtol

Tertull.

phemia,& vt illi qui adſtant magis dubij euadant,cum videant te nihil promouiſſe. Hæc Tertullianus,qui tã clare iſta diſcernit, vt aliis verbis opus non ſit pro noſtræ doctrinæ & veritatis fulcimẽto:quod de diſputatione publica,corã ſimplicibus & carnalibus hominibus intelligendũ eſt,& per quam reſolutio vltima in dubijs expectetur ex ſcripturarum

Siſinius cum hæreticis collatione. Hoc idem conſiliũ venerabilis Siſinius(vt refert Socrates) vir ſapientiſſimus, magno Theodoſio dedit, ſuper cõpoſitione diſſidiorum fidei ab eo conſultus, quæ illo tẽpore Eccleſiam orientis vrgebant: Diſputatio (inquit) non ſolum ſchiſmata non vnit, ſed et hæreſes et contentiones maiores adducit,ideoq; conſuluit,vt Imperator diſputationes & contentiones fugeret,& teſtimonia ex Traditione veterum adhiberet in concluſione rerum fidei. Quantũuis ergo homo contumaciter errans,de linguarum cognitione, & de aliis humanis adminiculis,quæ videntur requiſita ad cognitionem ſenſus ſcripturæ glorietur,Grãmaticam ſolam tenet,literas ſolas mortuas nouit,non poteſt in huiuſmodi dubijs,cum per ſe,contemptis maioribus viris apoſto-

Tertull. licis,vult ſapere,niſi Sathanice theologizare. Qua in re idem Tertullianus in eodem libro, catholicum ſatis aduerſus Eccleſiæ deſertores dat iudicium: Diſpici(inquit)debet cui cõpetat poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur ad eam,cui nullo modo competit. Et paulo poſt,loquens de Martionitis,qui de ſcripturæ ſenſu vanis vocibus gloriabantur, ad eam prouocantes, ait: Non ſunt admittendi hæretici ad ſcripturarum prouocationem,quos ſine ſcripturis probamus ad ſcripturas non pertinere:ſi enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt: Et ſi non ſunt Chriſtiani,nullum ius capiunt Chriſtianarum literarum. Hoc ſentiebat ille,apoſtolis proximus, cum ſeculi ſui Eccleſia. Eſt ergo ad aliud magiſterium in huiuſmodi diſcriminibus confugiendum.

ASSERTIO QVINTA.

Quando de intellectu ſcripturæ ſuper rebus grauibus ad religionem pertinentibus acriter controuertitur,nec eadem ſcriptura,fidei quæſtiones definiri valent, ad ſpiritus ſancti publicum magiſterium in Traditionibus apoſtolicis & ſenſu Eccleſiæ contentum, neceſſario eſt habendus recurſus,tanquam ad certiſſimum remediũ & tutiſſimum aſylum.

PEr Eccleſiam obiter hic intelligo (ne nobis obſtrepant cum de hoc nomine falſo glorientur aduerſarij) fidelium in Chriſto credentium congregationem,in vnitate fidei permanentem: non vt iſti ſunt in varias ſectas ſuper rebus fidei grauiſſimis male diuiſi, ſed idipſum dicentes omnes, in vna fide, ſub vno Chriſto,et in vno Baptiſmate(ſicut Paulus docet.)

Congre-

Congregationem (inquam) viſibilem, manifeſtam, quæ a quolibet qui fratrem inordinate ambulantem velit corrigere, facile iuxta Chriſti præſcriptum Matth. xviij. inueniri poſſit: nõ ſpiritualem vel mathematicam, ex prædeſtinatis aut charitate præditis tãtum adunatã, veluti impius Vuiclephus, Huſſus et Lutherus male olim docuerũt, ſed ex malis & bonis, dum in hoc mundo verſatur, coaptatã, ſicut olim in arca Noe erant animalia munda & immunda, & ſagena illa euangelica, quę continebat tã bonos piſces q̃ malos: quod Cyprianus et Auguſtinus de fide ad Petrum, et Gregorius ſuper Matthęum, et alij ſancti docuerunt. Matt. 18 Cypria. Auguſt. Gregor.

Catholicam ſeu vniuerſalem, per totum mundum diſperſam, non ad angulos hæreticorum & malignantium conuenticula contractam, iuxta Eſaiæ liiii. & Pſalmi ij. vaticinium, et prout in ſymbolo Niceno & Conſtantinopolitano dicitur. Quæ a Chriſto capite ſuo non diuellitur, ſed ſemper illi adhæret, & inſeparabili glutino ſpiritus veluti legittima ſponſa copulatur, vt ex Hoſea ij. & Cor. xii. et i. et iiij. et v. Ephe. capite habetur, cui dictum et promiſſum eſt ab eo qui fallere nequit, ſponſo eius Chriſto, Vobiſcum ſum vſq; ad conſummationẽ ſeculi: non quæ heri cœpit cum Luthero, aut Huſſio, vel alijs apoſtatis. Eſaię 54 & Pſal. 2 Hoſeas Matth. vltimo

Quæ apoſtolica eſt, hoc eſt, non ſolum quod doctrinam apoſtolicã tenet: de qua re quælibet ſchiſmatica congregatio (quantumuis falſo) gloriatur et gloriata eſt, ſed quæ omnem apoſtolicam doctrinam, tam ſcripturis contentam, quã Traditionibus ſanctis cõmendatam ab apoſtolis tenet, prout Paulus iubet. ij. Theſſ. ij. et quę ſuccedit ijſdẽ dogmatibus, ijſdem ſacramentis, eadem epiſcoporum et Eccleſiarum ſerie, Eccleſiæ illi quæ ſub apoſtolis, et eorum diſcipulis, alijſq; apoſtolicis patribus a Deo plantata eſt, prout docet Irenęus, Tertullianus, Cyprianus, et D. Auguſt. & multi alij, vt iam iã videbimus: in qua floruere martyres, vixerunt ſanctiſſimi confeſſores, triumpharunt ſacræ virgines, in qua gloriabantur ſe eſſe ſanctiſſimi doctores, & ſunt & fuerunt omnia munera gratiarum, graduũ, officiorum atq; donorum, quę ſpiritus ſanctus impartitur prout vult. Non eã vbi omnes coniugati, omnes epiſcopi, omnes ſacerdotes, omnis ipſa plebs, vbi nullus ordo, ſed ipſiſſima confuſio, quæ nullos vel paucos a ſuis primordijs ſignare poteſt anteceſſores, & hi quidẽ (quos ſignare poteſt) Schiſmatici, & ab Eccleſia excluſi, vel prorſus occulti, fidelibuſq; minime cogniti. Apoſtol Irenæus Tertull.

Siquidem hæ ſunt veræ Eccleſiæ notæ, quæ reddunt illam adeo perſpicuam & manifeſtam, vt quilibet ad eam poſſit in dubijs recurrere, & ab illa lumen intelligentiæ mutuari: nam notæ illę quas hæretici ſuis ſynagogis falſo ſolent aſſcribere, vt puta, habere Chriſti doctrinã, et hanc puram, ſacramenta & rectum eorum vſum, quanquam Eccleſiæ propriæ ſint, nõ ſunt tamen adeo claræ, et ſufficiẽtes ad veram Eccleſiã de-

monſtrandam, vt per eas poſſit, nec exercitatiſſimus veram Eccleſiam ab adulterinis conuenticulis, quæ has notas ſibi tribuunt, ſecernere. Nã Donatiſtæ olim, Sacramẽtarij, Lutherani, Anabaptiſtæ, & peſtes aliæ, quæ vnitatem fidei minime inter ſe ſeruant, ſed magnis in rebus atrociter diſſentiunt, notas has omnes, ex æquo ſibi arrogarunt, volens vnaquæque iſtarum factionum, his confuſis notis Eccleſiam ad ſe trahere, cũ vna et indiuiſa, vniuerſalis et apoſtolica debeat eſſe Eccleſia. Hęc de vera ratione Eccleſiæ, ſic perfunctorie dicta, bene conſulat pius lector, q͞a non eſt præſentis inſtituti, tam latum & magnificum argumẽtum tractare, ſatis eſt (quod ad noſtræ aſſertionis dilucidationem facit,) hęc vel tenui calamo perſtrinxiſſe.

Huic ergo Eccleſiæ, (præter alias pręcioſiſſimas dotes, quibus Chriſtus verus Deus & ſponſus eius, ſua magnificentia eam dotauit,) factæ ſunt etiam magnificæ & abſque vlla conditione promiſſiones, de doctrina ſpirituali fidei, & ſenſu eius, per ſpiritus ſancti magiſterium, qui non ad horam tantum, vel per interualla temporum, ſed a die deſponſationis ſuæ perpetuo, & ſucceſſione continua, vſque ad finem ſeculi ei aſſiſtit. Afferamus ex diuinis oraculis, & ſanctorum teſtimonijs, ſelectiora quędã, ne flumen tã immenſum ſicco pede tẽtemus traijcere. Pſal. lxxxviii.

Pſal. 88 qui ſtatum veri Meſſiæ redemptoris noſtri, & Eccleſiæ eius ad literam deſcribit, hanc Dei habet ad membra Eccleſiæ pollicitationem: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, quoniam gloria virtutis eorũ tu es, quia domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri. Si autem (inquit Deus) dereliquerint filij eius legem meam, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiã autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Vbi adeſt luminis intelligentiæ et miſericordiæ diuinæ ad Eccleſiam repromiſſio, a bona aut mala vita minime dependens. Eſaiæ quoque liiii. poſt

Eſai. multa quæ de Eccleſiæ ſtatu futuro pędixit, teſte Paulo in epiſtola ad Galatas, qui de hac Eccleſia Chriſti in ſenſu literali hoc intelligit, ait: Montes cõmouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autẽ mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus Dominus. En fœdus vnionis & pacis Eccleſiæ cum Deo ſponſo ſuo. Et infra: Omne vas quod factũ eſt contra te, non dirigetur, et omnẽ linguam reſiſtentem tibi in iudicio iudicabis. Hæc eſt hæreditas ſeruorũ Domini, & iuſtitia eorum apud me. Iam hic habes iudicij autoritatem, & magiſterium in Dei Eccleſia, aduerſus omnes impugnatores veritatis, & quotquot obdurato animo illi repugnant. Rurſus cap. ſequenti, cum hac eadem Eccleſia & membris eius loquens, hoc modo paciſcitur Deus benedictus: Hoc fœdus meum cum eis, ſpiritus meus qui eſt in te,

& ver-

& verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & ore ſeminis, et ſeminis tui, a'modo vſq; in ſempiternum. Adeſt iam clarũ diuinæ doctrinæ magiſterium ab Eccleſia nunq; defuturum, ſed iugi & minime interrupto tenore duraturum. Eſt etiam clarum Hoſeæ vaticiniũ, & perpetuorum ſponſaliorũ cum eadem diuina pactio, quam idẽ Apoſtolus in literali ſenſu, de vera Eccleſia intelligit: Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide. vbi vides iudicij, iuſtitiæ & miſericordiæ & fidei perpetuæ promiſſionem, quæ nunq; deerit. Perpetuæ igitur illius ſunt dotes, ſpiritus ſancti magiſterium, iudicium, iuſtitia, fides atq; autoritas. Bonus enim ſponſus & liberalis, omnia ſuæ dilectæ ſponſę cõmunicat, quorum ſcit ſponſam ſuam neceſſe habere, & quibus poſſit & nobilitari et condecorari. Eget autem permaxime lumine intelligẽtiæ et autoritate erga ſcripturã & ſenſum eius. Nam cum neceſſe ſit, vt in ea ſint ſcandala, & oporteat in ea hęreſes ſuſcitari, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, opus habet vt imperfectos perficiat, ſimplices imbuat, hæreſes coarguat, & proficientes ad finem deſtinatum deducat, huiuſmodi lumine & autoritate. Ob idq; Chriſtus eius ſponſus rediturus ex hoc mundo ad patrẽ, ne deſtituta et deſolata maneret, non ſolum apoſtolis, quos breui ſciebat obituros, ſed ſucceſſioni eorum, ſpiritus ſancti magiſteriũ, promittit in ea perpetuo permanſurũ. Rogabo (inquit) patrem meũ, & alium paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternum. poſt vero, Paracletus autẽ ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis om̃ia, quæcunq; dixero vobis. Cap. etiam xvi. Cũ venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatem, non enim loquetur a ſemetipſo, ſed quæcunq; audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis. Pro qua re orauit idẽ ſponſus ad patrem, non pro apoſtolis tantum, ſed pro eis, qui credituri erant per verbũ eorum in ipſum, quatenus in vnitate manerent, & nunq; a veritate ſepararentˉ. Vnde Tertullianus lib. de Trinitate verſans illud ij. Cor. iiij. Habẽtes eundẽ ſpiritũ fidei, ait: Vnus ergo & idẽ ſpiritus, q in Prophetis, & in apoſtolis fuit, niſi qa ibi ad momentum, hic vt ſemper maneret: ibi mediocriter diſtributus, hic totus effuſus: ibi parce dat, hic large: nec tamen ante reſurrectionẽ Domini exhibitus, ſed poſt reſurrectionẽ Chriſti cõtributus. Rogabo (inquit Chriſtus) patrem etc. Et non multo poſt, poſtquam mirabiles ſpiritus ſancti effectus poſuit, ſubiunxit: Hic eſt qui prophetas in Eccleſia conſtituit, magiſtros erudit, linguas dirigit, virtutes et ſanitates facit, opera mirabilia gerit, diſcretionẽ ſpirituum porrigit, gubernationes cõtribuit, conſilia ſuggerit, et quęcunq; ſunt alia chariſmatum dona, componit. Et ideo Eccleſiam Domini vndiq; in omnibus perfectã et conſumma-

Margin notes: Hoſeæ 2 · Dotes Eccleſiæ · Ioan. 14 · Ioan. 16 · Ioan. 17 · Tertull. · Effectus ſpiritus ſancti in Eccleſia

Handwritten marginalia: Cur ſcandala & hæreſes oportuit · Spiritus Prophetis et Apostolis differenti.

ſummatam facit. Quamobrem peruetuſtus hic doctor cum alijs anti- quitate fere paribus, & ſanctitate maioribus,ad eam veluti ad fontem viuum aquarum redundantiſſimum confugiendum docet, libro de præſcriptione hæreticorum,dicens: Illic eſt veritas ſcripturarum, vbi apoſtoli prædicauerunt, & ſucceſſores eorum docuerunt. & exponens ad quam normam examinari debeat doctrina, ad Eccleſiatū magiſte- rium docet ibi recurrere: Quod prædicauerunt (inquit) apoſtoli, & quod illis Chriſtus reuelauit, non aliter probari debet, niſi per eaſdem Eccleſias,quas ipſi apoſtoli condiderunt,ipſi eis prædicando, tam viua quod aiunt voce,quam per epiſtolas. & ſubinfert:ſi hæc ita ſunt, con- ſtat perinde omnem doctrinā,quæ cum illis eccleſiis apoſtolicis matri- cibus & originalibus fidei conſpiret, veritate deputandam, & ſine du- bio tenendam,quam Eccleſia ab apoſtolis, apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit: reliquam vero doctrinam de mendacio præiudicandā.

Quomodo probanda fides apoſtolica

Infra vero (ne per Traditionem,ſcripturam ſolam intelligeret calumni- ator) quid per Traditionem intelligat ipſe aperte declarat: Traditionē (inquit) per viuam vocem doctrinæ eccleſiaſticę appellabat Apoſtolus depoſitum,quando dicebat Timotheo,o Timothee,depoſitum cuſto- di. & infra,denuncio tibi vt cuſtodias preceptum quod dedi tibi coram teſtibus. Hactenus Tertullianus. Clare hic amuſſim ſeu regulam inob- liqualem,Eccleſiæ ſenſum et magiſterium a ſpiritu ſancto apoſtolis tra- ditum conſtituit vetuſtiſſimus iſte, qua poſſimus certi reddi in doctri- narum varietate,quænam ſit vera,quæve adulterina: ſimul & vnam ex notis præcipuis eccleſiaſtici conuentus aperuit, quam ipſe et alij poſt eū magis ac magis in ſequētibus palam faciunt. Libro etiam primo aduer- ſus Martionem diſputans,quomodo Paulus in epiſtola ad Galatas nō- loquebatur de alio Deo quam de illo,de quo fit mentio in veteri Teſta- mento, ait: Si Paulus illic ſic diſputaret,appareret in Paulo, quod ſi poſt adulterium veritas ipſa paſſa eſt, apoſtolica Traditio nihil paſſa eſt in tempore ſuo circa Dei regulam, & non alia cognoſcēda erit Tra- ditio apoſtolorum,quam quæ hodie apud ipſorum Eccleſias creditur. Vides,ad apoſtolicam & eccleſiaſticam doctrinam recurrit, tanquam ad medium neceſſariū tenendæ veritatis: nec hoc ſolum licet in ijs ver- bis intelligere,ſed quod non ſine magna Dei diſpenſatione, præter ſcri- pturam viua Traditio in Eccleſia remanſit,vt ſi forte eſſent hęretici, qui ſcripturam dicerent eſſe corruptam, vt iſti dicebant Paulum duntaxat & Lucam, et hos truncatos recipientes, Traditione apoſtolica poſſent conuinci.

Depoſitum Pauli Traditio

Nota p̄ci pua verę Eccleſiæ

Irenęus

Item Irenęus contra Valentinianos,cum ex ſcripturis male intellectis atq; corruptis,perditiſſimas in Eccleſia diſſeminarent doctrinas, ad Ec- cleſiæ ſenſum et magiſterium, per Traditionem apoſtolorum in eadem

Eccleſia vigentem recurrit, non ſemel ſed centies. Nec cum hoc agebat hic apoſtolicus, putabat ſe in caducum parietem inclinare, ſed fortiſſimo muro ſe tueri. Dicit enim Traditionem apoſtolorum in toto mūdo manifeſtatā in Eccleſia. Adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire, et habemus cōmemprare eos, qui ab apoſtolis inſtituti ſunt epiſcopi in Eccleſijs, et ſucceſſoribus eorū vſq; ad nos, qui nihil tale agnouerunt, neq; tradiderūt quale ab ĳs deliratur. Etenim ſi hæc myſteria ſciſſent apoſtoli, qui ſeorſim ac latenter a reliquis, perfectos docebant, ĳs vel maxime traderent ea quibus etiam ipſas Eccleſias cōmittebant: valde enim perfectos in omnibus eſſe volebant, quos et ſucceſſores relinquebant. Deinde recēſens ſucceſſores apoſtolorꝝ in ſedibus apoſtolicis, maxime Eccleſiæ Romanæ, ad quā dicit propter eius principalitatē potiſſimū eſſe recurrendū, ſubiunxit: Non oportet apud alios quęrere veritatem, quā facile eſt ab Eccleſia ſumere, cū apoſtoli quaſi in depoſitorium diues, pleniſſime in eā contulerint omnia quæ ſunt veritatis, vt oīs qui velit ſumat ex ea potū vitæ. Quorſum putas quod iſte diuus et bonus pater, recurrendū eſſe iubet, ad ſucceſſores epiſcoporꝝ, et cathedras apoſtolorum? nūquid vt ſcripturas mortuas ibi legerent, quarū omnes facile copiam habere poterant, et præ manibus tunc habebāt? Ridiculū eſſet ſane cōſilium iſtud, ſi ſuppetias quas ad manum vnuſquiſq; habet, apud alios longinquos atq; remotos quęrere ſuadeatur. nō ergo hoc volebat hic ſanctus et apoſtolicus præſul, ſed ob id ad apoſtolicas Eccleſias fideles remittebat, vt ſenſu veritatis ab eis percepto, eo quaſi aqua ſalutari potarentur, et ſpirituali cibo alerentur et ſatiarentur, et tandem a fidei diſturbĳs, veluti diuinis oraculis eruditi, quieſcerent. Hic aduerte obiter quod cū ad apoſtolorū ſucceſſores remittit, non dicit quod nihil tale legerunt in ſcriptura, quale a Valentinianis delirabatur, ſed quod nihil tale agnouerunt, neq; ſuis Eccleſĳs tradiderunt, ita vt non ſola ſcriptura fuerit illis antiquis patribus regula informationis rerum fidei, ſed cum apoſtolorum et maiorum Traditione coniuncta, a quibus tanquam a verticibus, potiſſimum iſtud magiſteriū in mēbris Eccleſiæ effluxit et acceptū eſt, ſimul inhibens, quemcunq; fidelium, ne apud extraneos veritatem quęrat, niſi apud Eccleſiam catholicam et apoſtolicā, in qua velut in repoſitorio diuite, quicquid fidei eſt recondit ſpiritus ſanctus. Sed pergit Irenęus de eadem ſancta Eccleſia loqui, noſtramq; veritatē magis ac magis patefacere: Hæc (inquit) eſt vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt et latrones, propter quod oportet quidem deuitare illos: quæ autē ſunt Eccleſiæ, cū magna diligentia diligere, et apprehendere veritatis Traditionē. Ecce Eccleſiā dicit vitę introitū, nō ob aliud niſi quia ab ea oportet quærere in re dubia cognitionem veritatis. et ſubiungit, aſſertionem noſtram re et verbis confirmans: Quid enim

Irenæus

ſi de

ſi de aliqua modica quęſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in anti-quiſſimas recurrere Eccleſias,in quibus apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere , quod certum et liquidum eſt? Bene habet vir apoſtolice,ſatis clare docuiſti nos pro fidei quæſtionibus ad ſenſum Eccleſiarum,non nouatorũ,ſed antiquorum patrum,non ad pri-uata cõuenticula,ſed ad cathedras & ſucceſſiones apoſtolorum,in quas apoſtolici viri animarũ præſides,continuo tenore ſucceſſerunt:id quod pauloante,cum de notis veræ Eccleſiæ ageremus,inculcabamus. ad has (inquam) & merito iubes eſſe recurrendum,quibus ſaluberrima Chri-ſti & apoſtolorum doctrina non ſolũ data,verum et declarata eſt . Sed oſtende iam ſancte pater quales vires habeat apud filios Eccleſiæ iſtud magiſterium per ſpiritum ſanctum ipſi Eccleſiæ collatum,hoc enim de-eſt nobis vt confirmes.Quid autem(inquit)ſi neq; Apoſtoli ſcripturam reliquiſſent nobis,nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis , quam tradiderunt ĳs quibus cõmittebant Eccleſias:cui ordinationi aſſentiũt, occulte gentes barbarorum,quæ in Chriſto credunt,ſine charactere vel atramento,ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſalutem,& vete-rem Traditionem? Igitur per te o bone pater,tale eſt in Eccleſia magiſte rium,vt ſi ſcriptura nulla nobis eſſet tradita , per ipſum dirigeremur in viam ſalutis & agnitionem veritatis. Ergo vbi ipſa ſcriptura deeſt , vel quia in ea omnia non continentur,vel obſcura eſt,ſiue propter noſtram tarditatem, aut impugnatorum Eccleſiæ peruicacitatem perplexa vi-detur ſuper aliqua quæſtione,idem nobis manet remediũ , iſtudq; vni-cum & inuiolabile , apoſtolica.ſ. per ſpiritum ſanctum viua Traditio, quod enim in totum iuuat,etiam in partẽ poterit nobis adiumento eſſe. Quod autem in pręſentiarum huic diuo ſermo ſit de Traditione,prout condiſtinguitur ab ſcriptura ,ne locum habeat aduerſariorũ calumnia , confundentium nomen Traditionis cum ipſa ſcriptura, ex ĳs quæ ver-ba iſta antecedunt licebit ſumere periculum. Habet enim cap . ĳ. idem doctor hanc de hæreticorum lubricitate querimoniam: Cum (inquit) ad ſcripturas prouocamus eos,dicunt opus eſſe Traditione ad eius in-telligentiã,quæ per viuam vocem tradita eſt : cum autem ad eam iterũ Traditionẽ quæ eſt ab apoſtolis,quæ per ſucceſſores presbyterorũm in Eccleſĳs cuſtoditur,prouocamus eos , aduerſantur Traditioni, dicẽtes ſe non ſolum presbyteris,ſed apoſtolis exiſtere ſapientiores , ſoloſq; in-dubitanter nouiſſe myſteria . Ecce conueniebat Irenæus cum Valenti-nianis in hoc,pręter ſcripturam.ſ.opus eſſe Traditione,ac ſenſu ſpiritus ſancti,ad quem adiundum eſſet in fidei quęſtionibus , alias ab ipſa ſcri-ptura non prouocaſſet ipſos Irenæus ad apoſtolicam Traditionem, quã ſuis verbis fatebantur,ſed diſcrepabant,quod illi apud ſe aliam recon-ditiorem Traditionẽ (quam eccleſiaſtica eſſet)ſibi arrogabant . Quod iterum

Irenæus

iterum ex primo huius D. libro conſtat, vbi præter ſcripturã, alia ſcientia, alioq; lumine egere fideles ad eam intelligendam affirmat, dicens: ſcripturæ quidem perfectę ſunt, quippe a verbo Dei et ſpiritu eius dictę, ſecundum hoc et ſcientia myſteriorum eius indigemus. Nec eſt mirum ſi in ſpiritualibus cœleſtibus & ijs quæ habent reuelari, hoc patiamur nos, quandoquidem et eorum quæ ante pedes ſunt, quæ et conterantur a nobis, & videntur & ſunt nobiſcum, multa fugerunt noſtram ſcientiam. Nil clarius dici potuit, ad noſtræ aſſertionis ſulcimentum. Hanc ſcientiam myſteriorum Dei lumen vocat, quod Eccleſiæ creditum eſſe dixit libro v. idem Irenęus, Lumen (inquam) publicum, non ſub modio aut candelabro poſitum, ſed ſupra montē æditum vt luceat omnibus ijs, qui intra parietes domus Dei ſunt: Huic (inquit) Eccleſiæ, creditum eſt lumen Dei: propter hoc ſapientia Dei, per quam ſaluat Deus homines, in exitu canitur, in plateis fiducialiter agit, in portis ciuitatis conſtanter loquitur, vbiq; .n. Eccleſia prædicat veritatem, hęc eſt, lucerna, ἑπτάμυξος ſeptem canaliculos habens, Chriſti baiulãs lumen: cuius præconium qui relinquit, ſanctos presbyteros de ignorantia ignoranter arguit, non contemplantes quanto pluris ſit idiota religioſus, quã impudens ſophiſta: tales ſunt (inquit) omnes hæretici, qui ſe plus aliquid pręter veritatem inuenire putant, varie & multiformiter imbecilles faciẽtes iter, de eiſdem non ſemper eaſdem ſententias habentes, velut cœci a cœcis circumducuntur, iuſte cadentes in ſublatentem ignorantiæ foueam, ſemper quærentes, et nunquam inuenientes, quia ſuo cerebro fidunt, & proprio ſenſu abundant: ab ijs oportet fugere, et ad matrem Eccleſiæ recurrere. Et ſubiungens cauſam quare conciliabula horum debeat fidelis deſerere, & ad Eccleſiam manifeſtam confugere, adijcit: Eſt enim Eccleſia plantata paradyſus in hoc mundo, in qua iubet nos ſpiritus Dei ab omni ligno et fructu Dei manducare, ſed de ligno ſcientiæ boni & mali, id eſt, de elato ſenſu, de hæretica prauitate, prohibet nos, ne tangendo mortem incurramus. hæc omnia Irenæus. Qui non ſolum Eccleſiæ lumen manifeſtum, eiuſq; veritatis præconium nobis commendauit, & merito, verum & graphice nobis depinxit hæreticorum ingenia, quam ſint vana, cœca, elata, inſtabilia & lubrica, in ijs quæ docent, & in ſcripturæ intellectu: quod in præſentis Eccleſiæ hoſtibus vel ipſis manibus palpamus.

Irenęus

Iam quod iſtud lumen, & diuinæ virtutis pręconium ſit in Eccleſia, & eidem a ſpiritu ſancto conceſſum, libro tertio capite quarto idem pater apertis verbis docet: Vbi Eccleſia (inquit) eſt, ibi et ſpiritus, & vbi ſpiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia, ſpiritus autem veritatis. Quapropter qui nõn participãt eum, nec a mamillis matris nutriuntur, non bibunt de fonte nitidiſſimo de corpore Chriſti procedente, ſed effodiũt

ſibi lacus detritos, de foſſis terrenis, & de cæno putridam bibunt aquā, refugientes fidem Eccleſiæ ne traducantur, reijcientes ſpiritum, vt non erudiantur, alienati a veritate, digni qui in omni volutentur errore. En tibi fontem doctrinarum perennem fluentem de corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, per ſpiritum ſanctum obuiū omnibus, qui intra Eccleſiam ſunt, eundemq; ſalubrem, qui cum gaudio & iubilo potari a fidelibus poteſt: hæreticis autem extra Eccleſiam poſitis, interdictus atq; prohibitus. Sed ne ſibi arrogent hæc omnia hæretici, falſo ſibi nomen Eccleſię tribuentes, aduerte quid iam vltimo doceat hic vir venerandus, apoſtolorū fere coętaneus, lib. iiij. cap. xlv. monens quam Eccleſiā ſequi debeamus, quamq; congregationem veram Eccleſiam reputemus: Vbi (inquit) chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatē: Apud quos eſt ea quæ ab apoſtolis eſt ſucceſſio, & id quod eſt ſanum, & irreprobabilis ſermonis conſtat: hi enim & eam, quæ eſt in vnum Deū, qui omnia fecit, fidem noſtram cuſtodiunt, & eam quæ eſt in filij Dei dilectionē adaugent, qui ſcripturas ſine periculo nobis exponunt, neq; Deū blaſphemantes, neq; Patriarchas exhonorantes, neq; Prophetas contēnentes. Et in eodem cap. lxiij. Agnitio vera eſt apoſtolorū doctrina, & antiquus Eccleſiæ ſtatus in vniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti, ſecundum ſucceſſionem epiſcoporum, quibus illi eam (quæ in vnoquoq; loco eſt) Eccleſiam tradiderunt, quę peruenit vſq; ad nos, cuſtodita, ſine fictione, neq; ablationem recipiens, lectio ſine falſatione, & ſecundum ſcripturas expoſitio legittima, diligens ſine periculo, et ſine blaſphemia. Huc vſque ille. Hæc eſt nota veræ Eccleſiæ pręcipua, et quæ eam facit fidelibus manifeſtā, quam non ſolum agnouit hic apoſtolorū diſcipulus, ſed quotquot ipſum ſecuti ſunt eccleſiaſtici ſcriptores, vt Tertullianus contra Martionitas, Cyprianus contra Nouatianos, Auguſt. cōtra Donatiſtas, qui oēs falſo apud ſe verā Eccleſiā eſſe dicebant. Subſternā Auguſtini locum, aurea certe verba ad hoc propoſitū continentē, contra Manichęi epiſtolā, quam vocant fundamenti, cap. iiij. Vt ergo (inq̄t) hanc omittam ſapientiam, quā in eccleſia Catholica eſſe non creditis, multa ſunt alia quæ in eius gremio me iuſtiſſime tenent: tenet conſuetudo populorū atque gentium (audite matris legittimę deſertores, nā aduerſus vos videtur Auguſtinus neruum obtendere) tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab ipſa ſede apoſtoli Petri, cui paſcendas oues ſuas Dominus poſt reſurrectionem ſuam cōmendauit, vſque ad præſentem epiſcopatum, ſacerdotum ſucceſſio, tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa, inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cū oēs hæretici, ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicā conueniat ire, nullus hæreticorū, vel Baſilicam ſuam vel do-

Verano ta Eccleſię, ab Ireneo, Tertulliano, Cypria. & Auguſtino cōceſſa, & a Lutheranis reiecta

Tertull. Cypria. Auguſt.

vel domum audeat oſtendere. Hæc Auguſtinus. Qui omnes notas paulo ante poſitas aperto ſermone indicauit, ceu digito ipſo cõmonſtrans, propter quas gaudet ſe in vera Eccleſia ſtare: & ſchiſmatici noſtræ tempeſtatis nolunt agnoſcere, neque ſuis Synagogis vere tribuere, quippe qui nullos poſſint ſignare ſuæ doctrinæ anteceſſores, viros apoſtolicos, qui in apoſtolorum Eccleſijs continua ſucceſſione docuerunt: ſed ceruicoſos quoſdam & pertinaces homines, qui ab Eccleſia exierunt, & ſpiritui ſancto ſemper reſtiterunt, ob idq; ſcientiam hanc & ſpiritus ſancti ſenſum, quem tanti facit Auguſtinus, & omnes ſancti, aperto Marte veluti hoſtes veritatis acerrimi, nõ verentur impugnare. Sed redeamus vnde digreſſi ſumus.

Præſenſit ante hos quod noſtra habet veritatis aſſertio, Clemens beatiſſimus apoſtolorum Petri & Pauli diſcipulus, idemq; martyr & paſtor Eccleſiæ generalis, repræhendens quoſdam, qui ſcripturam ſacram (ſpreta Patrum Traditione, et Eccleſiæ ſenſu) priuato iudicio ſuo exponebant, in epiſtola vltima ad Hieroſolymitanos: Relatum (inquit) nobis eſt, quod quidam in veſtris locis commorantes, aduerſantur ſanis doctrinis, & (vt eis videtur) non ſecundum Traditionem Patrum, ſed iuxta ſenſum ſuum videntur docere multos, & ſecundum ingenium hominum, ex ijs, quæ legunt veriſimilitudinem capiunt: ideo diligenter obſeruandum, vt lex Dei cum legitur non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur & doceatur: Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſint trahi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſponte præſumpſerit: ſed hoc fieri non oportet. non enim ſenſum extrinſecum, alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipſum ſcripturarum autoritate confirmare, ſed ex ipſa ſcriptura ſenſum capere veritatis: ideoq; oportet ab eo diſcere intelligentiam ſcripturarum, qui eam a maioribus, ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruauit, vt et ipſe poſſet ea quæ recte ſuſcepit competenter aſſerere. Vtrunque docet eſſe facinus hic pater ſanctiſſimus, vt in dubijs & ſcripturæ intelligentia ex ipſius ſcripturæ autoritate eam non exponamus: et quod ad maiorum doctrinam (quæ per Traditionem in Eccleſia conſtat) quando ipſa ſcriptura minime ſuffecerit, non recurramus. Si enim ſcriptura ſe ipſam in omnibus ſufficienter valeret exponere, non iuberet iſte ſanctiſſimus, adire eos, qui traditam veritatem ab apoſtolis ſuſceperunt. Atque ne a ſolo Clemente, & martyre glorioſiſſimo primum emanaſſe ſententiam hanc exiſtimes, lege librum recognitionum decimum, in quo diuum Petrum ipſum in eadem hæc verba loquentem inducit, quo et magiſtro vſus eſt, et in magiſterio ſententiam hanc ipſam edoctus. Quare habes duo grauiſſima teſtimonia vnius ac eiuſdem rei. Quin & idem Clemens ſimul cũ Romana Eccleſia

Clemens

Lib. recognit.

cleſia ſuper gregem ſibi cōmiſſum vigilias optime agens, non aliter diſ-ſenſionem in Eccleſia Corinthiorum ſuo tempore ſubortam componit, quam eccleſiaſtica & apoſtolica Traditione. cuius Irenęus libro tertio meminit, in Clementem incidens in hunc modū: Sub hoc Clemente (inquit) diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi erant fratres fa-cta, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia, potentiſſimas literas Corinthijs, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorū, et annuncians quā in re-centi ab apoſtolis receperant Traditionē. Huius epiſtolæ meminit etiā Egeſippus, vt Euſebius tradit lib. hiſtoriæ ſuæ iiij. Quam in tanta vene-ratione apud Corinthios extitiſſe affirmat, vtpote quæ ſpiritus ſancti in re dubia ſenſum contineret, ita vt dominicis diebus ſemper in Eccleſia legeretur: tanti faciebat antiqua Eccleſia in fidei diſſenſionibus, apoſto-licum ex Traditione magiſteriū. Hunc legitimę Traditionis theſaurū, ſe inueniſſe plurimum gaudebat Clemens alter ille Alexandrinus Pan-theni magni diſcipulus, ante annos m.ccc. quem Euſebius libro quinto capite vndecimo primo ſuorum ſtromatum lib. de ſe & ſuis cōmentarijs loquentē introducit, ſicut antea retulimus. Nec diſcrepat ab ijs D. Dio-nyſius, qui volens beatorum ſpirituum rimari naturas, munera et actio-nes iuxta ſacrarū literarum intelligentiā, eam non vtcunque ſe velle affer-re promittit, ſed ſecundum paternā Traditionē apoſtolicam, ſic. n. prę-fatur 1. cap. lib. cœleſtis hierarchiæ: Itaque Ieſum inuocātes paternam lu-cem, quæ eſt, quæ vera eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, per quem ad patrem principale lumen acceſſumque ha-bemus: ad ſanctiſſimarum ſcripturarum intelligentias (prout illas a pa-tribus accepimus) contuendas, pro viribus pergamus: et quas illi nobis vel per ſignum, vel per intelligentiæ ſacratioris arcana tradiderunt, cœ-leſtiumque ſpirituum diſtinctiones & ordines in quantum poſſumus ſpe-culemur. Hic ſi attētē cōſideras, duo præcipua ſanctis Traditiōibus tri-buit vir iſte apoſtolicus: Alterum, quod doctrina de diſtinctione ordi-num cœleſtis hierarchiæ, non ſolum a ſcriptura ſacra, ſed ab arcana Tra-ditione mutuata eſt: alterum quod ſcripturæ expoſitio, iuxta intelligen-tiam ab apoſtolis acceptā accipi debeat, quod eſt noſtrum propoſitū. In libro aūt eccleſiaſticę hierarchię cum in dogma de baptiſmo paruulorū incidit, magiſteriū Eccleſię per Traditionē in tantū magni pendit, vt eo ſolo fidē ſibi exhiberi poſtulet: Ea, (inquit, de re iſta quoque dicimus (de baptiſmatis infantiū efficacia) quę ſancti pręceptores noſtri ex priſtina Traditiōe edocti, ad nos deriuarūt, huc vſque ille. Audiſti principis apo-ſtolorum diſcipulos, audi nunc principis apoſtolorum hęredes & ſuc-ceſſores, martyres ſanctos, et confeſſores grauiſſimos id ipſum confir-mantes. Sanctus Felix martyr, huius nominis in Romana ſede primus, ante mille et ducentos annos, æqualitatē perſonarū in diuinis ꝓbaturus, non ad

Irenęus libro 3. | Euſebius | Egeſip. | Clemens Alexandrinus. | Dionyſ. | Fœlix

non ad aliud, quam ad ſenſum Eccleſiæ in Traditionibus confugit, epiſtola tertia ad Benignum, ait enim poſtquam præfatum articulum credendum perſuaſit vir ſanctiſſimus: Hęc eſt apoſtolorum viua Traditio, quæ prædicanda & veraciter diligenda eſt atq; fouenda, fiducialiterque ab omnibus tenenda. D. quoque Fabianus hoc ipſo Fœlice aliquanto vetuſtior ſuper chriſmatis confectione, cuius nulla prorſus in ſcriptura extat mentio, ſecunda epiſtola ad Orientales epiſcopos, omnium quotquot eſſent patriarchales ſedes ſenſum adlegat, quæ præfati chriſmatis conſecrationem, ritum dominicũ eſſe dicebant, atque vt tale ab omnibus Eccleſijs obſeruandum diſtricte præcipit: Hæc (inquit) ſancta Romana Eccleſia & Antiochena tempore apoſtolorum prædicauit: hæc Hieroſolymorum et Epheſianorum tenet, in quibus apoſtoli præſidẽtes iſta docuerunt. Poſt vero dicit: Si quis obuiare tentauerit, omnem ſibi per nos, & per omnes recte intelligentes aditum intelligentiæ intelligat obſeratum. Hanc viam regiam eccleſiaſticæ doctrinæ, & ſpiritualis luminis etiam Xyſtus ſecundus martyr & Pontifex, epiſtola ſecunda ad epiſcopos Hiſpaniæ ſuper expulſione epiſcoporum commendat, Hortamur (inquit) vos fratres, et flagitamus, vt a tramite apoſtolicæ inſtitutionis nequaquam recedatis, ſed fidem & ordinem quẽ apoſtoli, et apoſtolici viri tradiderunt, abſque hæſitatione teneatis.

Fabian.

Xyſtus

Diuus Syricius ante mille centum et quinquaginta annos epiſtola ad Mediolanenſes, qui paſſim Laicos et Neophytos, et nullis ſacris initiatos, presbyteros creare tentabant, vniuerſali Eccleſiæ Traditione eos redarguit.

Syricius

Cœleſtinus primus ritum ſacramenti Baptiſmi quem hodie ſicut et multa alia apoſtolica inſtituta nouatores iſti reiecerunt, epiſcopis Galliarum in quadam epiſtola cõmendans, cõſenſum Eccleſiæ tanquam diuinum oraculum eis opponit, in dogmate quod in ſcriptura minime cõtinetur: his verbis: Illud quod circa baptizandos in vniuerſo mundo Eccleſia vniformiter agit, non ocioſo contemplemur intuitu, cum ſiue paruuli ſiue iuuenes, ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorciſmis, et exufflationibus ſpiritus immundus ab eis abigatur.

Cœleſt.

Diuus Innocentius primus cum ex priorum magiſterio, nota velit facere quędam atq; cõmendare, a quo promptuario ſumpta ſint, palam facit: Non (inquit) quod noua præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupimus, quæ tamen apoſtolica patrum Traditione ſunt conſtituta. Hoc idem fecerunt in multis alijs, Clemens, Anacletus, Euariſtus, Alexander, apoſtolorum diſcipuli, et Eccleſiæ præſidentes, et qui non ſ in his quæ per ſcripturam minime probari poterant, ſpiritus ſancti magiſterium, per

Innocen.

Traditiones commendantes:nihil in epiſtolis horum ſanctorum patrũ, & Chriſti martyrũ magis obuium,nihil frequentius,cum aliquid commendant,et ſuadent obſeruandũ,quam iſta vox:hęc a ſanctis patribus accepimus,hæc eſt apoſtolorum viua Traditio, quibus nõ credere impium ſane & temerarium eſt.

Seruarunt etiam hanc regulam fere omnes alij doctores ſancti, quãdo per ſcripturas de dogmate aliquo non ſatis conſtabat: non minoris hanc facientes,quã ſi ſpiritum ſanctum loquentẽ introducerent.

Irenęus De D.Irenęo refert Euſebius lib.v.hiſtorię ſuę,quod contra quoſdã diſcipulos Valentini inſurrexerit,quia ſenſum Eccleſię. et doctrinã per Traditionẽ Eccleſiæ inualeſcentẽ impugnabant,dicens: Romæ per diuerſos hęreticos regula Traditionis eccleſiaſticę vexabatur, inter quos erat Florinus Valentini diſcipulus,qui aſſerebat Deum factorem malorum;contra quem inſurgit Irenęus lib.qui dicitur Monarchia ad Blaſtum,qui lib.(hoc ſaltẽ titulo inſignitus,) & ſi non extet,non tamen videtur aliter Traditionis regulam poſſe ſtatui ab hoc viro grauiſſimo, quam ſenſu ſpiritus ſancti per Traditiones vniuerſales, in Eccleſia reſeruato,prout alijs in locis eundem Irenęum feciſſe cognouimus.

Epipha. Venerabilis Epiphanius cum ſalſum dogma hęreticorũ(qui ſe vocabant apoſtolicos)perſequitur,ad Traditionẽ & Eccleſię magiſterium, confugiendũ eſſe aperta voce teſtatur: oportet (inquit) Traditione vti, non enim omnia ſcriptura accipi poſſunt, quia aliqua ſacris ſcripturis, aliqua Traditione nobis ſancti apoſtoli cõmendarunt.Et in codẽ:Scripturę(inquit)Traditione indigent et ſenſu ad cognoſcendam vniuſcuiuſque argumenti vim et facultatẽ, quare oportet Traditione vti.Item Aerium Lutheraniſmi parentẽ ſuper quibuſdã dogmatibus eccleſiaſticis vrgens,antiqtate eccleſiaſticę Traditionis, ipſum validiſſime redarguit: Quis autem(inqt)magis nouit,hic ne ſeductus homo qui nunc ſupereſt & huc vſq; in mundo verſatur,an q̃ ante nos teſtes fuerunt, habentes Traditionẽ in Eccleſia, q etiam a patribus ſuis traditũ acceperunt,qui ante ipſos fuerunt,quomodo Eccleſia a patribus ſuis acceptam veram fidẽ vſq; huc contin̄et,itemq; Traditiones? Vides adeo valuiſſe apud hunc beatũ Traditionis antiquitatẽ, in pręſcriptione ieiuniorum eccleſiaſticorũ,vt ſola ipſa contentus Aerianos profligauerit,ieiunia reijcientes,& ordines eccleſiaſticos confundentes:ſola hac infirma ratione ductos,quod in ſcriptura non exprimerentur:id quod non parũ confirmat noſtrũ argumentum aduerſus hos ſectarios,qui idem cum illis conantur ſaxum mouere,et eiſdem rationibus.

Chryſo Beatus Chryſoſtomus ſuper epiſt. 1. Cor. inueſtigat intellectum illorum verborum,Alioqui quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis, ex vſu et intellectu vniuerſalis Eccleſię.Idẽ Homil.ij. De Adam et Eua ad de-

ad demonſtrandam humanam poſteritatem peccato primorum parentum eſſe obnoxiam, vſum & magiſterium vniuerſalis Eccleſiæ citat. quæ vbiq; docet paruulos, & recens natos debere baptizari.

Sanctiſſimus pater Auguſtinus in pleriſq; doctrinę ſuæ locis, cum in aliqua incidit, quæ aperta intelligentia ſcripturæ non conſtant, ad ſpiritus ſancti magiſterium in Eccleſia, tanquam ad diuinam autoritatem confugit. In epiſtola præcipue ad Paulinum ſuper quibuſdam difficilioribus ſcripturæ verbis loquens: Eligo (inquit) in ijs verbis hoc intelligere, quod omnis pene frequentat Eccleſia. Libro quoq; quinto de Baptiſmo contra Donatiſtas, & epiſtola ad Vincentiũ de baptizandis ijs, qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniebant, neglecto diui Cypriani, & Concilij prouincialis Carthaginenſis decreto, ad Eccleſiæ vniuerſalis conſenſum & magiſterium ſe remittens, ait: Illa quæ ſcribit Cyprianus cum collegis ſuis, nullo modo præferenda ſunt aduerſus totius Eccleſiæ conſenſum. Libro item contra Manichęos, hanc noſtram eccleſiaſticam regulam magnopere cõmendat præfatus ſanctus Pontifex: Palam (inqt) eſt, quod in re dubia ad fidei certitudinem valeat Eccleſiæ autoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis apoſtolorum ſedibus vſq; in hodiernum diẽ ſuccedentium ſibimet epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Hunc Eccleſiæ ſenſum, et magiſterij doctrinam expoſcebat ſanctus pater ille Cyrillus Alexandrinus patriarcha ſimul cum Epheſiana Synodo celebratiſſima a Neſtorio confiteri & prædicari: nullum diſcrimen faciens inter ſymboli Niceni fidem, & hoc vniuerſale magiſterium. Hæc ſunt eius verba in epiſtola ſynodica ad præfatum Neſtorium miſſa: Non ſufficit tuæ religioni ſolummodo ſymbolum confiteri, quod expoſitum eſt ſpiritus ſancti largitate a venerãdo Concilio apud Nicæam congregato, ſed conſequens eſt, & iureiurando fateri te, quod anathematizes fidem tuam pollutam, et prophana dogmata & ſententias, & doceas quæ vniuerſi nos, ſiue per orientem, ſiue per occidentem epiſcopi & magiſtri, præſideſq; populorum credimus & docemus. Quod igitur neceſſe eſt fateri, neceſſe ſubinde eſt, vt diſcatur & intelligatur, ad ipſumq; (quando aliud non eſt remedium) vltimo confugiatur. Non oportet ſeparare ſcripturam ab Eccleſiæ ſenſu et magiſterio, ſi volumus horribilia ſchiſmata vitare, et in hæreſeon præcipitia non incidere. Recte hoc dicebat diuus Innocentius primus, epiſtola ad Auguſtinum: Dum vnuſquiſq; (ait) non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc ſtatuit eſſe tenendum, inde diuerſa, & in diuerſis locis teneri, aut celebrari videntur, et ſit ſcandalum populis, dum putant ab apoſtolicis viris contrarietatẽ induci. Vides originem ſchiſmatum ex contemptu eccleſiaſtici magiſterij per Traditionem ſuboriri: quod hodie magno noſtro malo ipſa experientia nos docuit.

August.

August.

Cyrill.

Innocen.

Accedit ad hæc omnia, quod non videtur quomodo ſcripturarum doctrina dici poſſit propria Eccleſiæ poſſeſſio, quod vult Paulus (quę
Roma. 15 cunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus) niſi penes ſe haberet Eccleſia Chriſti, ſenſum earum per magiſterium ſpiritus ſancti traditum, atq; diuinum lumen, quo poſſet ad vtilitatem ſuorum membrorum eam interpratari. Nam ſcripturas habere mortuas, ſine ſenſu veritatis legittimo, pene nihil eſt habere. Quippe, quę cõmunes ſunt Iudæis, Saracenis, hæreticis, et immundis etiam ſpiritibus. Non enim pu-
Hieron. tandum eſt (vt recte docet Hieronymus in cõmentarijs ad Galatas) in mortuis ſcripturarum characteribus eſſe euangelium, ſed in ſenſu: non
Eſaię 59 in ſuperficie, ſed in medulla: non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Vtrunq; coniunxit Eſaias cum ſancta Eccleſia loquens, & ſpiritum ad diſcernendum inter ſcripturas & verborum intellectum ad ipſam ſcripturam explicandam: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, nõ recedent de ore tuo, et de ore ſeminis et ſeminis tui, a modo vſq; in ſempiternum. Sicut igitur Eccleſiæ ſanctę ſoli tribuitur ab omnibus diſcretionis certitudo, qua verbum Dei diſcernere potuit a verbis hominum, quod factum cernimus in ijs ſanctis ſcripturis, quas ſecreuit ab alijs ſcripturis ſuſpectis, quanquam titulis apoſtolicis commendatis, quod ipſum ab aduerſarijs in Auguſtana confeſſione probatur: ita etiam tribui debet iudicium & magiſterium diuinum, quo infallibiliter diſcernere poſſit inter dogmata falſa & catholica, et germanum ſenſum ipſius & alienum. Quid enim faceret Eccleſia Chriſti, cum Arrius & Pelagius, & alij hæretici in dogmate aliquo, contrario modo docent, & vnuſquiſq; pro ſua opinione ſcripturas allegat, eaſq; pertinaci animo pro ſe ſtare affirmat? Quo ſe verteret? Quid eligeret, ſi cũ ſcriptura ipſa conceſſum non eſſet ipſi lumen intelligibile intelligẽtiæ? Certe tot eſſet expoſita errorum iacturis, quot eſſent, qui vellent ſuo ſenſu abundare, nihil in ea eſſet certum, nihil indubitatum in doctrina fidei & ſcripturarum intellectu, imo ne ipſa quidem ſcriptura certi quippiam nobis poſſit promittere. Nec video quid potiſſimum doceret ſpiritus ſanctus datus eidem Eccleſiæ doctor ac pædagogus in æternum, ſi hoc non doceret, ſine quo vnitas eius minime conſtare poteſt. Nec quomodo cogerentur fideles, vt ipſum dicerent omnes, quomodo exularent ab Eccleſia hæreſes, quomodo componerentur diſſidia, aut qnomodo de-
1. Tim. 3 niq; vere dici poſſet a Paulo columna & firmamentum veritatis, ſi in quacunq; controuerſia hæreret, nutaret, vacillaret, ac miſere labefactaretur, neſciens quid eſſet ſugiendum, aut quid acceptandum in diſſenſione duorum aſſertorum dogmatum, quorum alterum eſt, ad ſalutem neceſſarium, & an hoc, an illo modo eſſet locus ſcripturæ intelligẽdus,

an alio

an alio potius ac magis diuerſo. Damus Petro, Paulo, Ioanni, Matthęo non ſolum notitiam eorum, quæ ſcribebant, ſed etiã lumen intelligẽtiæ per ſpiritum ſanctum illis conceſſum credimus, ne a veritate aberrarẽt, quod nemo fidelium auſus eſt vnquã negare. quid ni igitur tribuamus toti corpori Eccleſiæ, in qua longe plus chariſmatum eſt, & redundantiæ gratiarum, quod ſingularibus mẽbris tribuimus? Certe qui magiſterium hoc & lumen ſpiritus ad doctrinas intelligendas & diſcernendas ab ea tollit, in Ieſum Chriſtum, & ſpiritum ſanctum blaſphemat, & omnem prorſus religionem inuertit, & ſanctis omnibus contradicit. Recte dixit Irenæus lib. iiȷ. cap. xl. Vbi Eccleſia, ibi & ſpiritus, & vbi ſpiritus, ibi Eccleſia & omnis gratia. Itaque ſunt ſicut correlatiua. Quare ſi in ea tam certo eſt hoc ſpiritus ſancti magiſterium, et a Deo abſolute & ſine conditione promiſſum, vt viſum eſt, & ipſa Eccleſia in tantum eſt manifeſtata, vt ad eam facilis pateat recurſus, vt qui velit ex ipſa potum vitæ poſſit ſumere, nil reſtat (o fratres) præterquã vt bibamus aquas de fontibus ſaluatoris, & ciſterna noſtra, hoc eſt Eccleſia: relinquamus autem priuatas & ſuſpectas, non limpidas, ſed impuras, quæ nec valent aquam continere, nec ſedare ſitim. Adorãdus eſt ſpiritus ſanctus, quærendus in atrio ſancto publico, & non in angulari. Non oportet (vt inquit Baſilius ſuper Pſalmos) excedere congregationem Eccleſiæ, et per nos ipſos propriam ſynagogã aut ſectam auſpicari. Sed iam pro foribus adſtat dubitatio, quę hominẽ quantumlibet ſenſatum ſollicitare poſſit: Si ita ſe res habet, vt in fidei quæſtionibus & ſcripturæ difficultatibus, ad publicum Eccleſię magiſteriũ, per ſpiritum ſanctum eidem traditum, eſt confugiendum, cum Eccleſia conſtet ex infinitis pene membris, vel ſingula membra eſſent conueniẽda, vel ſimul in vnum congreganda, ad hoc vt ab eo reciperemus ſalutis oracula, quod videtur quaſi impoſſibile, imo vana res prorſus eſſet multos conſulere, qui tantum fidei ſimplicitate viuunt, & nihil norunt de huiuſmodi difficultatibus, in quibus ſancta quædam eſt ruſticitas, quæ ipſis & non aliis prodeſſe poteſt. Clare probat obiectio hæc, Eccleſiam in ſingulis membris conſulendam non eſſe, neq; congregari debere in fidei quæſtionibus, quemadmodũ ipſa prætendit obiectio: non enim reliquiſſet nobis Chriſtus opportunum remedium pro huiuſmodi diſcriminibus, ſi ſingula Eccleſiæ membra conſulenda eſſent. ad hæc, quando Chriſtus dixit: Dic Eccleſiæ, mox conuerſus ad apoſtolos, Amen dico vobis (inquit) quia quæcunq; alligaueritis ſuper terram &c. Vnde ſatis ſufficienter colligitur, ad ipſos et ſucceſſores eorũ epiſcopos & ſacerdotes Eccleſiæ nomen, quantum ad hæc attinet, contractũ eſſe. Rurſus cum ſecundũ apoſtolũ in Eccleſia ſunt gradus & chariſmata pecularia, vt prius a nobis cõmonſtratum eſt, quę nõ omibus voluit ſpiritus eſſe cõmunia,

Baſilius Pſal. 28

Math. 18

vtputa,

vtputa, eſſe paſtores & doctores, & prophetas, quibus hæc ſpecialiter gratia facta eſt, quos potiſſimum conſulere debemus, in iis quæ ad fidei doctrinam attinent, quibus claues regni cœlorum cōmiſſæ ſunt ligandi atq; ſoluendi, & quibus dictum eſt, Si duo ex vobis congregati fuerint in nomine meo. dicit enim Malach. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituumq; eſt. quis dubitet obſecro ſicut claues regni cœlorum Deus non voluit omnibus eſſe cōmunes, ita nec autoritatem diſcernendi, quæ ſub ipſa clauium poteſtate continetur. Vnde manifeſto habes autoritatem hanc diſcernendi dogmata, nullo pacto dependere a totius Eccleſiæ in ſingulis membris conſenſu, vt nonnulli male autumant, (quamuis rati habitio, & conſenſus populorum erga malorum decreta multoties requiratur ad robur obtinendum) alias enim maiores inſtruerentur a minoribus, fidesq; & autoritas primorum dependeret ab indocta & rudi plebe, quod eſt inuertere ordinem a Chriſto & ſanctis apoſtolis præſtitutum: ſunt enim Eccleſię capita Pontifices doctiq; in diuina lege ſacerdotes, quantum ad eorum munus pertinet, lux mundi, et doctores orbis, de quibus Chriſtus dicit: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. At quæret fortaſſe quiſpiam, quibus & quot viis de hoc ſenſu Eccleſiæ a quo noſtræ ſalutis negocium tantum pēdet, poſſumus eſſe certi. quæſtio ſane neutiquam facilis, tentanda tamen a nobis eſt cum Dei adiutorio eius ſolutio.

Malac. 2.

Reſpondeo, quemlibet fidelem qui in humilitate Chriſtiana ſobrie et non plus quam oportet ſapiat, triplici via, eademq; planiſſima certiorem reddi poſſe de huiuſmodi magiſterio, quando ſuper aliquo dogmate a nouitatibus ſollicitatur.

Prima ſi reſpiciat ad id quod ſentiunt omnes, in vniuerſum Eccleſiæ, præcipue antiquæ Romæ, a qua in occidentales Eccleſias fluxit fidei magiſterium, aut ad id quod maior pars diuerſarum nationum quæ Chriſto nomen dederunt: quod non erit factu difficile, ei qui de ſua ſalute fuerit ſollicitus. Vt exempli gratia, habetur quæſtio de ſacrificio Miſſæ tremendo, & adorando, inſurgente nouatore aliquo Zvuinglio, aut Oecolampadio, qui nouas doctrinas, & difficultates ſuper hac re, vt olim Capernaitæ, ſuſcitant. Non erit tunc difficile certo ſcire, quid in hac quæſtione ſentiant, & ſenſerint ante hæc tempora, omnes Eccleſiæ Italiæ, potiſſimum Romana, cuius equidem ſumma merito habenda eſt ratio, tum propter præcipuam autoritatem & dignitatem, tum propter principum apoſtolorum gloriam & æternos honores, qui ibi & legem euangelicam promulgauerint & martyrio coronati, vitā finierint, quid item ſenſerint Eccleſiæ Galliæ, quid Hiſpaniæ, quid Anglię, quid bonæ partis Germaniæ, Hungariæ, Polonię, et Grecię, totiuſq; Orientis, vbi

Chriſtus

Chriſtus vel prorſus,vel quadam tenus regnat: quod vt pro explorato habeatur et cognoſcatur,nõ opus eſt ſingulas prouincias peragrare, nec ſingula mẽbra Eccleſiarum cõſulere,ſed in genere ſcire,quod huiuſmodi nouitates in talibus Eccleſijs non tenuerunt viri apoſtolici,nec ſucceſſores eorum prædicauerunt,nec talem fidem populi excoluerunt,qualem hi nouitatũ inuentores euulgant. Quod ſi qui ſunt qui teneãt,ſiue multi ſint ſiue pauci,certe nouiter ſapiunt,recens nati ſunt, ab Eccleſia exierunt,ab eius ſenſu diſceſſerunt,e priuato docent capite, & non ſecundũ magiſterium ſpiritus ſancti:tunc præiudicandi ſunt tales, vel de ſuſpectione nouitatis,vel de hæretica prauitate. quod volebat Irenęus,quando lib.iiij.cap.xliij.dicebat:obaudire oportet ijs, qui ſucceſſionem habent ab apoſtolis,qui cũ epiſcopatus ſucceſſione,chariſma veritatis certum ſecundum patris placitum acceperunt: reliquos vero qui obſiſtunt a principali ſucceſſione, quocunq; loco colliguntur, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos ſcindentes & elatos,ſibi placentes, aut rurſus hypocritas,quæſtus gratia,aut vanæ gloriæ hoc operantes: omnes hi hæretici,& alienum ignem afferentes,id eſt,alienas doctrinas ad altare Dei,cœleſti igne comburentur,ſicut Nadab & Abiud. hæc ille. Tertullianus quoq; libro de præſcriptionibus hæreticorum, omnem doctrinã quæ cum Eccleſijs matricibus & principalibus non conuenit, de mendacio præiudicandam cenſet. Quod idẽ voluit Auguſtinus contra Manichęos, prout paulo ante allegauimus,in rebus dubijs ad certitudinem fidei valere Eccleſiæ autoritatem,quæ a fundatiſſimis apoſtolorum ſedibus, vſq; in hodiernum diem,per ſucceſſionem epiſcoporum & conſenſionẽ populorum firmatur. Et hæc eſt via magis plana ac tuta, & ſimplicioribus hominibus,& minime curioſis, valde accommoda. nec curandæ ſunt vanæ voces priuatorum hominum,ad ſe Eccleſię magiſterium trahentium:id quod multi ſane perditiſſimi facere attentarunt. non enim quieſcere poterit mens fidelis,ſi cuicunq; nouitati patulas aures prębuerit,quærent ſemper,& non inuenient: quia quærent, vbi inueniri non poteſt veritas, ſatiuſq; eſt tẽpus illud terere in exercitio bonorum operum,& profectu ſpirituali,fixi & immobiles in fidei dogmatibus,quam ſinere ſe circumferri, ab omni vento doctrinæ, quoniam dies mali ſunt.

Irenęus

Tertull.

Auguſt.

Eſt ſecunda via appræhendendi veritatem in dubijs: Conciliorũ ſcilicet generalium, omniũ conſenſione populorũ fidelium receptã autoritatem: vbi Eccleſiarum pręſides(pontifices)& docti ſacerdotes Eccleſiã ſanctam militantem repręſentantes, in nomine Ieſu Chriſti congregati, et ad ipſius gloriã,non priuatis affectibus ducti,orationi inſtãtes,ſyncere, diligenter,& libere tractant ea quę ad Chriſti fidem,et repurgationẽ Eccleſiæ ſuæ pertinent,ſecundum antiquum Eccleſiæ morem: quæ via

Secunda via.

inuenta

inuenta eſt a ſpiritu ſancto,in ipſius Eccleſiæ primordijs, ſuperſtite ſacroſancto apoſtolorum collegio, & feruente adhuc Chriſti ſanguine: quando ſuborta quæſtione,inter quoſdam viros euangelicos, & alios ſuperſtitioſos,de legalium obſeruatione:non ad vnum hominem(quãuis multi erant apoſtolici & ſpirituales viri)nec ad ſingula,et promiſcua Eccleſiæ mẽbra recurſum eſt (etſi multi etiam erant,qui id temporis exercitio orationis vacabant,& eximia ſanctitate pollebant)ſed ad publicum & cõmune Eccleſiæ magiſterium, apoſtolos.ſ. & ſeniores, vt viderent de verbo hoc. ſic enim habetur actuũ xv. vbi facta matura diſcuſſione,onera importabilia legaliũ obſeruationum, ſpiritus ſancti autoritate ſuſtulerunt,& nonnulla retineri debere inſtituerunt, nullo ſcripturę verbo ad hoc allegato,ſed contenti tantum ipſo ſpiritus ſancti magiſterio.Quem modum tota ſequens Eccleſia merito complexa eſt, vt quoties quæſtio de fide occurreret,quæ Eccleſiam turbaret, conuentus iſti apoſtolici fierent,quas Synodos vocant: in quibus & ſcripturę ſenſus aperiebatur,& quid tenendum in fide et moribus eſſet, cum autoritate præcipiebatur,atq; cõmunis Eccleſię ſenſus manifeſtus omnibus reddebatur. Sunt huius rei exempla illuſtriſſima, et antiquiſſima, quæ tota Eccleſia non ſecus ac diuina quædam oracula ſemper venerata eſt.

Auguſt. Primo Auguſtinus magnopere ſe ſignificat contentum,libro vij. de Baptiſmo contra Donatiſtas in difficultate illa, quæ olim Aphricanas Eccleſias diu torſit, de efficacia Baptiſmi hæreticorum, poſtquam ſibi conſtitit de ſenſu eccleſiæ Catholicæ in plenaria ſynodo manifeſtato,q̃d ſatis oſtendunt ipſius verba: Recte(inquit) conſuetudinem tenemus plenario Concilio poſteriore firmatam,etiam ſi veritas hinc lateret, quam credimus iam manifeſtã.Adeſt tibi manifeſtatam veritatem per vocem patrũ vnanimem, Eccleſiæ ſenſum notificantem. cui dicit Auguſtinus ſe credere,etiam ſi aliunde occulta exiſteret, ſola ſynodi declaratione contentus.

Synodus Fabiani. In ſynodo diui Fabiani lx.epiſcoporum,declaratum eſt,lapſos ad pœnitentiam poſſe recipi:prout in fide dignorum hiſtorijs compertum eſt: quamuis hoc alij tribuant Cornelio. In quadam ſynodo Aphricana, a Cypria. diuo Cypriano coacta,baptiſmi paruulorum vigor, inuiolabili decreto ſtatuitur:cuius idẽ Cyprianus meminit libro tertio, epiſtola octaua, Fidum coepiſcopum informans: Idcirco(inquit)frater chariſſime,hæc fuit in Concilio noſtra ſententia a Baptiſmo atque gratia Dei,qui omnibus miſericors et benignus,et pius eſt,neminem per nos debere prohiberi: q̃d cum circa vniuerſos obſeruandum ſit,tum magis circa infantes ipſos et recens natos,obſeruandum putamus. Hucuſq; Cyprianus.

Nicena ſynodus prima In Nicena illa magna et celebratiſſima ſynodo,ſpiritus ſancti doctrinam eccleſiaſticam de conſubſtantialitate patris et filij,et de recipiendis hæreti-

hęreticis per manus impoſitionē,& qui libri eſſent Canonici,explicuerūt Patres illi,res ſane arduas,& ad fidei negocium multum attinentes.

In Concilio vero Conſtantinopolitano, diuinitatem & conſubſtantialitatem ſpiritus ſancti in Eccleſijs ab apoſtolis prædicatam,contra Macedonium hæreticum renouarunt. Synodus prima Conſtantinopolitana.

In ſynodo Sardicenſi tempore Conſtantij coacta,de conſubſtantialitate filij & ſpiritus ſancti,Spiritus ſancti ſenſum aperta voce prędicauerunt. Et cum eadem ſynodus damnat epiſcopos,qui cum Arrio conſenſerant,dicit illos eſſe a Catholica eccleſia alienos,quia verbum veritatis ſuper vnitate ſubſtantiæ fuerant cauponati: quod in vniuerſum tota Eccleſia fatebatur,vt refert Theodoretus. Synodus Sardicenſis. Theodoretus.

Epheſiana ſynodus Catholica,exponit nobis locum Ioannis vi. qualiter nobis caro Chriſti in altaris ſacrificio prodeſt. Locus autem ille eſt: Spiritus eſt qui viuificat,caro autem non prodeſt quicquam. Synodus Epheſina.

Synodus ſacroſancta Chalcedonenſis, cum fidem ſuam explicat, poſt allegatas ſanctas ſcripturas, ait: Conſentientes ſanctis Patribus eundem filium confiteri dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſona voce edocemus. Synodus Chalcedonenſis.

In ſexta ſynodo Conſtantinopolitana, cum diuus Agatho Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ epiſcopus, fidem ſuam ſuper errore Monothelitarum explicat,quam tota ſynodus vice oraculi recepit, ſe illam tenere ex maiorum inſtitutis, & Traditione affirmat,his verbis: Vt autē veſtræ diuinitus inſtructi pietati,quod apoſtolicæ noſtræ fidei vigor contineat breuiter intimemus,quæ præcipimus,per apoſtolicam,apoſtolicorum Pontificum Traditionem, & ſanctorum quinq; generalium ſynodorum,per quas fundamenta Catholicæ Chriſti eccleſiæ firmata, atq; ſtabilita ſunt. Hic ergo eſt ſtatus euangelicæ atq; apoſtolicæ fidei, regulariſq; Traditio: vt confitentes ſanctam inſeparabilem Trinitatem per filium & ſpiritum ſanctum,vnius eſſe deitatis,vnius naturę,ſubſtātiæ ſiue eſſentiæ,vnius etiam quoq; docemus & naturalis voluntatis, virtutis,operationis,dominationis,maieſtatis & gloriæ,et quicquid de eadem ſancta Trinitate eſſentialiter dicitur,ſingulari numero,tanquam de vna natura,trium conſubſtantialium perſonarum comprehēdamus regulari ratione. Infra vero vbi dilucidius explicat diuerſitatem voluntatum in Chriſto,propter diuerſas naturas: quæ quidem explicatio in ſcriptura clare non continetur,adiecit: Hæc eſt mera confeſſio pietatis, hæc apoſtolorum Chriſti viua Traditio. Sexta ſynodus.

Et in eadem ſexta ſynodo, ſola eccleſiaſtica Traditione damnatur Armenorum error,qui vinum merum,ſine aqua in ſacroſancto altaris myſterio offerebant,non ob aliud,niſi quia Traditioni apoſtolicæ,quā ſe tenere ſancta ſynodus arbitrata eſt, contra dicebat, canone xxxij.

H In Miſe-

Myleuitana ſynodus

In Mileuitana ſynodo conſenſu totius Eccleſiæ, iam recepta tria ſunt Decreta, ſuper quæſtionibus fidei & quorundã locorum ſcripturæ intellectu, quibus refragari non licet: expoſuerunt enim illud Pauli, per vnum hominem peccatum intrauit, & per peccatum mors &c. de peccato originali, quo tota poſteritas primi hominis damnationi obnoxia eſt, et per quod naſcuntur filij iræ quotquot cõmuni generatione ab infecto illo ſtipite deſcendimus, & ſub anathemate præceperunt ſic eſſe intelligendũ: cum non deeſſent multi hæretici, qui per exemplum duntaxat, & imitationẽ primi hominis, homines in Adã peccaſſe affirmarẽt.

In ſexto vero canone ſic diffiniunt: Si quis illud Ioannis, Si dixerimus quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, ſic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem, non oportet dici nos nõ habere peccatum, & non quia veritas eſt, anathema ſit.

Item canone vij. Quicunq; dixerit in oratione dominica, ideo dicere ſanctos, dimitte nobis debita noſtra, vt non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt neceſſaria iſta petitio, ſed pro alijs qui ſunt in ſuo populo peccatores: ideoq; non dicere vnumquemq; ſanctorum, dimitte mihi debita mea, ſed debita noſtra, vt hoc pro alijs potius, quam pro ſe iuſtus petere intelligatur, anathema ſit.

Smyrnẽſis ſynodus

Rurſus in concilio Smyrnenſi, ante mille & ducẽtos annos coacto, ſuper duobus ſcripturæ locis, de quibus forte contrauertebatur, ſic decernitur: Si quis quod ſcriptum eſt, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã, patrem ad ſe ipſum ſolum, & non ad filium locutum fuiſſe dixerit, anathema ſit. Item in eodem contra Photium hæreticum: Si quis ſpiritum ſanctum paracletum ingenitum eſſe dixerit, anathema ſit. Quæ quidem omnia in ſcriptura minime continebantur, ſed ex Eccleſiæ ſenſu, quem ſynodus tenebat, veritatem annunciabant & tenendam prędicabant Patres illi. Tempus ipſum citius me deſereret, ſi Conciliorum ſanctorum oracula in ſpiritus ſancti & Eccleſiæ ſenſu aperiendo vellẽ recenſere, in quibus fere nihil ſit, cũ erroribus agitatur Eccleſia, niſi antiquum ſtatum eius in fide renouare, & quæ iam obliterata in negocio religionis erant, ad memoriam ſic reuocare, & rata cenſere, vt non liceat iam neq; tranſuerſum vnguem ab eis diſcedere.

Baſilius

Agnouit hoc magnus Baſilius, qui in conuentu quodam patrũ congregato, de magiſterio Conciliorum, ſic dicit: Huius rei gratia Patres hos publicos conuentus excogitarunt, quo abalienationem ex temporibus indictam, pro temporum conuentione renouarent.

Vincent.

Vincentius etiam Lyrinenſis, in aureo illo aduerſus prophanas hæreſes libello, clarioribus verbis hoc idem ante mille & centum annos loquens de eccleſiaſticis Concilijs, eleganter expreſſit: Quid vnquam (inquit) aliud Conciliorum decretis Eccleſia eniſa eſt, niſi vt quod antea ſimpli-

ſimpliciter credebatur,hoc idem poſtea diligentius crederetur, & quod antea lentius prædicabatur,hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur,& quod ante ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſollicitius excoleretur: nec quicquam hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis catholica profecit Eccleſia, niſi vt quod prius a maioribus ſola Traditione ſuſceperat,hoc deinde poſteris per ſcripturæ chirographum conſignaret:magnam rerum ſummã,paucis literis comprehendendo,et plerumq; propter intelligentiæ lucem, veteris fidei ſenſum,nouæ appellationis nouitate ſignando. Vide quæſo quam lucide et copioſe expoſuit nobis hic pater venerabilis Eccleſiæ ſenſum in fidei negocijs, quem per diuinam Traditionem habet in ipſis patribus & Eccleſiæ ſacerdotibus quaſi in diuite promptuario repoſitum,qui quoties ab hereticis agitatur populus Dei,depromitur,& quaſi rati habitione quadam,Patrũ autoritate firmatur,& ab omnibus firmiter tenendum mandatur. Et quanq̃ Patres in nomine Chriſti congregati,articulum nouum non poſſint cõdere, habent tamen autoritatẽ explicandi obſcuros ſcripturæ locos, & quæ ipſa Eccleſia per Traditionẽ habet manifeſtare,et manifeſtata confirmare:confirmata,obſeruãda mandare,nouiſq; vocabulis, rem ſupra quam eſt difficultas,magis ac magis intelligibilem reddere: prout fecerunt Patres in Concilio Niceno,addendo in filij ineffabili emanatione, conſubſtantialitatis nomẽ in ſcriptura minime expreſſum. Animaduertit optime ſuper hac re Socrates in hiſtoria tripartita, referens de quodã Euſebio Vercellenſi,ab eccleſia Occidentali ad Aegyptum miſſo, qui cum Concilium ibi congregaret Iouiniani temporibus Diuo Athanaſio præſidente, et ſpiritum ſanctum intra diuinam cõſubſtantialitatem decerneret ſancta Synodus comprehendendum, inſuper & verbũ carnem,& animam aſſumpſiſſe declaraſſet, dicit: Non enim nouam religionem in Eccleſia introduxerunt,ſed quam ab initio eccleſiaſtica Traditio docuit Chriſtianos.

Socrates

Synodus Alexandrina

Quo fit vt non omnia quæ decernunt ſacræ Synodi, ſcripturarum autoritate teneantur comprobari: tum quia ſenſum ſcripturæ quem habet Eccleſia ex ſpiritus ſancti magiſterio, nõ eſt opus per ſcripturam iterum probari,alias eſſet manifeſta circulatio:quia iterum de illa ſcriptura poſſet eſſe queſtio, an ſic intelligatur an alio modo: tum etiam quia multa interdum diffinit,quæ Traditione in Eccleſia abſq; fictione reſeruata conſtant,que minime ſcriptura probari poſſunt. Adde etiam quia nullum eſſet eius magiſterium neque autoritas,ſi pro omnibus quę decernit ſcripturam debuiſſet adferre. Quia aut adduceretur aperte clara, aut valde obſcura. Si clara,non eſſet opus queſtione, neque recurſu ad Eccleſię epiſcopos & ſacerdotes: ſi obſcura, dicere poſſet aduerſa pars, quę damnatur,illam ſcripturam non recte exponi, & pro ſua parte ma-

Quod ſynodus nõ teneatur omne id quod diffinit autoritate ſcripturę comprobare

gis quam pro oppoſita parte facere, & ita nullus pateret modus componēdi controuerſias, niſi eius diffinitionibus ſtandū eſſet, ita vt quod ipſa exponeret, eſſet expoſitum, & quod decerneret, ab omnibus haberetur pro oraculo.

Tertia via Tertia via eſt, conſulere patres Orthodoxos, antiquos Eccleſiæ ſanctos doctores: quos ſi inuenerimus in vna veritate cōueniſſe, illum eſſe ſenſum Eccleſię, & ſpiritus ſancti magiſterium, nullatenus dubitemus. Ex quo enim magiſtri ſunt fidelium a Deo deſtinati, ſententia eorum quaſi ſpiritus ſancti magiſterium eſt retinenda: alias non ad docendum, ſed ad ſeducendum eſſent a Deo Eccleſiæ ſuæ conceſſi.

Dicit enim Auguſtinus de Eccleſiæ magiſtris, lib. de doctrina Chriſtiana, cum exponit illud Matthęi, Non enim vos eſtis qui loquimini in conſpectu principum: Si in eis loquitur ſpiritus ſanctus, qui perſequētibus traduntur pro Chriſto, cur non & in eis, qui tradunt diſcentibus Chriſtum? Approbarunt viam iſtam quotquot in Eccleſia fuerunt ſancti, & antiquiſſimi ſcriptores. (Auguſt.)

Baſilius Diuus Baſilius lib. contra Amphilochium, ſuper conglorificatione ſpiritus ſancti, totam antiquitatem ſcriptorum Eccleſiaſticorum in eum congerit, per quos maxime cōmendat eccleſiaſtici dogmatis veritatem.

Sanctiſſimus Hierōnymus contra Heluidium, cum ſcripturæ autoritate conuincere in multis eum non poſſet, totam in illum cateruam eccleſiaſticorum doctorum, qui oppoſitas partes tenuerūt, congeſſit, probans ſubinde per hos, Heluidīj ſententiam doctrinæ eccleſiaſticæ contradicere, ac ſubinde hæreticam eſſe. (Hieron.)

Euſebi9 Euſebius etiā lib. v. ſuæ hiſtoriæ, cum de quodam Theodato, qui hæreſim illam Pauli Samoſatheni contra Chriſti diuinitatem renouauit, mentionem facit, quendam eccleſiaſticum ſcriptorem introducit, Heraclæum ſextum, ſeu Arabianum nomine, qui illa tempeſtate in Eccleſia florebat: affirmans ipſum per Traditionem Eccleſiæ, dogmati illius hæretici contrariam, prædictum Theodatum, confutaſſe: qui Traditionem illam probauit magiſterium ſpiritus ſancti eſſe, eo quod apoſtolici viri, Clemens, Iuſtinus, Melchiades, Mellito, et alīj ſcriptores eccleſiaſtici diuinitatem Chriſti in ſuis ſcriptis confeſſi ſunt: hos enim ſcriptores ibi numerat. Item Socrates loco prius allegato tripartitæ hiſtoriæ, reddens cauſam illius diffinitionis Alexandrini Concilīj, de quo paulo ante meminimus, ſcriptorum ſanctorum cōmunem ſenſum proponit, tanquam dignum qui ab omnibus fidelibus reuerenter excipiatur: Sic (inquit) (velut illa Synodus decreuit) omnes antiqui ſermonis ſcripturam nobis probatiſſimam reliquerunt. Nam Irenęus, Clemens, Apollinaris, Papias, Hierapolites, Serapion Antiochiæ præſul, inſuper Berillus, Philadelphiæ præſul, Origenes in Geneſin, Pamphilus (Socrates)

anima-

animatum verbum dixerunt. Quorum doctrina hic allegata pars eſt decreti, in præfata ſynodo promulgati. Leo ille magnus, cum Leonem *Leo* Imperatorem de gemina in Chriſto natura contra Eutichetis errores inſtruit, non parum putat pro cauſa fidei facere ſanctorum patrum antiquorum in dogmate conſenſum. Dicit enim poſtquam ſcripturæ argumentis rem tractauerat, & mentem ſuam aperuerat: Vt autē pietas tua, cum venerabilium patrum prædicationibus nos cōcordare cognoſcat, aliquantas eorum ſententias, huic credidi ſubijciēdas eſſe ſermoni: quibus ſi digneris attendere recenſis, non aliud nos prædicare reperies, quā quod ſancti patres noſtri toto orbe docuere: nec quenquam ab illis niſi ſolos impios hæreticos diſcrepare. hæc ille. Vbi allegat tres vel quatuor locos D. Hilarij. Athanaſium in epiſtola ad Epictetum, Ambroſium de fide, & in epiſtola ad Sabinū. Auguſtinum ad Dardanū et ad Voluſianum, & Cyrillum ad Neſtoriū: tanti faciebat homo Dei, & vniuerſalis Eccleſiæ præſidens, ſanctos patres in vnam conueniſſe ſententiā: a quibus dicit ſolos hęreticos diſcrepare. Agatho etiam venerabilis, in decreto illo ſynodico, nuper a nobis allegato, ſuper duplici voluntate Ieſu *Agath.* Chriſti Domini, contra Monothelitas, ſanctorum ſcriptorū conſenſum allegat, putans dogmati eccleſiaſtico magnū robur in hoc ſe adhibuiſſe: inter quos omnes allegat, ſi bene memini, ſanctum Athanaſium, & diuum Ambroſium. Quod ipſum non ſemel facit diuus Bernhardus, maxime in ea, quæ eſt ad Hugonem epiſtola lxxvij. qui ſuper efficacia fidei, & ſancti lauacri reſpectu paruulorum, Traditiones Patrū ſe di- *Bernhar.* cit velle opponere ſententijs hæreticorū, tantum ad hoc allegans Dionyſium, Cyprianū, Ambroſium & Auguſtinū, quorum conſenſu fretus, contra hæreticos ſe cauſam obtinuiſſe magna fiducia putat. Poſtremo vſus totius decurrentis Eccleſię in hoc eſt, et hanc viam certam et tutam ſemper reputauit. Iam rurſum ad Traditiones ſanctas, earumq; vim et autoritatem latius tractandam accedamus.

TERTIA PARS.

SEXTA ASSERTIO.

Diuerſos eſſe ſanctarum Traditionum fontes.

IMmenſus ſe nobis hic aperit campus, vbi in tractandis religionis controuerſijs latiſſime potuiſſemus ſpaciari: ſed quia tot et tanta Eccleſię pręſentis ingenia in diſcuſſione earum haud infœliciter ſudauerunt, ne videamur magis rapſodiā quandā lectoribus velle obtrudere, quam principali et nouo a nobis ſuſcepto argumento ſatisfacere, ea

tantum dogmata perſequemur, quæ Traditionis antiquitate, & continuo ſanctæ Eccleſiæ conſenſu, nõ a mille annis duntaxat, ſed ab eius primordijs deducto, conſtare poſſunt, ſiue Traditio in ſcriptura contineaẽ, ſiue in monumentis apoſtolicorum & antiquorum Patrum, nomine Traditionis diuinæ vel apoſtolicæ ab eis referatur, perinde nobis erit, petitis locis non ex alienis chartis, ſed ex ipſa ſanctorum & antiquitatis Eccleſiæ lectione: in qua euoluenda hoc certo poſſum citra vanæ laudis ambitionẽ ad Ieſu Chriſti gloriam affirmare, quod non ſegniter aut oſcitanter (quanq̃ neſcio an fœliciter) per multum tẽporis ſum verſatus. Eſto igitur pro huius noſtræ conſiderationis initijs hæc trimembris, & ab omnibus ſanctis (prout ſubſequens demonſtrabit proceſſus) recepta partitio, tres eſſe fontes eccleſiaſticarum Traditionũ: Primum, diuinam autoritatẽ: Secundũ, magiſterium apoſtolicum: Tertium, epiſcoporum & maxime Romanorum a Deo collatam poteſtatẽ. Quorum omniũ in præſentia Traditiones aliquas recenſebimus, habita potiſſimum ratiõe duorum priorum, vtpote qui reconditiores & digniores minuſq; obuij omnibus ſunt. Nec hic facio differentiam inter ea quæ dictante ſpiritu ſancto, ipſi apoſtoli tradiderunt & inſtituerunt, ſiue iubente Chriſto promulgarunt: & ea quæ per ſe ipſe Chriſtus Eccleſiæ ſuę tradere dignatus eſt. Vtrobique.n. eſt diuina autoritas, & par magiſterium. Dicit.n.

Cypria. Cyprianus ſermone de ablutione pedũ: Sicut par eſt ſpiritus ſancti & Chriſti diuinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt autoritas et poteſtas, nec minus rarum eſt, quod dictante ſpiritu ſancto apoſtoli tradiderunt, quã q̃d ipſe per ſe tradidit. Vnde facile credo apud ſanctos antiſtites, Chriſti martyres, & Deo dignos doctores multoties emerſiſſe, vt quod vnus vocat Domini Traditionẽ, alter dicat eſſe apoſtolicam. Quod paſſim, ſcio, cõperient, qui antiquitatem Eccleſiæ diligenter euoluerint, quaſi pro eodem accipientes apoſtolicam Traditionem, et diuinam ſiue dominicam. Chriſtum autem inſtituiſſe et tradidiſſe pleraque, quæ minime in ſcripturis fuerunt repoſita, in principio iam demõſtrauimus, et Ioannes apoſtolus manifeſtauit vltimis ſui euangelij verbis: Sunt et alia (inquit) multa, quæ fecit Ieſus, quę ſi ſcribãtur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros. Quod multo magis de verbis atque doctrina credendum eſt. Diſcurramus autem per hos autoritatis gradus, quo dilucidior fiat res.

De diuinis Traditionibus, et primo de Traditione ſenſus ſcripturæ.

PRincipio intellectus ſcripturæ, quem per Traditionem Eccleſia habet (veluti probauimus) non poteſt a diuina autoritate Chriſti, et ſpiritus ſancti non promanaſſe. Si.n. ſcriptura ipſa nõ niſi inſpitãte ipſo ſpiritu ſancto (vt Petrus docet)

docet)tradita eſt, multo magis de eius intellectu, qui ſpiritus & anima ipſius ſcripturæ eſt,iſthuc idem credendum videtur. Alioqui tradidiſſet Dominus ſcripturas ſanctas ſine earum ſenſu legittimo: quod nemo ſani capitis debet aſſerere.Scripturā vero ſeipſam non poſſe in omnibus exponere,ſed egere alio ſpirituali lumine,abunde a nobis probatum eſt in ſuperioribus. Non.n.(vt diximus)ſcriptura ſacra ideo diuinam autoritatē habet, qa atramentum eſt ſic vel ſic delineatum, ſed quia diuinū ſenſum atq; doctrinā Dei in ſe cōtinet, ipſamq; multoties vſq;adeo reconditam, vt per diuinā Traditionem & Eccleſiæ ſenſum declarari deſideret. Nam qd,obſecro,ſibi vult,quod vltimo Lucę legimus de Chriſto redemptore noſtro,qui ſolus clauem Dauid habet, vt librum ſeptem ſigillis clauſum aperiat,cum poſt reſurrectionē ſuam diſcipulis ſuis, per quos volebat ſcripturarū cibaria fidelibus miniſtrari, ſenſum earundem aperuit & reſerauit,niſi Traditionem intelligētiæ eius illis impartiri velle,per quā citra offenſionē haud difficulter ab eis poſſit intelligi, & ſancta mater Eccleſia per eos perfecte poſſet inſtrui:Hæc ſunt (inquit ſeruator noſter)verba quæ locutus ſum vobis,cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniā neceſſe eſt impleri omnia quę ſcripta ſunt in lege Moyſi,& Prophetis,et Pſalmis de me. Et ſubdit: Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Ex qua reſeratione, Traditionem intelligentiæ ſcripturarum in Eccleſia emanaſſe, nemini dubium eſſe debet. Lucę vltimo

Plenitudinem autē huius luminis et intelligentiæ Eccleſiam a ſpiritu ſancto in ſuis ſanctis patribus accepiſſe, in die illo Pētecoſtes,in quo idē ſpiritus corda fideliū afflauit,& chariſmatum redundantia repleuit, ſecundum quod Chriſtus illis promiſerat,nemo orthodoxus etiā dubitare debet.Sic enim habebat Ieſu Chriſti Domini promiſſio: Hæc locutus ſum vobis,apud vos manens,ac ſi diceret:Huc vſq; ruditati veſtrę conſultum eſt,& qa carnales eratis,nō eſt vobis impartitus theſaurus intelligentiæ doctrinæ ſpiritualis atq; cœleſtis,qa nemo mittit vinū nouum in vtres veteres,ne vtribus ruptis vini fortitudine,vinum ipſum effluat, & vtriū & vini ſimul iactura fiat:habēt ſuum tēpus omnia: Quum aūt per illū ignem diuinū excocta fuerit ad purū ſcoria veſtra,per quē aptiores eritis ad diuina prorſus intelligēda myſteria,tūc mittet vinum nouū in vtres nouos. Paracletus enim ſpiritus ſanctus, quē mittet pater in nomine meo,vt vos nouos reddat homines,et quaſi diuinos,ille vos docebit omia quæcunq; dixero vobis, hoc eſt,pręſtabit intelligentiam eorū, quę a me audiſtis,et adhuc per ipſum audietis. Et cap. xvi. Adhuc multa habeo vobis dicere,quę nō poteſtis portare modo:Quum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Si omnem veritatem, ergo ſenſum & intellectum ſcripturarum, quo nulla maior veritas illis innoteſcere potuit,& in quo vniuerſalis Eccleſiæ ſalus eſt. Ioan. 14 Ioan. 16

TERTIA PARS DE TRADITIONE SA-
cramentorum.

SEcundo, quæ ad inſtitutionem Sacramentorum eorumq́ue
ſubſtantiam attinent (de his loquor, quorum ritus & inſtitu-
tio in ſcripturis ſanctis vt a Chriſto inſtituta perfecte non re-
feruntur, ſed quæ a ſuis primordijs vniuerſalis Eccleſia te-
net, & venerata eſt) ex diuinæ Traditionis autoritate deſcendere, recte
etiam præſentientibus compertum eſt. Nam cum effectum chariſmatis
ſeu gratiæ ſpiritus ſancti, venerabilia ſacramenta habeant annexum, cō-
ſtat ab illo ſolo principaliter inſtitui poſſe, & in Eccleſiam introduci,
qui ſolus poteſt gratiam ipſam, quaſi pactione quadā promittere, eamq́ue
abunde & per ſe conferre. Deus autem ſolus eſt, qui tam magnifica do-
Pſal. 83 na præſtare poteſt, vt Pſaltes ait: Gratiam & gloriam dabit Dominus.
quæ ſiue per ſe ipſe Dominus inſtituerit, ſiue ſpiritus ſanctus poſt ipſum
Iacobi 5 in cœlum ſublatum per apoſtolos tanquā per organa ſua legittima Ec-
cleſiæ tradiderit, nihil refert; idem Deūs, idemq́ue Dominus omnium eſt
inſtitutor & conditor. Quare, licet in epiſtola D. Iacobi videamus ex-
tremæ vnctionis ſacramentum ab ipſo promulgatum, Traditio tamen
Chriſti eſt, vel magiſterium ſpiritus eius, qui ſolus per ſacramentum gra
tiam recte accipientibus pręſtat, & peccata condonat. Nec ſecus creden-
dū eſt de confeſſionis, confirmationis & ordinationis ſacramentis: quo-
Clemens rum D. Clemens, Anacletus, Vrbanus, ſancti martyres, & apoſtolorum
Anacleto diſcipuli & ſucceſſores, meminerunt, quæ a Petro & apoſtolis ſuis ma-
giſtris fatētur ſe per diuinum præceptum accepiſſe: quod manifeſte etiā
Dionyſ. ſentire videtur magnus ille Dionyſius apoſtolorum diſcipulus, libro de
Eccleſiaſtica hierarchia, cap. 1. cuius aurea verba repetere non grauabi-
mur, quippe quæ noſtro huic inſtituto valde conſonant: Itaq́ue primi illi
Dionyſ. (inqt) noſtri ſacerdotalis muneris duces, cum ſumma, ſuperſubſtātialiq́ue
deitate, ipſius ſancti muneris plenitudinem percepiſſent, & id ipſum de-
inceps proferre & propagare a diuina bonitate miſſi eſſent, ipſiq́ue (vt qui
tranſiſſent in Deum) poſteros ad diuina prouehere affatim cuperēt, vi-
ſibilibus ſignis cœleſtia ſacramenta texerunt: varietateq́ue ac multitudi-
ne, quod vnicum eſt & collectū, tradiderunt, & in humanis imaginibus
res diuinas, materialibuſq́ue figuris ſpiritualium maieſtatem, atq́ue in illis
q̄ nobis ſunt familiaria, ſumma illa et ſuperſubſtātialia, partim ſcriptis,
partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis, iuxta quod ſacræ diffiniunt le-
ges, nobis tradiderunt. Quibus verbis duo ſatis ad noſtrū propoſitum
pertinentia affirmat hic vir apoſtolicus: alterum, quod ſancti apoſtoli et
euangeliſtę per ſpiritum ſanctū in viſibilibus ſignis tradiderūt Eccleſiæ
aliqua ſacramenta: alterum, quod aliquam partē ex his in ſcripturis ca-

nonicis

nonicis reliquerunt, vt extremam vnctionem, confeſſionem, & quadã-tenus ipſam confirmationem. Sed quia hoc cũ multis alĳs quæ ad ſubſtantiam, ritus & cęremonias venerabilium ſacramentorum, & aliarum rerum quæ a ſuis primordĳs vſq; in præſens tempus tota ſeruat Eccleſia, in monumentis virorum apoſtolicorum, & ſanctorum martyrum, qui apoſtolos, aut eorum diſcipulos audiuerunt, vel proximi eis fuerũt, perfecte traduntur: vbi per Traditionem Dominicam hæc omnia in Eccleſia venerabiliter recepta eſſe fatentur: non abs re erit ſi vna cum ſcripturæ locis, quæ huiuſmodi res concernunt, in citandis bona fide eorum teſtimonĳs, nonnihil temporis inſumpſerimus. Quorum autoritate, et atteſtatione cõtentus eſſe debet homo Chriſtianus, qui humiliter, & ad ſobrietatẽ ſapit, & de Eccleſię dignitate, & ſanctis Dei, apoſtolicis Eccleſiæ præſidibus optime ſentit. Aliam enim probationem in præſentia afferre, præter martyrum & ſanctorum doctorum atteſtationes, nec materia ipſa permittit, nec aliqs a nobis exigere plus poteſt: qppe qui certo ſciamus eos in rebus tã grauibus, ſubditis & fratribus ſuis nõ velle illudere: ſerui enim Dei fuerunt, aut propriũ ſanguinem propter ipſius nominis gloriã effuderunt, necnon cũ apoſtolis, & apoſtolicis viris cõuerſati ſunt, a qbus ſe iſta omnia accepiſſe teſtantur, cũ huiuſmodi tradita fideliũ Eccleſĳs cõmendarent. Neq; vnquã retractauerunt, neq; pertæſum eſt, quemadmodũ blaſphemo ore mentitur Lutherus, & ſequaces eius. Quibus enim cõſtaret magis huiuſmodi tetractatio, quã ĳs quos loco ſui relinquebant, et perfectos in omni doctrina eſſe cupiebant? Qui nihil tale nobis ſignificarũt, imo prędeceſſorum ſuorum doctrinã quam acceperunt, magis ac magis cõmendarunt, vti eorũ monumenta, & vniuerſalis Eccleſię vnanimis cõſenſus plane declarat. Quia vero nõnulla ex epiſt. 1. Clementis, doctrinæ Petri teſtis oculatiſſimi, teſtimonia deſumentur, et aliqua quoq; allegata a nobis ſunt in ſuperioribus, operæpretiũ erit nõnihil de eius autoritate præfari, ne videamur a ſuſpectis et ſuppoſititĳs chartis in rebus tam grauibus ſuppetias mutuari. Primã enim et quintã huius ſancti epiſtolã cõſtat primitus ab ipſo Greco ſermone fuiſſe conſcriptas, et a Ruffino tẽpore Archadĳ et Honorĳ ſub nomine S. Clementis latinas factas. Sed ſubdubitant nõnulli de prima eius epiſtola, cuius ſuperſcriptio ad Iacobum fratrẽ Domini videtur directa. Nam de epiſtolis alĳs nemo vnq; Orthodoxus dubitauit. Subdubitationis autem iſtorum cauſa eſt, quia videtur ĳs cum ratione temporum minime conſonare, quod Clemens epiſcopus Romanorũ a Petro iam ordinatus ſcripſerit ad Iacobum fratrẽ Domini, quippe qui ante mortẽ Petri, vt Hieronymo placet in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, fere per ſeptẽ annos iam obierat: meo tamen iudicio non eſt, quod de eius autoritate poſſit dubitari. Nã quicquid ſit de illo, ad quem dirigitur, ſit ne

Autoritas primæ epiſtolæ Clemen.

fit ne Iacobus Alphęus, an Iacobus frater Domini, (nam de tribus ho-
minibus hoc nomine vocatis fit mentio in libro recognitionũ Clemen-
Epipha. tis,et apud Epiphanium,cum Antidicomaritas impugnat,vbi Iacobum
fratrem Domini alium eſſe dicit a Iacobo Alphęi)an Symon,an quiuis
alius magnus apoſtolus,omnes enim fere iſti fratres Domini fuerunt,eo
modo quo ſcriptura ſolet aliquando vti hoc nomine fratres, facile po-
tuit pars tituli huius epiſtolæ vel vetuſtate obliterari,vel ab eo,qui hãc
tranſtulit,per errorem fortaſſis (vt cum venia Ruffini loquar) interuer-
ti,& vnum pro alio poni:aut fieri potuit Clementis ordinatio,de qua in
hac epiſtola fit mentio,cum ipſe Petrus a Roma diſceſſit,non multo an-
te mortem ſuam viſitaturus Pontum & Galatiam,& Bythiniam. Nam
Epipha. regiones has viſitaſſe Petrum eo tẽpore,autor eſt idem Epiphanius,quo
Iacobus adhuc potuit ſuperſtes eſſe. Aut dicendum Hieronymũ in ſup-
putatione annorum vitę Petri fuiſſe lapſum,aut Ioſephum falſum,cum
mortem Iacobi in ſua hiſtoria nobis deſcribit.Non temere id aſſero,ſed
magnis ductus argumentis: ſunt enim qui huius epiſtolæ autoritatem
cõmendent,& ex ea teſtimonia mutuentur teſtes grauiſſimi, oculati,
martyres Dei ſanctiſſimi, qui huic beato proximi, aut coæui fuerũt:
Anaclet. quorũ dictis nõ aſſentiri magnæ temeritatis eſſet. Anacletus enim qui
Petrum vidit,& ab eo presbyter eſt ordinatus,in prima epiſtola ſua, de
qua nemo in Eccleſia dubitauit, cum de oppreſſione epiſcoporum agit,
hanc primam epiſtolam Clementis ſub his verbis allegat: Vt ait bea-
tus Clemens anteceſſor noſter,ſimilis eſt omnis Eccleſiæ ſtatus naui ma-
gnæ,quæ per vndoſum pelagus diuerſis locis,et regiõibus viros tranſ-
portat. Quæ verba conſtat deſumpta eſſe ad literam ex prima epiſtola
Clementis.In epiſtola vero tertia eiuſdem Anacleti ſuper diſtributione
primatuum,iterum ex eadem prima Clemẽtis epiſtola ſumitur teſtimo-
nium: De primatibus (inquit) chariſſimi, ſuper quibus me quidam ve-
ſtrum conſuluerunt,& apoſtolicæ autoritatis decretum poſtulauerunt,
ſi eſſe deberent an non,quantum hactenus de his a beato Petro apoſto-
lo,& a reliquis apoſtolis,& a beato Clemente,noſtro ſancto & præde-
ceſſore & martyre nouimus ſtatutum, denegare vobis minime poſſu-
mus &c. Allegans ad verbum quod beatus Clemens in pręfata epiſtola
prima ,de huiuſmodi primatibus ex inſtructione Petri diſpoſuit.
Euariſtus epiſtola ſecunda ad Aegyptios: Scitote (inquit) quod ſu-
Euariſt. pra omnes vos laboret epiſcopus, quia vnuſquiſq; veſtrum ſuum pro-
prium fert laborem,ille vero ſuum & ſingulorum. Quæ verba vſq; ad
apices ipſos,Petri ſunt apoſtoli in ordinatione Clementis, ad fideles Ro-
manos directa:quibus obnixe cõmendat, vt Clementem paſtorem ſuũ
Alexand. venerentur.
Item ſanctus martyr Alexander, primus ab ipſo Clemẽte,in ſede Ro-
mana

mana tertius, in prima ſuarum epiſtolarum ad omnes orthodoxos miſſa, Clementis ordinationem in ipſa illa prima epiſtola contentam, adducit in hæc verba: Si nõ licet eis loqui, qui doctores contriſtant veritatis, quanto magis dilaceratoribus? Vnde & beatus princeps apoſtolorum in ordinatione ſancti prædeceſſoris noſtri Clementis, ad populum ait: Si inimicus fuerit Clemens alicui pro actibus ſuis, vos nolite expectare vt ipſe vobis dicat, cum illo nolite amici eſſe. Quæ ex præfata Clementis ordinatione petita ſunt. Hæc eadem verba diuus Fabianus martyr nõ multo poſt in prima ſua epiſtola ad vniuerſalem Eccleſiam miſſa vſurpauit: hanc etiam epiſtolam reuerenter allegans, volens probare cum excõmunicatis, & his qui cum ſucceſſore Petri cõmunionem non tenẽt, cõmunicandũ non eſſe: vt obiter intelligant inobedientes ſchiſmatici, neceſſariã eſſe hanc cũ vniuerſali & viſibili paſtore Eccleſiæ cõmunionem. Marcellus item martyr & pontifex in 1. epiſt. ad Mezentiũ. D. Gregorius xvi. Moral. Clemens etiã tertius in quadã epiſtola decretali, nec non & concilium Vallenſe, et Triburienſe, epiſtolam hanc, & ordinationẽ Clementis in ea contentã, reuerenter allegãt. Gloſſa ſuper illo Ephe. iiij. Alios paſtores et doctores, ex hac epiſtola teſtimoniũ ſumit, dicens: Paſtor nõ eſt, niſi doctrinã habeat, qua gregẽ paſcat. Vnde Petrus apoſtolus in ordinatione Clementis dixit: Impietatis crimẽ eſt neglectis verbi Dei ſtudijs ſolicitudines ſuſcipere ſeculares. Omitto hic Rufinum & Gratianũ, quorũ ille epiſtolam hanc e Græco in Latinũ tranſtulit ſub nomine Clementis: hic vero non ſemel aut bis teſtimonia ex ea in libro Decret. deſumit. Qua re ſtatuta videtur primæ epiſt. Clementis autoritas, vt nemini niſi capitoſo alicui, iam liceat refragari. Afferamus nunc in mediũ nonnullos iſtorum monumentorũ locos ad ſanctarũ Traditionum robur, atq; eos ex innumeris fere, qui legentibus paſſim ſunt obuij, apud hos Eccleſiæ priſcos autores et Patres venerandos. Præfatus ergo B. Clemens apoſtoli Petri diſcipulus, eiuſdemq; in ſede ſucceſſor legittimus, multa ab eodem Petro ſe accepiſſe ex dominica Traditione in ſuis epiſtolis affirmat: quarum præcipua in his, quæ ſequuntur, per particulares conſiderationes digeſta allegabuntur.

Fabian. Marcellus. Gregor. Clemens tertius. Concilium Vallen. Tribur. Gloſſa. Rufinus. Gratianus.

Prima conſideratio, de ritu Baptiſmi:

PRimo formã Baptiſmi, & ſacri Chriſmatis illinitionem ex iij. lib. recognit. ex doctrina Petri ad verbum deſumit, epiſt. iij. ad oẽs fideles: Baptizetur (inqt) vnuſquiſq; nomine trinæ beatitudinis inuocato ſuper ſe, peruunctus primo oleo per orationẽ ſanctificato, vt ita demũ per hoc cõſecratus percipere poſſit locũ cũ ſanctis. Hæc Clemẽs. Quẽ ritũ et cõſecrationẽ ſacri vnguẽti Dionyſ. S. Ariopagita lib. de eccleſiaſtica hierarch. cap. iij. a ſanctis apoſtolis præceptoribus ſuis

Clemens. Dionyſ.

Origen. ſuis per Traditionem dominicam accepiſſe ſe affirmat. Cuius etiã me- Ambroſ. minit Origenes ſuper Ezech. Homil. vij. Ambroſius etiam libro primo de Sacramentis, cũ recens baptizatis loquens, Conſidera (inquit) quid videris, quid locutus ſis, conſidera, repete diligenter, occurrit tibi Leuita, occurrit tibi presbyter, vnctus es quaſi athleta Chriſti, & quaſi cum hoc ſeculo luctaturus. Et ne putet aliquis ſacram hanc vnctionem ne- Cypria. ceſſariam non eſſe regenerandis, audiat D. Cyprianum, cum Africano Concilio ſecum coacto, ad Anthonianũ, Rogatianum, & Honoratum epiſcopos ſcribentem, & neceſſitatem hanc clare explicantem: Vngi (inquit) neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, vt accepto chriſmate, id eſt, vnctione, vnctus Dei habere in ſe Chriſti gratiã poſſit. Hæc Cyprianus.

Conciliũ Arauſicenſe Item Conciliũ Arauſicenſe ſub Theodoſio iuniore celebratũ, primo canone de ſacra Chriſmatis vnctione, ſic decernit: Nullus miniſtrorũ, qui baptizandi recipit officiũ, ſine chriſmate vſquã debet progredi, et ſi quis baptizatus non chriſmatus fuerit, moneatur ſacerdos in confirmatiõe, nam inter nos vt neceſſaria habetur Chriſmatio. Quem ritũ obiter etiã Tertull. cõmemorat Tertullianus, Papię auditor, lib. contra Martionẽ: Non reprobauit, inquit, Deus alias creaturas corporales, ſicut neq; aquã, qua nos abluit, nec oleũ quo ſuos vngit. Alios vero baptiſmi ritus, excepta fidei confeſſione, quæ exigi ſolet a baptizandis adultis, magis putarem eſſe ab apoſtolis quam a Domino introductos: vt eſt benedictio aquæ pro baptizandis, oleo ſancto deſuper infuſo, ſanctis precibus & inuoca- Dionyſ. tione diuina pręcedentibus: cuius meminit idem Dionyſius cap. ij. libro Origen. eccleſiaſticę hierarch. Benedicti ſalis impoſitio, de qua Origenes Homil. vi. ſuper Ezech. mentionem facit: vbi hortatur catechumenos, vt ſe pręparent ad hoc, vt fiant Domini ſal. Item auriũ & narium baptizandi ſa- Ambroſ. cerdotalis attactus, de quo B. Ambroſius lib. de his qui myſterijs initiãtur, mentionẽ facit. Rurſus exorciſmi, & coniurationes, quæ ſacram ablutionem præcedunt, quorũ omniũ ſancti mentionem faciunt, maxime Augu. Auguſtinus, ſermone Feriæ ſecundæ poſt Paſcha, & lib. de ſymbolo, Chryſoſtomus, homilia de Adam & Heua. Itẽ Cœleſtinus diſtincti. iiij. Synodus Bracharenſis & ſynodus Bracharenſis, quæ iubet per viginti dies ante Baptiſmũ Catechumenos exorcizari. Inſuper abrenunciatio, qua baptizandus abrenunciat diabolo & põpis eius: et quod baptizandus habeat ſuſceptorẽ ſiue patrinũ: trina quoq; immerſio, quã dicit ſignificare dominicã ſepul- Dionyſ. cap. 3 turam, & alia, quæ inter apoſtolica tradita Dionyſius de eccleſiaſtica Tertull. hierarchia, Tertullianus lib. de corona militis, Ambroſius in epiſtola Ambroſ. ad Coloſſenſes, et libro de ſacramentis numerant. D. Hieronymus ſu- Hieron. per lib. vi. Amos Prophetæ, et epiſt. ad Ruſticũ, meminit olei et chriſ- Auguſt. matis in baptizatis. Et Auguſtinus lib. ij. de ſymbolo. Similiter albæ veſtis induitio, quam memorat Dionyſius lib. ſæpe allegato, et Ambro-

ſius

ſius libro de his qui myſterijs initiantur. Et hiſtoria Tripartita lib. xi. cap. xiiij. narrat id genus etiam alia. Hiſtoria tripartita

SECVNDA CONSIDERATIO.

De Traditione Confirmationis.

DE ſacramento autem Confirmationis, & ritu eius, etſi ſacræ literæ quodãmodo faciant mentionem in frequenti illa manuum impoſitiõe, qua apoſtoli Chriſto iam initiatis ſpiritum ſanctum cõſerebant, veluti ſigno quodã ſenſibili a Deo inſtituto, quæ notæ ſunt veracis & efficacis ſacramenti, idem tamen D. Clemẽs ex Petri mẽte fuſius & clarius ipſum promulgat, dicẽs epiſt. iiij. ad Iuliũ & Iulianum: Omnibus feſtinandum eſt ſine mora renaſci Deo, & demum cõſignari ab epiſcopo. i. ſeptiformem gratiam ſpiritus ſancti percipere, quia incertus eſt vniuſcuiuſq; exitus vitæ. Cum autẽ regeneratus fuerit per aquam, poſtmodum ſeptiformi ſpiritus gratia ab epiſcopo, vt memoratũ eſt, confirmetur: quia aliter perfectus Chriſtianus eſſe nequaquam poterit, nec habere ſedem inter perfectos: ſi non neceſſitate, ſed incuria aut voluntate remanſerit. Et ne exiſtimet aliquis iſtius ſancti eſſe inuentum, ſubiungit: vt a Petro apoſtolo accepimus, & cæteri ſancti apoſtoli præcipiente Domino, docuerunt. En tibi claram & perſpicuam huius ſacramẽti originẽ a Chriſto Domino promanantẽ. Manuum vero impoſitionis Traditionem, quæ de huius ſacramenti ſubſtantia etiã eſt, diuus Vrbanus huius beati ſucceſſor, qui ſub Alexandro Mãmeæ filio martyrio coronatus eſt, vix octoginta annis Clemente poſterior, cunctis fidelibus ſcribens aperuit his verbis: Omnes fideles per manus impoſitionẽ epiſcoporum ſpiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur: quia cum ſpiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur. Acto. 8 Clemens Vrban.

Item D. Euſebius martyr, qui ſub Diocletiano paſſus eſt, non ſolum ſacramentũ hoc eſſe dicit, ſed et legittimum miniſtrum eius præſcribit. Manus (inquit) impoſitionis ſacramentũ magna veneratione tenendũ eſt, quod ab alijs perfici non poteſt, niſi a ſummis ſacerdotibus, nec tempore apoſtolorum ab alijs quam ab ipſis apoſtolis legitur & ſcitur eſſe peractũ: nec ab alijs quam per illos qui apoſtolorũ tenent locum, vnq; perfici poteſt: & ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter eccleſiaſtica reputabitur ſacramenta. Ecce, ſacramentũ confirmationẽ nominat, & miniſtri neceſſitatẽ explicat hic martyr beatiſſimus, ante annos mille et ducentos. Rurſus Melchiades, qui huic Euſebio ſucceſſit, martyr etiam a Deo coronatus, in ſuo decreto, vbi collationem facit inter baptiſmi ſacramentum et confirmationis, in hunc Euſebi. Melchiades.

Sacramenti baptiſmi et confirmationis quid. modum docet: De his ſuper quibus rogaſtis vos informari, vtrũ maius eſſet ſacramentum, manus impoſitio, an baptiſmus, ſcitote vtrumq; magnum eſſe ſacramentum. Et infra: Spiritus ſanctus qui ſuper aquam baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, in fontem, plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione vero augmentum præſtat ad gratiã: et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes, & pericula aggrediendum eſt, in baptiſmo regeneramur ad vitã, poſt baptiſmum autem confirmamur ad pugnam: in baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum roboramur: & quamuis continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia, neceſſaria tamen ſunt (grandæuis ſcilicet) confirmationis auxilia. Vbi vides ſanctum Pontificem & martyrem rotundo ore inſtitutum confirmationis, ſacramentum appellare, idemq; neceſſarium ad ſalutem grandæuis iam Chriſtianis eſſe: quod nonnulli ſcriptores negare audent, neſcio an recta ducti ratione. Nam (vt quod in hac re ſentio, obiter dicã) tam neceſſariũ puto grandæuis Chriſtianis hoc ſacramentum, aut efficacẽ ſuſcipiendi voluntatem, ita vt per eos non ſtet quin recipiant, quam eſt neceſſarium robur pugnaturis. Pugnatores autem debere eſſe Chriſtianos grandæuos, Apoſtolus docet in ea, quæ ad Galatas eſt epiſtola: Non eſt nobis (inquit) colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem, ſed aduerſus ſpiritus & poteſtates tenebrarum. Vbi autem finis eſt neceſſarius, vnicum quod ad finem ordinatur, etiam eſt neceſſarium: eſt autem id vnicum medium ad conſequendum robur, et viſrium ſtabilimentum in Chriſtiana pugna ſcilicet digne recipere hoc ſacramentum, aut velle efficaciter recipere a Domino inſtitutum, per q̃d, diuina pactione robur iſtud nobis donatur, vt affirmarunt iſti ſancti martyres, et viri apoſtolici: erit ergo adultis, quando dabitur recipiendi copia, neceſſariũ. Idem fere decernitur de hoc ſacramento in Concilio Meldenſi, vbi præcipitur non niſi a ieiunis, & cũ reuerentia debere accipi. et Aurelianenſi, cap. iij. Cuius contrarium multi epiſcoporũ hodie faciunt, in magnum tanti ſacramenti paruipendiũ. Eſt ad hoc propoſitũ ſacroſanctæ Nicenæ Synodi inſtitutio. lxxvij. quæ ſic habet: Si quis Diaconus, regens plebem ſine epiſcopo vel presbytero, aliquos baptizauerit, epiſcopus eos per benedictionẽ perficere debebit: quod ſi ante de ſeculo receſſerint, ſub fide qua quis crediderit, poterit eſſe iuſtus. Item in Concilio Laodicenſi ſub Damaſo primo coacto, ſic de hoc venerabili ſacramento decernitur cano. xlviij: Oportet baptizatos poſt baptiſmum ſacratiſſimum chriſma percipere, & cœleſtis regni participes fieri. Item Baſilius lib. de ſpiritu ſancto, chriſmatis, et impreſſionis crucis inter alia diuinitus tradita cõmeminit, vt obiter nemo ignoret Orientalem Eccleſiã in hac etiam fuiſſe ſententia. Item Auguſtinus libro quarto, cap. quarto cõtra literas Petiliani Donatiſtę, apertis verbis confir-

Apoſtol

Ca. 6 Synodus Meldenſis

Aurelia

Nicæna ſynodus

Synodus Laodicẽſis

Baſilius

Auguſt.

confirmationem ſacramentum eſſe dicit, quod Petrus et Ioannes Samaritis miniſtrarunt: ipſumq́ affirmat in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſſe, ſicut et ipſe baptiſmus eſt. Et lib. ij. contra eundem Petilianum cap. ciiij. Et lib. de Trinitate cap. xxvi. mentionem de eo etiã facit. Beatus quoq́ Cyprianus ſermone de ablutione pedum, illinitionis & ſacri chriſmatis, & manuũ impoſitionis ſacramenti, & baptiſmi cõmeminit, potiſſimum vero in ſermone de vnctione Chriſmatis: cuius verba aurea ob oculos ponere non pigebit, propter contentioſos incredulos: Hodie (inquit) in Eccleſia cũ cæteris vnctionibus ad populũ acquiſitionis ſanctificandũ, et in participationẽ dignitatis & nominis ſacrum Chriſma conficitur, in quo mixtum oleo balſamũ regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatũ, quibus dignitatibus initiãdis diuinitus eſt vnctio inſtituta. Vbi clare inſtitutionẽ diuinã, tam chriſmatis confectionẽ, q̃ ipſam hanc illinitionem eſſe dicit. & paucis interpoſitis: Hodie (inq̃t) vt diximus, vnguentum ad ſanctificationem paratur, cuius flagrantia adoleſcentulæ & nouellæ animæ ad fidem accedentes illectæ delectantur. Et infra: Non hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta, quia ſanctificatis elementis, iam non propria natura præbet effectũ, ſed virtus diuina potentius operaẽ: adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramẽto, vt ex ipſis reru efficientijs gratię dignitas pateat, & interiori homini, quãta ex his detur autoritas, deiformi cõuerſatione et cœleſtibus moribus innoteſcat. Hæc ille. Quantis & qualibus encomijs ſacroſanctũ hoc inſtitutum nobilitauit hic martyr ſanctiſſimus: Nam & ſacramentũ ipſum appellat, non ſolũ quia interiorẽ ſpiritus ſancti vnctionẽ ſignificet, ſed quod diuina pactiõe, dum ipſa exterior illinitio fidelibus applicatur, interiorem hominem ſpiritus ſancti gratia corroboret, qua in re ratio ſacramenti proprie ſumpti conſiſtit. Subſcribit etiã huic ſanctæ inſtitutioni D. Fabianus martyr & pontifex ante mille & trecẽtos annos, in epiſtola ad Orientales epiſcopos, loquens de die cœnæ, & huius ſancti vnguenti cõfectione: In illa (inquit) die Dominus Ieſus, poſtquã cœnauit cũ diſcipulis ſuis, et lauit eorum pedes, ſicut a ſanctis apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſq́ reliquerunt, chriſma cõficere docuit: ipſa enim lauatio pedum noſtrũ baptiſmã ſignificat, quod ſancti Chriſmatis vnctione perficitur. Vbi duo vides ab hoc ſancto martyre affirmari: alterum, quod Chriſmatis confectio, Traditio diuina eſt: alterũ vero, quod ad perficiendũ Chriſtianum a Deo eſt inſtitutum, idq́ vnctione facta ex hac ſacra confectione diuinitus procul dubio conſequi. Dionyſius lib. ſæpe allegato perficientẽ vnctionem, hanc illinitionem vocat. Itẽ Hieronymus contra Luciferianos ſignans ſcripturæ locũ, vnde deſcenderit ritus iſte ſacroſanctus, ſic docet: Si imponit manum epiſcopus, his imponit q recta fide baptizati ſunt. quod ſi hoc loco q̃ris,

Cyprian. | Fabianus | Dionyſ. | Hieron.

quare baptizatus in Eccleſia non niſi per manus epiſcopi accipiat ſpiritum ſanctum? diſce hanc obſeruationem ex ea autoritate deſcendere, quod poſt aſcenſionem Domini ſpiritus ſanctus ad apoſtolos deſcēdit. Cōſtat autem ſpiritus ſancti deſcenſum autoritatem eſſe diuinā. Quare & hic ſanctus diuinum eſſe inſtitutum confirmationis ſacramentū pręſenſit. (Euſebius) Euſebius etiam narrat libro vi. ſuæ hiſtoriæ cap. xxxiij. quod q̄a in Nouato hæretico ea quæ baptiſma ſubſequi ſolent, non fuerunt ſolenniter impleta, nec ſignaculo Chriſmatis conſignatus fuerit, ſpiritum ſanctum non potuerit promereri: vt videas effectū huius ſancti inſtituti, quod mortuam ceremoniā nōnulli Proteſtantes irriſione blaſphema vocant, collationem eſſe ſpiritus ſancti. Omitto hic poſteriorum ſynodorū de hac re conſenſum, vtpote (Toletana ſynodus) Toletanæ primæ, quæ aperta voce hoc inſtitutum ſacramentū vocat, & per ſolos epiſcopos dari poſſe affirmat. (Hiſpal. Bracha. Vuorm. Floren.) Item concilium Hiſpalenſe ſecundum, Bracharenſe ſecundū, Vuormatienſe etiam canone ſecundo, Cōſtantienſe etiā, & Florentinū, quę huius etiam ſanctæ Traditionis apertiſſimā fidem faciunt. Hęc omnia teſtimonia ſi ad inuicem conferat pius lector, & temporū, quibus dicta ſunt, ſimul collatione faciat, inueniet procul dubio totum vniuerſalis Eccleſiæ decurſum, a Chriſto vſq; in præſens tempus cōtra nouatores huius tēporis eſſe, ac ſubinde confirmationis ſacramentum a diuina Traditione promanaſſe, quod nos intendimus. (Qualitas miniſtri confirmationis) De qualitate vero miniſtri huius ſacramenti, non eſt quod multum inquiratur, cum nō niſi magnis ſacerdotibus, hoc eſt, epiſcopis, qui apoſtolis ſucceſſerunt, diuina Traditio huius ſacramenti adminiſtrationem cōmiſerit, ſaltem quantum attinet ad manuū impoſitionem: Nam quantum ad vnguenti delibutionē, non videtur quin a presbyteris poſſit cōfici. (Dionyſ.) Dionyſius enim cap. v. cœleſtis hierarchiæ, affirmat presbyteros perficere regenerationem cum ſacratiſſimo vnguento, per cuius delibutionem Clemēs dixit, cum de hac materia loqueretur, Chriſtianum perfici, & habere locum inter perfectos. Adde quod eiuſdem rationis videtur eſſe hæc illinitio, cum ea quæ fit a presbyteris in baptiſmo, quæ in locum illius epiſcopalis vnctionis quæ ab epiſcopis fiebat, videtur ſubrogata, fortaſſis propter periculum: & cōſequenter dicendum videretur ſubſtantiam huius ſacramenti potiſſimum in impoſitione manuum epiſcopi conſiſtere, vt Diuus Vrbanus dixit. & hoc modo cōciliari poſſent Decreta moderna cum antiquis ſuper qualitate miniſtri: ſed hic nihil diffinio. Illud tamē certum eſt, impoſitionem manuum ſolis epiſcopis cōuenire, & id quidem citra vllam cōtrouerſiam: vt ex Actis etiā apoſtolorū capite octauo conſtat. Et (Damaſus) diuus Damaſus in epiſtola de chorepiſcopis recte deducit. Quod ſi aliquando ſacerdotibus minoribus conceſſum eſt huiuſmodi miniſterium, ex priuilegio particulari Chriſti, forte collatum eſt, vt Ananiæ

diſci-

diſcipulo, vel ex permiſſione, aut ſi mauis ex errore accidere potuit. Atque hæc ſunt quæ de confirmatione, diuina Traditio & vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus nobis reſeruauit.

TERTIA CONSIDERATIO.

De Traditione auricularis confeſſionis, & pœnitentialis ſatisfactionis.

NVnc vt de confeſſione agamus ipſa rei ſeries, & ordo nos vocat. Videbimus autem quid in ea introduxerit ſancta et diuina Traditio. Quamuis enim auricularis hæc ſingularium delictorum confeſſio in lege veteri fuerit adumbrata, Leuitici tertio, quarto, & quinto capite, & per prædicationem præcurſoris Chriſti inter partes pœnitentiæ commendata, dicitur enim Marci primo de illis, quos ad parandam viam Domini conuertebat Ioannes Baptiſta, quod vniuerſi baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata ſua. & tempore apoſtolorum etiam vſitata, vt decimo nono capite Actuum apoſtolorum ſcribitur, quod multi credentium veniebant ad apoſtolos, confitētes & annunciantes actus ſuos. & tandem ab Ieſu Chriſto redemptore videatur eſſe inſtituta, vt patet ex illo Ioannis loco, cap. xx. Accipite ſpiritum ſanctū, & quorū remiſeritis peccata remittuntur eis, quæ autem retinueritis, retenta ſunt: cuius quidem poteſtatis executio, quantum ad retentionem peccatorum ſaltem, ſine particulari cognitione criminum exerceri nequaquam poteſt, vnde ſatis aperte colligitur ex neceſſitate vſus clauiū, neceſſitas etiam huius confeſſionis vocalis, vt Auguſtinus optime arguit: Nam eo ipſo quod iudex aliquis legittime ſuper aliquos conſtituitur, tenētur illi, quibus præficitur, ſi cauſas habēt coram eo ventilare, non in genere ſolum, vt Lutherani male prætendunt (nam hoc modo nec ſententia nec medicina ſacerdotis debite applicari poſſet) ſed in particulari. Tamen nuda & clara huius ſacramentalis inſtituti ratio, quantum ad ſubſtantiam & circumſtantias eius, diuina Traditione ſolum conſtat: quam ex Petri apoſtolorum principis mente ſanctus martyr Clemens, aſſiduus eius auditor, hoc modo Eccleſiæ promulgauit, prima epiſtola ordinationis ſuæ: Si forte alicuius cor, vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex ijs, quæ ſuperius cōmemorauimus (recenſuerat autem fere omnia genera peccatorum) latenter irrepſerit, non erubeſcat qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc, huic qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Domini, & conſilium ſalubre curetur: quo poſſit integra fide, & operibus, pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ prēmia peruenire. hactenus ille. Hanc Traditionem ſi cum præcedenti

Leuit. 3. 4. & 5.

Marci 1

Acto. 19

Ioan. 20

Auguſt.

Clemen.

Traditio confeſſionis vocalis

dicto Chriſti de clauibus contuleris, inuenies ſacerdotibus duplex officium in hac ſecreta confeſſione diuinitus cõtributum, iudicis videlicet, & medici. Abſoluere enim & retinere, iuriſdictionis actiones ſunt, quas illis tribuit Chriſtus: medici vero munus ſancta hæc illis confert Traditionis promulgatio. quam ne putes eſſe mere humanam, aut ab hoc ſolum ſancto adinuentam, aduerte quid poſtmodũ hic vir ſanctiſſimus quibuſdam interpoſitis, magiſtri ſui doctrinam referens, dicat: Quotidiana, inquit, illius (ſcilicet Petri) prædicatio inter cætera diuina mandata hæc erat: Bonorum operũ inter cætera ſemina ſunt, quantũ vnuſquiſq; ſapit & poteſt totis intimi cordis viſceribus Deum diligere, & proximum velut ſeipſum, & cætera. Et paucis interpoſitis, ſubiungit: Chriſtum ſequi, & nihil eius amori præponere, cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, mox ad Chriſtum allidere, et ſacerdotibus Domini manifeſtare. Vbi duo vides clariſſime expreſſa: alterum, inſtitutum de confeſſione vocali eſſe diuinum, alterum vero, non ſolum crimina, aut exterius facta, ſed & internas cogitationes ſacerdotibus neceſſe eſſe confiteri. Quatuor ergo habes in hoc ſacroſancto inſtituto ex diuinitus data Traditione: Primum auricularem confeſſionem inſtitutum eſſe non humanitus excogitatum, ſed diuinitus. Secundum, quod fieri debeat de internis etiam cogitatibus. Tertium, quod proprio debeat fieri ſacerdoti, cui confitentis animæ cura fuerit deſtinata. Quartum, quod per huiuſmodi exercitium anima debite confitentis ſalubriter curatur, & vitæ æternæ pręmia adipiſcitur.

Confeſſio vocalis diuinum mãdatum

Oſtendit quoq; Traditionem hanc mere diuinam eſſe totius decurrentis Eccleſiæ a Chriſto vſq; in præſentem diem generalis conſenſus, quæ ipſiſſima ſpiritus ſancti vox eſt, vt ſcripta fere omnium eccleſiaſticorum ſcriptorum luce clarius demonſtrant, in quibus ſalubritas et neceſſitas huius Traditionis magnopere, nec ſemel commendatur.

Primo Dionyſius ad Demophilum veterem morem citat, quo ſolebant peccatotes ad pedes ſacerdotis ſe proſternere, peccata confitentes, et peccatorum remedia quęrentes. Hęc ſunt eius ad pręfatum Demophilum reprehenſoria verba: Tu vero, vt tuæ literę indicant, procidentẽ ſacerdoti impium atq; peccatorem, neſcio quo pacto contra diſciplinæ ordinem aſtans, calce abieciſti ac repuliſti, cum ille quidem verecunde (quod oportuit) fateretur ſe ad peccatorum remedia quęrenda veniſſe. En iam tibi in primi ſcriptoris apoſtolici teſtimonio, qualiter per confeſſionem delictorum, peccatores ad genua ſacerdotis prouoluti, remedia cum verecundia quęrebant.

Dionyſ. Epiſt. 6

Irenęus lib. 1. cap. ix. et lib. iij. cap. iiij. Exomologeſis, id eſt, confeſſionis aperte meminit. Nã de vxore Marci pſeudo apoſtoli a peccatis et peſtilentibus erroribus ſui mariti conuerſa, dicit, quod omne tempus in ex-

Irenęus

omolo

omologeſi conſummauerit: et de Cerdone hæretico affirmat, quod ſub Hyginio, qui fuit poſt Petrum in Romana ſede nonus, exomologeſin fecerit.

Fabianus martyr & Eccleſiæ pontifex in ij. epiſtola ad Orientales affirmat, quod hi qui peccatis maculati ſunt, & in barathrum delapſi, niſi ſacerdotali autoritate ſanentur, in gremio Eccleſię eſſe non poſſunt. Pontianus itidem 1. epiſtola de ſacerdotibus ſubleuandis, expreſſe aſſerit per eos peccata nobis donari, & peccatores Deo recõciliari. Item Eutichianus tractans illud Ioannis, Quorum remiſeritis peccata, dicit: quod niſi peccatores reconciliati ſint per ſatisfactionem ſacerdotum, ianua illis cœleſtis clauditur. Fabia. Pontian. Eutich.

Tertullianus non in vno loco ſuæ doctrinæ huius ſancti inſtituti etiam meminit, maxime lib. de pœnitentia, cuius verba licet prolixa ſint, tamen, quia nouatores iſtos de confeſſione & ſatisfactione contra apoſtolicam Traditionem docentes, plane damnant, non grauabimur recitare: Tantum (inquit) releuat confeſſio delictum, quãtum diſſimulatio exaggerat. Confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio, cõtumaciæ. Huius igitur pœnitentiæ ſecundæ quanto in arcto negocium eſt, tanto operoſior probatio: vt non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiã actu adminiſtretur. Is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur: non quidem vt ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaqꝫ exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, de ipſo quoqꝫ habitu atqꝫ victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animũ mœroribus deijcere, illa quæ peccauit, triſti tractatione mutare: cęterum, paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet ſed animæ cauſa: plerumqꝫ vero ieiunijs preces alere, ingemiſcere, lachrymari dies noctesqꝫ ad D. Deum tuum: presbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. Hæc omnia exomologeſis, vt pœnitentiam cõmendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipſa pronuncians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat. Quum igitur prouoluit hominẽ, magis releuat: quum ſqualidum facit, magis mundatũ reddit: cũ accuſat, excuſat: quum cõdemnat, abſoluit. Hic accuſationẽ propriæ conſcientię excuſationẽ et ſalutẽ dicit operari, et ꝑ pœnitentialẽ ſatisfactionẽ pœnitẽtis animã dicit releuari, et ſubiungit: In quantũ nõ peperceris tibi, in tantũ tibi Deus, crede, parcet. Quod vero de cõfeſſione vocali, quæ fit ſacerdoti, et nõ de ea quæ ſoli Deo fit Tertullianus loquatur, verba quę ſequuntur aperte indicant: Pleroſque Tertull.

 inquit,

inquit,hoc opus vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo,pudoris magis memores quam ſalutis: velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conſcientiã medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. Ecce ſalutem dicit per publicationem peccatorum procurari: contra vero ſilentium eorum lethale eſſe. Et paulo poſt:Ergo cum te(inquit)ad fratrum genua protendis,Chriſtum contrectas,Chriſtum exoras,ſi quid humanæ noxiæ ſubduxerimus, proinde & Deum cælabimus. Vides vt facit presbyteros Chriſti vicarios in actu confeſſionis,ita vt qui eos per humilem confeſſionem adit,Chriſtum videatur adiiſſe,ipſumq́ꝫ contrectaſſe: & quicquid ipſos cælauerit in confeſſione, Chriſto quoqꝫ ſit occultatum. Poſt multa vero,quę de confeſſione vocali author prefatus docuit,hoc modo concludit: Igitur quum ſcias aduerſus gehennam poſt primæ illa intinctionis dominicæ monumenta, eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia,quur ſalutem tuam deſeris? quur ceſſas aggredi quod ſcias mederi tibi? Ac ſi dicat nulla ratiõe eſſe ceſſandum. Hæc ille peruetuſtus autor,qui diſcipulos apoſtolorum vidit & audiuit, de confeſſione vocali,quam ad genua ſacerdotum prouoluti faciebant fideles: pariter & de ſatisfactione pœnitẽtiali docebat ſui temporis Eccleſiam:vbi neqꝫ per ſomnium perterrefactarum conſcientiarum ſermo fit, tantum abeſt,vt terrores conſcientiæ ab iſtis nouatoribus introducti, pars integralis Chriſtianæ pœnitentiæ reputata fuerit apud antiquam et apoſtolicam Eccleſiam. Sed neqꝫ fidei etiam meminit Tertullianus, ſicut neqꝫ poſteriores ſancti doctores, quæ altera pars pœnitentiæ ab iſtis aſſignatur:non quod putet non requiri eam ad veniam:nam quomodo aliquis ad Deum conuerti poteſt ſine fide,& fiducia miſericordiæ eius? (Omnis enim actionis Chriſtianæ,quæ ad ſalutem ordinatur, præcipua baſis & fundamentum fides eſt) ſed quod ſpecialis & integralis pars non ſit pœnitentiæ:aliud enim eſt aliquid prærequiri ad alicuius rei conſtitutionẽ, aliud eſſe partem ſubſtantialem aut integralem illius rei conſtitutæ. Calor enim requiritur ad conſtitutionem compoſiti animati, non eſt tamẽ ſubſtantialis aut integralis pars eius: pugnat enim, quod accidens ſit huiuſmodi pars ſubſtantiæ. Sed iſti non nouerunt diſtinguere, neqꝫ ea de quibus affirmant recte iudicare. Quare prophanæ iſtæ vocum nouitates iuxta conſiliũ Pauli,cum ſuis autoribus euitandæ ſunt. Quid ergo docuit Tertullianus pro reconciliatione impetranda? Nempe quod poſteriores, et quod nunc etiam docet Eccleſia, puta mœrores animi, ſaccos,cineres,gemitus,afflictiones,orationes, confeſſionem, & ad genua ſacerdotum prouolutionem, qui loco Dei relaxent peccata, conſolentur conſcientias, & recta conſilia ſubminiſtrent. Hæc ſunt quæ delent peccata, & promerentur veniam apud Deum,non fides ſola, & ficti

Tertull.

illi

illi terrores:id quod magis ac magis,antea in eodem libro ipſemet declarauit,de eadem pœnitentia,& exomologeſi loquens,his verbis: Orare oportet impenſius & rogare,diem luctu tranſigere,vigilijs ac fletibus noctes ducere,tempus oratione,lachrymoſis lamentationibus occupare: ſtrato ſolo,adhærere cineri,in cilicio volutari & ſordibus,poſt indumētum Chriſti perditū,nullum nouum velle veſtitum, poſt diaboli cibū, malle ieiunium:iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus a morte animæ liberantur. Hic nihil habent quod dicant damnatores operum & pœnalium ſatisfactionum:nam aperta voce diffinit autor iſte ante mille & trecentos annos huiuſmodi operibus quod Deū promeremur, conſcientia releuatur, & peccata remittuntur. Nec in hoc derogatur Chriſti gloriæ, aut obſcuratur iuſtitia & meritum eius:libenter enim fatetur Eccleſia, Ieſu Chriſti gratia& merito inexhauſto donatum eſſe nobis ius ad regnum cœlorum,et quod corpori ſuo adglutinemur,et filij Dei ſimus,&vocemur, inſuper quod hæc fructuoſa opera in ipſo confortati faciamus & excogitemus,& non a liter,neque alio modo Deo grata eſſe dicimus. Nunc redeamus ad Tertullianum,& ad propoſitū vnde digreſſi ſumus, qui haud obſcure ſanctę Exomologeſi tribuit multa, quæ noſtræ deſeruiūt Traditioni. Primū faſſus eſt,quod remiſſio peccatorꝫ cōſequitur ipſam confeſſionē,id quod intelligi debet,ſi aliæ partes pœnitentiæ adſint. Secundum,quod eſt neceſſarium genibus ſacerdotū aduolui,ex qua aduolutione magna alleuatio animæ ſubſequitur. Tertiū,quod nō debet eſſe ſola huiuſmodi aduolutio,ſed cū cognitione & cōfeſſione reatuū. Quartum,quod hæc confeſſio fieri debet ſpeciatim & ſingulariter,alias quomodo ſacerdos in hac ſacroſancta actione munus ſubit iudicis ſententiā dicentis,et fidelis prouolutus vt reus haberi poteſt? Vbi etiā idem autor a facientibus Exomologeſin exigit, vt non ſolum facti,ſed volūtatis delicta,quæ in latebris occuluntur,pandant:Non ſimus(inquit) ſicut illi, qui morbū in verecundioribus habēt partibus, & ob erubeſcentiā male pereunt, vt non pateſiant medico vulnera. Hęc ille. Nil reliquū manet, quod affirmare poſſit Tertullianus de noſtro ſacroſancto tradito: vbi vides mētis peccata etiam occultiſſima deberi cōfiteri ſacerdotibus,tanquā ſpiritualibus medicis. Vnde iterum emergit,ꝙ ſtulte locutus ſit Luther,in eo,quod docet non eſſe habendam rationē de ſacerdote, qualis ſit,ſit doctus,ſit indoctus,malus,bonus,ſerio ne,an ioco abſoluat:nil ſit tibi curę(inqt)abſolutus es. Si enim medicū debet agere ſacerdos,vt hi omnes doctores docēt,quid dici poteſt ſtultius,aut imaginari ſcurrilius, quam quod nihil de qualitate & intentione eius, qui animam debet curare, attendere debeat infirmus,& quod maiorem diligentiam velit adhiberi furioſus iſte in curādo equo vel aſino, quā in medicāda anima per

per Christi ſanguinem redempta. Prætereo nunc huius Pſeudopropheꝫ tæ antilogias, ipſis Cymmeriјs tenebris obſcuriores, in eo quod dicit de
Cõfuſio Lutheri peccatis, quæ debent confiteri. Nam in tractatu quem ædidit de ratioꝫ ne confitendi capite nono, damnat ipſe apoſtata & priuatus homuncio, canonem, Omnis vtriuſq; ſexus, a tota Eccleſia æditum: quia dicit conꝫ fitenda eſſe peccata omnia. nec vult intelligi ipſum canonem de mortaꝫ libus, ſed criminalibus, quæ dicit ſolum deberi confiteri. Et alibi in ſuis aſſertionibus concluſione ſeptima, ſui iam oblitus, dicit: Nulli prorſus remittit Deus culpam, quin ſimul ſubјciat eum in omnibus humiliatũ ſacerdoti ſuo. Vbi loquitur iam de culpa generaliter ſumpta. Rurſus mortale peccatũ diſtinguit a criminali, contra doctrinam ſanctorum: cũ nullum ſit mortale peccatum, quod non ſit accuſatione dignum apud Deum, aut apud homines, ac ſubinde criminale. Item nunquã non inꝫ culcat iſte, quod omnia peccata noſtra ſint mortalia, & quod oppoſitum exiſtimare ſit omnium mortaliũ mortaliſſimum, verbis propriјs eius vtor. Vnde iterum ſequitur quod omnia peccata ſunt confitenda. Sed quid ego horas iam male colloco cum hoc damnato, qui poſt tot ſceleꝫ ra patrata, & tunicam Chriſti diuiſam, hæreſeſq; complurimas ab eo renouatas, & diſſeminatas, impœnitens iam (ſic enim a fide dignis acceꝫ pi) ad orcum abiuit, quin potius ad ſanctos Patres illi infenſiſſimos me confero.

Cyprianus huic Tertulliano fere coæuus, noſtræ huic ſanctæ Tradiꝫ tioni ſubſcribit in ſexcentis ſuæ doctrinæ locis. eligã mihi tres vel quaꝫ tuor illuſtriores: Primus eſt in ſermone quinto de lapſis, vbi cõmemoꝫ rat hic ſanctus pater, quomodo ſuo tempore confitebãtur occulta pecꝫ cata ſacerdotibus іј qui metu cõterriti, mente ſaltem ſuccubuerant, vt Chriſtum negarent: Quamuis (inquit) nullo ſacrificіј (ſcilicet idolorũ) aut libelli facinore conſtricti, quia tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomoꝫ logeſin conſciẽtiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medeꝫ lam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non irridetur. Ex quo loco duo maniſeſte cõſtant: alterum, quod tempore Cypriani confeſſio fiebat ſacerdotibus de occultis peccatis: alꝫ terum, quod etiam fiebat de minutis & paruis, quibus omnibus ſalutaꝫ ris medela per confeſſionẽ et ſatisfactionem exquirebatur. Eſt alius loꝫ cus in eodem libro, vbi ſatisfactionem confeſſionemq; Deo gratam eſſe affirmat, et per vtramq; a ſacerdotibus peccata remitti aſſerit: Confiteꝫ antur (inquit) ſinguli, quæſo fratres, delictum ſuum, dum adhuc delinꝫ quunt et in ſeculo ſunt, dum admitti confeſſio eorum poteſt, dum ſatisꝫ factio et remiſſio per ſacerdotes facta Deo grata eſt. Conuertamur ad Dominum mente tota, et pœnitentiam criminis dolore exprimentes, Dei miſeriꝫ

miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternat, illi mœſtitia ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat: ad dominum toto corde redeamus, iram & offenſam eius ieiunijs, fletibus, planctibus, ſicut ipſe admonet, placemus. En Cyprianus iterum peccata remitti per ſacerdotes affirmat, & placari Deum bonis & pœnalibus operibus aperte docet, prout alij oẽs ſancti. Conqueritur etiã in hoc eodem ſermone Cyprianus de quibuſdã lapſis, qui ante pœnitentiam & confeſſionẽ ſacris ſe ingerebant, in quos tanquam in grauium criminũ perpetratores excandeſcit: Ante expiata (inquit) delicta, ante Exomologeſin factã criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, pacem putant eſſe, & verbis fallacibus venditãt. Non eſt pax illa, ſed bellum, nec Eccleſię iungitur, qui euangelio ſeparatur. Ecce dicit euangelio ſeparatos eſſe, qui ante abſolutionem ſacerdotis & confeſſionẽ putabant ſe in Eccleſia recipi, et quod conſcientia purgatur per manum ſacerdotis in Exomologeſi. vnde clare colligitur ex huius patris ſenſu, q̃d ſecreta hæc cõfeſſio non eſt tãtum pro diſciplina Eccleſiæ adinuenta, ſed vt purgentur conſcientiæ, in foro Dei inſtituta, ac proinde non tantũ vtilis, ſed neceſſaria fidelibus eſt. Sine qua veram pœnitentiã poſſe fieri manifeſtiori voce diuus iſte negat, ſcribẽs ad Clerũ de modo agendi pœnitentiã. Is (inqt) verã pœnitentiã agit, q Dei & ſacerdotis præceptis obediens, obſequijs ſuis & operibus iuſtis dñm promeretur. vbi in eo q̃d dicit ſacerdotis pręceptis pœnitentẽ obtemperare debere, neceſſario pręſupponit, quod delictorꝫ Exomologeſis pręceſſerit. Nam præcepta ſacerdotis in pœnitentia, nõ niſi circa ſatisfactionem ab eo cognitorũ delictorum verſari ſolẽt. Datur inſuper in hoc loco intelligi, ſacerdotem nõ tantũ medicũ agere in hoc iudicio, ſed & iudicem. Epiſtola etiam decimã octaua, lib. iij. ſuæ diœceſis ſacerdotibus cõmittit, vt in eius abſentia infirmorum fidelium Exomologeſin recipiant delictorum: Vt manu (inquit) eis impoſita pœnitentiæ, ad dominum poſſint venire cum pace.

Magnus Athanaſius in quodam ſermone ſuper illa verba: Euntes in vicum, qui contra vos eſt: poteſtatem abſoluendi ſacerdotibus etiam tribuit, tanquam a Chriſto illis collatam. vbi loquens cum peccatore, ſic eum docet: Si nondum ſoluta ſunt tibi vincula, trade te ipſum diſcipulis Ieſu: adſunt enim, qui ſoluunt vos, poteſtate hac a Seruatore accepta, quoniam quicquid ligaueritis ſuper terram &c. *Athanaſ.*

Origenes ſuper Pſalmo trigeſimo ſeptimo, & ſecundo capite Leuitici, & libro tertio περὶ ἀρχῶν huius Traditiõis illuſtria dat teſtimonia. Hęc ſunt teſtimonia. Hæc ſunt verba eius in vno ex pręfatis locis: Si quis nõ prius animæ ſuæ vitia, & peccatorum ſuorum agnouerit mala, & propria oris confeſſione prodiderit, is purgari et abſolui non poterit. *Origen.*

D. Hieronymus in regula, quam ſcripſit ad Euſtochium virginem, *Hieron.*

capite

capite ix, poſtquam dicit, vt peccata quæ obuiant præceptis publicis externe cōmiſſa, virgines ipſi ſubiectæ in publicum prodant, ait: Nec tamē propter hoc ſecreta cogitamina cordium prodant, nec occulta peccata, quæ ſolis ſacerdotibus debentur confiteri.

Baſilius

Baſilius Magnus in regula monachorū cap. xxi. ſpecialius etiam ſanctum hoc exercitium tanquam neceſſarium cōmendat his verbis: Neceſſarium videtur his quibus diſpēſatio myſteriorum Dei cōmiſſa eſt, confitenda eſſe peccata. & adducit ad hoc ſcripturæ autoritatis, Matth. iij. & Actuum xix. & xv. Et cap. xcviij. tam ſatisfactionis quam confeſſionis meminit: Confeſſio (inquit) peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis, vel paſſio, quæ medico mōſtranda eſt, ita confeſſio peccatorum fieri debet, apud eos tantummodo, qui curare hæc præualent & emendare.

Epiphanius. Chryſo. libro de ſacerdotio

Epiphanius contra Catharros de confeſſione vocali mentionem etiā facit. Chryſoſtomus, & ſi Traditionum aduerſarij putent eum hac in re ad ſe pertinere, ſacerdotalem tamen poteſtatem ſuper conſcientias fidelium magnopere extollit, eiq; ſubijci deberi Chriſtianos affirmat: Sicut pater (inquit) tradidit poteſtatem filio iudicium faciendi, ſic filius ſacerdotibus. Et paulo inferius: Inſania manifeſta eſt, deſpicere tantum principatum, ſine quo neq; ſalutis neq; promiſſorum bonorum cōpotes fieri poſſumus. Hi ſunt enim, qui non tantum regenerant nos in baptiſmo, ſed peccata poſt baptiſmū remittunt, & veteris teſtamenti ſacerdotes longe exuperant, qui tantum poteſtatem habebant probandi a lepra purgatos. At noſtris ſacerdotibus (inquit) non corporis lepram, verum animæ ſordes non modo probare, ſed & purgare prorſus conceſſum eſt. Hæc ille. Qui non ſolum ſacerdotes Dei conſcientiarum iudices facit, et neceſſitatem, vt eis ſubijciantur, fidelibus imponit, quod aduerſarij negant, ſed efficacem circa remiſſionem criminum ſacerdotū poteſtatem prædicat, contra Petrum Lombardum, & nonnullos alios, qui oſtenſiuam ſanati iam per contritionem peccatoris facultatem iſtā duntaxat vnico Hieronymi verbo non ſatis digeſto cōtra omnes ſanctos, & ſcripturam cōfirmare auſi ſunt. Non enim dixit Chriſtus apoſtolis: Quorum oſtenderitis peccata remiſſa, remittuntur eis, (quomodo enim cōſtaret ſibi ſententia, quod remiſſa eſſent, & remittenda) ſed quorum remiſeritis, remittuntur: verum voluerunt iſti nihilo pluris facere in hac parte ſacerdotiū euangelicum quā Iudaicū. Rurſus idem autor ſuper Matth. Homilia xlij. aperte ſentit, quod confeſſio & diſcuſſio conſcienciæ occultorum peccatorum debeat fieri ſicut modo fit. Et in homilia prima ſuper Geneſin de confeſſione, quæ in quadrageſima ſolet fieri, expreſſam facit mentionem. Illud autem quod aduerſarij obijciunt huic ſanctæ Traditioni ex Chryſoſtomo, in cōmentarijs epiſtolæ ad He-

in Petrum Lombardum

breos

bræos, & homilia ij. pſalmo l. Vbi dicit, non dico tibi vt te prodas in publicũ, neq; vt te apud alios accuſes etc. de pœnitentia publica, qua antiquitus vtebatur Eccleſia, & de qua mentionem agit diuus Gregorius in regeſto, epiſtola iij. intelligit. vbi dicit, quod antiquitus veluti in theatro ſub teſtimonio Eccleſiæ delicta pandebantur, quam iuſtis de cauſis Leo ille magnus abrogauit, epiſtola lxxvij. ad vniuerſos epiſcopos Campaniæ, & epiſtola lvij. vbi reuocat conſuetudinem, qua cogebantur petentes pœnitentiam ad exhibendũ libellum publice recitandum: cum reatus conſcientiarum (inquit) ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Tunc enim (inquit) plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur cõſcientia confitentis. Vbi vides duplicem modum confeſſionis et pœnitentiæ expreſſum, publicæ, & ſecretæ. Erat etiam alius tertius modus pœnitendi ſolenniter, qui ſemel in vita tantum permittebatur, de quo mentio eſt apud Ambroſium libro ſecundo de pœnitẽtia, et Auguſtinum in epiſtola ad Macedoniũ, et apud Dionyſiũ lib. cœleſtis hierarchiæ cap. iij. et in hiſtoria tripartita. De vna ergo iſtarum publica ſeu ſolenni, dictũ Chryſoſtomi debet intelligi: nam pluraliter dicit, quod non ſe prodant apud alios, et nõ ſingulariter, ſicut in hac confeſſione auriculari ſolet fieri. Hoc etiam modo intelligẽdus eſt venerabilis Beda, cum crimina quædam contagioſa videtur dicere ſolum in confeſſione eſſe deducenda. Item et Nectarij Cõſtantinopolitani Archiepiſcopi factum, quo viſus eſt reſcindere confeſſionis ſtatutum, prout habetur in hiſtoria tripartita, intelligi debet. Qui enim fieri potuit, vt epiſcopus priuatus reſcindere vellet et poſſet diuinã de ſecreta confeſſione Traditionẽ? At quod ipſe non reſciderit, aut ſi reſcidit, recepta nõ fuerit in ſua Eccleſia reſciſſio hæc temeraria, ſatis clare conſtat ex verbis Chryſoſtomi dudum a nobis allegatis, qui Nectario huic ſine aliquo intermedio in cathedra epiſcopali ſucceſſit: et ex Eccleſiæ Græcæ vſu. Nam et vſq; in præſens confitentur Græci peccata ſua ſacerdotibus, vt a multis illorum accepi. Nazianzenus quoq; ille magnus, in concione quam coram Imperatore habuit de Ieremiæ dictis, iudicialem hanc ſpiritualem poteſtatem ſuper peccatorum conſcientijs, et abſolutionem, quam in hac confeſſione ſecreta ſacerdotes pœnitentibus conferunt, bis inculcat. Inquit enim, comparans poteſtatem principum temporalium, poteſtati ſacerdotum: Lex Chriſti ſacerdotali vos noſtræq; ſubijcit poteſtati atq; iuſtis tribunalibus, dedit etiã et nobis poteſtatem et principatum multo perfectiorem veſtris. Ac paucis interpoſitis, cum ipſo Imperatore loquens: Scio (inquit) te ouem eſſe gregis mei, a Chriſto mihi ſummo paſtore adnumeratam, & a ſpiritu ſancto ſignatam, ſcio te inter ſacra altaria cum veneratione ſubijci ſacerdotibus &c. Quid eſt obſecro Laicos ſacerdotum tribu-

Pœnitentia publ. Gregor.

Triplex pœnitẽtia

Beda

Nazianzenus.

K nalibus

nalibus ſubditos ex lege diuina eſſe, et manibus eorum ſubijci, niſi peccatores debere ad ſacerdotum genua prouolui, & poſt humilem ſuorũ reatum confeſſionem, ſententiam & conſilia ſalubria expectare. Nec in hac parte ſolum hic beatus temeritatem Lutheranorum damnat, ſed etiam in his, quæ attinent ad pœnitentialem ſatisfactionem. Sic enim docet ſermone de Epiphania, dum varia recenſet baptiſmata: Scio (inquit) & quintum baptiſmum lachrymarum, quod laborioſius tranſigitur. Sicut ille qui lauat per ſingulas noctes lectum ſuum, & cuius computruerunt & exeſæ ſunt cicatrices, & ſicut lugens & contriſtatus ingreditur, qui imitatur conuerſionem Manaſſe, & humilitatem Niniuitarum, per quam miſericordiam conſecuti ſunt, qui imitatur orationem publicam eius in templo ſtantis a longe, & percutientis pectus ſuum, qui nec auſus eſt leuare ad cœlos oculos ſuos, & iuſtificatus deſcendit. Et infra de eodem loquens: Hoc baptiſma vltimum omniũ eſt, quod per pœnitentiam tranſigitur et cruciatum, qui longis ſupplicijs toleratur, & depaſcitur ſicut fœnum materiam corporalem, & conſumit oratione, quod facturæ Dei intulit & inuexit humana malitia. Et adducens illum locum Eſaiæ, Lauamini, mundi eſtote, ſubiungit: Vides

Eſaiæ (inquit) aliud genus baptiſmi, quod nos latuerat, & pene a nobis fuerat intermiſſum? Ecce quomodo eleemoſynæ delent peccata: ecce quomodo rubrum & coccinum, in quo macula et crimina ſanguinis indicantur, per miſericordias & opera bona et recta iudicia, per auxilium viduarũ, per defenſionem orphanorum, ad purgationem lanæ vertitur, et ad candorem niuis mutatur. Hæc ille. Et tractatu de calamitate grandinis, primas reconciliationis partes tribuit contritioni hic ſanctus præſul: Ego (inquit) de clementia Dei polliceor, quia ſtatim, vt nos conuerſi fuerimus, etiam ipſe Deus iraſci deſinet. Quid ergo pernitioſi iſti euangeliſtæ de ſola fide cum terroribus conſcientiæ ſibi blandiuntur, contra ſcripturam et ſanctos Patres, dicentes populo ſuo: Pax, pax, et non eſt pax. Nos (vt dixi) non reijcimus a pœnitentia fidẽ, ſed neq; ſcholaſtici doctores, quibus iſti multa mendacia imponunt, fidem a negocio pœ-

S. Thomas nitentiæ excludunt, vti apud S. Thomam ſcholaſticorum vexillarium videre eſt, prima ſecundę, quæſtione ccxiij. articulo iiij. Et adhuc apud

Gabriel Gabrielem, vt Neotericos non ſileã, in ſuo quarto, diſtin. xiiij. q. ij. inter ſeptem animę actiões ſiue motus, quos dicit ad pœnitentiam requiſitos, (neſcio an ſuperfluo aſſignatos) fidei motionẽ pręſupponit. Sed dicimus eam ſolum non ſufficere, nec tam propinquam cauſam eſſe remiſſionis peccatorum, ſicut contritio: quam quidem fidem, & ſi nonnulli in tractatibus quos de pœnitentia ædiderunt, prætereunt, cauſa eſt quod eam prærequiri in omni exercitio Chriſtiano perſuaſum omnibus eſſe putant, & ab omnibus Chriſtianis haberi, vtpote quæ fundamentum

eſt &

eſt & baſis Chriſtianæ ſalutis, nam & viam ipſam peccatori oſtendit, qua ad Deum eundum eſt, & intentionem dirigit & rectam facit, & per eam ſpes veniæ in peccatoribus adgeneratur & excitatur. Sed obijciet carnalis aliqs, cui hæc doctrina ſanctorum minime placet, Quid tu operibus noſtris iuſtitiam Chriſtianam tribuis? cum gratia Dei gratis iuſtificemur. Apoſtolus enim docet, quod nemo ex operibus iuſtificatur, & quod ex fide & non ex operibus contingit nobis iuſtitia, ne quis de ſuis viribus glorietur. Cui viciſſim & nos poſſemus maiori ratione obijcere, quid tu fidei ſolitarie tribuis, quod Chriſtus Lucæ vij. dilectioni & deuotioni mentis illius peccatricis ad ſe conuerſæ contulit, dixit enim: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum. Et alibi: Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis, & quod ſi dimiſerimus nos offenſiones a proximis nobis illatas, remittet & nobis pater cœleſtis peccata, quibus nos ipſum offendimus, & in diſtricto illo iudicio propter bona opera collocaturũ ſe promittit ad dexterã ſuã bonos operarios. Idipſum inculcat, cum alibi dicit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui faciunt voluntatem patris mei. & Iacobus quoq; fidem inutilẽ & mortuã dicit ſine operibus. Quid quod Paulus ipſe ad Romanos dicit, operatores legis iuſtificari apud Deũ, & quod reddet Deus vnicuiq; ſecundum opera ſua? Et alibi: Si habuero fidem, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habeã, nihil ſum. Et ad Galatas v. quæ ſit hæc fides, quæ in Chriſto Ieſu valeat, cui ipſe tantum tribuit, ipſe explicat, nempe fides cum charitate coniuncta, quæ per charitatem operatur. Hi loci & multi alij qui obijci poſſunt, carnali Lutheranorũ philoſophię illuſtriores ſunt, quã qui calumniã et diſtortã gloſam patiantur. Recte diſtinguit Auguſtinus in hac cõtrouerſia, quæ videtur eſſe inter verba Pauli et Iacobi de fide et operibus, quod hic loquatur de operibus, quæ fidem conſequuntur quando eã magnificat, et tantopere cõmendat. Ille vero de operibus, quæ ipſam fidem pręcedũt, et ſolis viribus naturalibus per timorem legis ab hominibus operantur, nam de huiuſmodi operibus erat Paulo quæſtio, cum illa verba dicebat, non de ijs, quæ per fidem adiutorio ſpiritus ſancti operantur, de quorum numero eſt contritio, et alia bona opera, quibus Deum promeremur. Quod vero attinet ad gratuitã iuſtificationem quę videtur excludere opera, eo quod ſi gratis ſaluamur vt Apoſtolus arguit, iam non ex operibus. Hoc modo ſoluit Auguſtinus octaua ad Dulcitiũ quęſtione. Hæc (inquit) quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe ſolui, niſi intelligamus et ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere. Ipſius enim ſumus figmentum, in Chriſto Ieſu creati in operibus bonis, quæ pręparauit, vt in illis ambulemus. Hæc Auguſtinus. Itaq; fatemur nos gratis atq; gratiſſime iuſtificari, quia gloriam,

Lucæ 7

1. Cor. 13

Auguſt. in pſal. 31

Auguſt.

gratiam, contritionem, & ipſa opera quibus ad Deum tendimus, effectus ſunt gratiæ et miſericordiæ Dei, qua nobiſcum, alias ad bonum inceptis, cooperatur Deus, quibus promiſit vitam æternam. Nec ob id q̃d dicimus per contritionem hominem Deo reconciliari, fiduciam collocamus in operibus, ſed in eo, qui per filium ſuũ hæc noſtra qualiacunq; obſequia ad tantam dignitatẽ euexit, vt ineſtimabiles diuitias eius promeremur. Illi enim ſpes noſtra ſolum incumbit, qui coronat nos in miſericordia & miſerationibus. qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et alibi: Reuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Et per Pſalmographum: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Hoc docet Eccleſia, & viri in ea recte inſtituti. Sed patere, obſecro lector optime, vt tibi huius Nazianzeni beati locus alius recitetur, in tractatu quẽ ſcripſit de ſe ipſo ab agro reuerſo contentus, in quo dogma iſtud pernicioſum de ſola fide plane damnat: Sicut (inquit) ſine fide nullum opus bonum acceptabile dicitur, ita fides ſine operibus mortua dicitur. Nemo vos ſeducat inanibus verbis eorum qui facile indulgent pro vno ſolo vt credatur, fidei mercedes peſſimas præparantes. Ego autem apoſtolici vobis verbi autoritatem denuncio, ex operibus veſtris oſtendite fidem veſtram, et ex vbertate fructũs, quod bona terra ſitis et optima, proteſtemini. Videte ſi eſt in vobis manipulus, habens in ſe virtutem faciendi farinã, ſi eſt in vobis fructus dominicis horreis dignus, ſi quis in vobis affert centeſimũ fructum, aut ſi quis ſexageſimum, certe ad vltimum vel triceſimum. Tam dilucide his verbis nouos iſtos euangeliſtas perſequitur hic vir apoſtolicus, vt ipſos videatur habere præſentes. Nam vt a ſola fide mercedem adimit, ita etiam cum fructuoſis operibus eam optime coniungit, et opera bona dignos fructus per quos reponi debent Chriſtiani in horreis Domini, vocat, nec nõ varios gradus meritorum in eis collocat, puta centeſimum, ſexageſimum, et triceſimũm. Quæ omnia aduerſarij non admittunt, contra omnem conſenſum ſanctorum, quos in præſentia non perſequor: quia multi hanc materiam exacte ac copioſe tractarunt. Scio dicent aduerſarij, nos cum fide coniungimus bonam vitam, quam dicimus eſſe a fide inſeparabilem, quod et Auguſtinus videtur ſentire, ſed falſi ſunt etiam in hoc. Auguſtinus enim libro de fide et operibus, capite viceſimo ſecundò, non cum fide ſola, ſed cum fide et charitate bonam vitam inſeparabiliter coniungit. dicit enim: Inſeparabilis eſt bona vita a fide quæ per dilectionem operatur, imo vere ea ipſa eſt bona vita. Quod ſi nexum alium vellent fingere inter fidem et charitatẽ neceſſarium, meminerint falſi Auguſtiniani iſti Auguſtinum in epiſtola ad Sixtum dixiſſe, quod fides impetret iuſtificationem, quam fidẽ ſi quis dixerit eſſe dæmoniorum, ipſo eſt dæmonio deterior. Ante ergo quam

Marginalia: Zachar. — Nazianzenus. — Cap. 22

quam iuſtificationem impetrat peccator, quis non videt eam eſſe ſine charitate? quare ex capite ſuo fingũt hanc cõnexionem aduerſarij. Hieronymus cap. xviij. confeſſionẽ hanc occultorum peccatorꝶ particularẽ ſacerdotibus fiendã, multis in locis ſuæ doctrinæ, tanquã quid neceſſarium cõmendat, maxime ſuper xviij. capite Eccle: Si quẽ (inquit) diabolus occulte momorderit, & nullo cõſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit q percuſſus eſt, & nõ egerit pœnitentiã, nec vulnus ſuũ fratri ſuo et magiſtro voluerit confiteri, magiſter ei prodeſſe non poterit. Si enim erubeſcit ægrotus vulnus medico cõfiteri, quod ignorat medicina, non curat. Idem ſuper Eſaiã cap. xiiij. & ſuper Matth. cap. xvi. dicit, presbyterum alligare vel ſoluere pro officio ſuo, cũ peccatorum varietatẽ audierit & nouerit, qui ligandus ſit & qui ſoluendus. Hieron.

Auguſtinus ſuper Pſalmo lxvi. efficaciã huius ſancti inſtituti manifeſtis etiã verbis declarat, cum pœnitentẽ peccatorẽ alloquitur: Eſto (inquit) triſtis antequã confitearis, confeſſus exulta, iam ſaluaberis: non cõfitentis conſcientia ſaniẽ collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat, adhibet medicus fomenta verborũ, tu agnoſce medici manum, cõfitere, exeat in confeſſione, & defluat omnis ſanies. Tractatu etiã xxij. ſuper Ioannem, cõparat confitentẽ Lazaro a mortuis reſurgenti, et iudicem ſacerdotẽ apoſtolis Lazarũ ſoluentibus. Autor etiã quiſquis ille fuit (nam ſatis vetuſtus eſt) qui lib. de viſitatione infirmorꝶ cap. iiij. et de vera & falſa pœnitentia cõpoſuit, aperte dicit neceſſarium eſſe peccatori, vt quærat ſacerdotem ſcientẽ ligare et ſoluere, cuius iudicio et poteſtati ſe totum ſubijciat, iuſſiſq; pareat: nec dico (inquit) vt ſoli Deo, ſed ſacerdoti vicario Dei confitearis, aperi ei penetralium tuorũ abditiſſima latibula, et conſcientiarum verecundarũ penitiora reuela repagula, alioqui ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis ſuper terram, ergo ſine cauſa datæ ſunt claues Eccleſię Dei. Fruſtramus euangelium, fruſtramus verba Chriſti. hæc ibi. Vides vt confirmat hic autor confeſſionis neceſſitatem, ex neceſſitate poteſtatis, et vſus clauiũ a Chriſto Eccleſiæ collatis, prout nos in principio docebamus. Auguſt.

Eſt percelebris etiam de hac ſancta Traditione memoria in Concilio Ancirano, ante mille ducentos quadraginta annos celebrato, quæ ſic habet: Qui auguria, vel auſpicia, ſiue ſomnia, vel diuinationes ſecundũ morem gentilium obſeruant, aut in domo ſua huiuſmodi hominum genus introducũt ad exquirenda aliqua, aut domos luſtrant, cõfeſſi quinquennio pœnitentiã agant. Adeſt tibi ſenſus Eccleſiæ orientis circa venerabile confeſſionis ſacramentũ. Omitto hic Leonem, magnum Gregorium, qui pœnam impoſuit ſacerdotibus reuelantibus confeſſionẽ, Iſidorum, Bernardum, Haymonem, Hugonem, Richardũ, D. Thomam, et recentiores alios, inſuper determinationem Lateranenſis con- Synodus Ancirana

cilij,quæ præfixit tempus auricularem confeſſionem faciendi, in qua ex toto orbe Patres de hac re & alijs vnanimiter conuenere. Quæ conſulto feci,ne mendaciter dicant huius ſanctæ Traditiõis impugnatores, quod a trecentis et quadringentis annis hæc inſtitutio introducta eſt, aut a tempore Nouati hæretici,prout ſallit vnus ex autoribus hiſtoriç tripartitæ:de induſtria enim eos ſolos recenſuimus,qui in tota illa ætate martyrum floruerunt, teſtes doctrinæ apoſtolicæ oculatos, & omni exceptione maiores.

Latrant contra hoc inſtitutum carnales homines,dicẽtes: durum iugum eſſe reuelare ſecreta cordis homini, qui poſſet alijs ſi volet,propalare,vt exempla nõnulla docent. Conſideratio hæc a ſenſu carnis procedit,& in ſuperbia videtur habere radices. Quid enim durũ debet videri & factu difficile, quod ſæpiſſime diſſoluti homines corã multis ſpõte ſua,& quaſi ridentes ſolent facere:crimina em̃ quæ perpetrantur, & plerumq; ea quç non cogitauerunt,effutiunt. Et cordati etiam homines cũ amicis ſuis,mala quæ cõminiſcuntur, paſſim cõmunicant. Quanto ſecurius in ſinũ probi,& prudentis ſacerdotis, qui locum Dei tenet, ſecreta noſtri pectoris refundemus? A quo ſalubre conſilium, vulnerum medicinam,animç conſolationẽ expectamus,Dei voluntatem in hoc complentes, qui voluit nos ſuis ſacerdotibus ſubijci, quos firma coniectura credimus famam noſtrã et conſcientiam minime traducturos:certe qui hoc non cõſiderat ſatis carnaliter ſapit. Nemo offendatur propter quorundam malorũ ſacerdotum exempla:noſter abuſus diuinum inſtitutũ non poteſt vitiare:nihil tam ſanctum & laudabile,quo non poſſit abuti humana malitia. Eligat vnuſquiſq; ſacerdotem ſapientem et probum, et ſi ad manum nõ habet, quçrat diligenter:faciat in cura animæ,quod ſolet facere in diſpendio ſalutis corporis,quam vt in priſtinum ſtatũ reſtituat ſemper eligit doctiorem et prudentiorẽ medicũ, et tunc nihil vereatur, ſuccurret procul dubio Deus neceſſitati ſuæ. Nec moueatur ob id quod aduerſarij huic doctrinæ apoſtolicæ imponunt.ſ. doceri in ea miſeram conſcientiarũ carnificinã, vt nimis anxie numerentur omnia peccata, et confiteantur: nam tantum docent confitenda eſſe mortalia vel dubia, quæ cũ moderata et prudenti diligentia et examine conſcientiæ poſſint memoriæ ſuccurrere. Quod ſi iſtud adhuc graue alicui videtur, attendat ad fructus, quos parit hoc ſanctum exercitium, et continuo ſibi leue videbitur: hoc enim diſciplina Chriſtiana retinetur, conſcientia ſanatur, anima per conſilium et vocẽ ſacerdotis conſolatur atq; curatur. Inſuper euitantur multa peccata, prodeſt magnopere Reipublicæ: nam peccata quæ magiſtratus propter defectũ teſtimonij, et accuſatoris vlciſci non poteſt, hoc ſecreto cõfeſſionis iudicio, vbi omnia mortalia ſaltem manifeſtari debent, reformantur, et ad æquitatis regulã compo-

componuntur. quid plura? Neceſſaria et vtilis eſt,et a Deo præcepta hæc confeſſio,et via ſecurior ad reconciliandum nos Deo,et idcirco minime omittenda,imo eo magis amplectenda, quo plus carnalis ſenſus ab ea refugit.

Sed quia cum Traditione confeſſionis in locis ſanctorum,quos adduximus,coniungimus contritionem & ſatisfactionẽ,qua perfecte Deo reconciliantur peccatores per bona & pœnalia opera. Videamus paucis quid ex Petri doctrina,quæ vere Traditio Dei eſt, in hac parte mutuauerit præfatus Clemens,diligentiſſimus Traditionũ cuſtos. Is ergo beatus in ſecunda epiſtola referens ea,quæ a Petro acceperat,de conuerſione,ſic docet: Tam iuuenes quam ſenes de cõuerſione & pœnitentia valde eſſe ſollicitos oportet, ſatiſq; agere vt hæc q̃ digne agant. Et infra poſtq̃ exercitium omnium virtutũ ad pœnitentiam recte agendam cõmendauit,ſubiungit: Orare oportet ſemper Deum ex toto corde, & ab ipſo petere quę decet,ipſi gratias agere,verã pœnitudinem agere prę teritorum geſtorũ,aliquantulum etiam ſi poſſibile eſt per miſericordias pauperum iuuare pœnitentiã: per hæc enim facilius venia datur,et indulgenti citius indulgebitur. & concludit poſt multa: Itaq; feſtinet omnis ætas,omnis ſexus,omniſq; conditio ad pœnitentiam, vt vitã conſequatur æternam. Vides quomodo Petrus per bona opera pœnitentiã adiuuari dicit,Deumq; illis pœnitentes promereri affirmat? De ira & vindicta,quam peccator pœnitens aduerſus ſeipſum debet excitare, modo a Deo ipſo non velit ſeuere puniri, ſic docet epiſtola iiij. idem Sanctus: Feſtinandũ (inquit) eſt ad ſalutem,ne forte mors repẽtina præueniat,ob idq; acrius innitendũ eſt,vt male conſuetudinis collecta vitia reſecẽtur: quod non aliter facere poteſtis,niſi vt iraſcamini aduerſus voſmetipſos, pro his quæ inutiliter & turpiter feciſtis: hęc enim eſt vtilis & neceſſaria iracundia,vt vnuſquiſq; in quibus errauit,et perperã geſſit,indignetur, & ſemetipſum accuſet, ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidã,qui velut agro ſterili immiſſus, conſumptis, et excoctis peſſimæ voluntatis radicibus,bono ſeminis verbo fœcundiorem cordis præparet glebam. hęc Clemens. Quam clarũ & facilem, verum & ſimplicem nobis propoſuit iuſtificationis ordinem, qui per pœnitentiã fit hic beatus. Nam primo præſuppoſuit fidem,& id quidem recte: ſine illa enim neq; iraſci peccatis poſſumus,nec ad ſalutẽ nobis paratam feſtinare, vt ipſe dixit,neq; ad Deum oculos ſubleuare,aut a peccatis expergiſci. Deinde iracundiam,quæ ex recognitione miſeriæ peccatorũ procedit, poſuit,quæ illorum deteſtationem neceſſario includit: deteſtamur enim id aduerſus q̃d ex odio iraſcimur. Tertio amorẽ,quẽ ignẽ diuinũ appellat, & in nobis,& per nos Deus facit,q forma cõtritionis eſt,et per quẽ apta redditur anima ad recipiendũ Deũ ipſum in ſe. & tertio et vltimo loco

Clemen.

 aſſignat.

aſſignat. Vtinam tam plano pede doceretur nunc iuſtificationis ordo, et non tam rixoſis concertationibus confunderetur Chriſtiana iuſtitia: certe ceſſarent tot diſſidia, tot librorum quinterniones, qui in immenſum quotidie excuduntur, neſcio an cum ſola papyri & atramenti iactura. Hunc ordinem fere docent omnes ſancti, & pręſentis Eccleſię doctores, quanquã diuerſitate opinionum, circa ea quę hanc materiam cõcernunt, multum confuſionis inductum ſit: a quo longo interuallo hi(qui ſe dicunt Proteſtantes) diſtant. Nemo enim ſanctorum Patrum, partes ſubſtantiales pœnitentię fidem & terrores aſſignauit, nec ſanctus iſte horum meminit. Sed nec Ioannes apoſtolus, cum angelos, id eſt, Aſianos illos epiſcopos a peccatis vellet retrahere & Deo reconciliare, aliquam mentionem facit de fide, ſed operum & reſipiſcentię: Habeo (inquit) angelo Epheſi aduerſum te pauca, quod charitatẽ tuam primã reliquiſti. Memor eſto itaq; vnde excideris, & age pœnitentiã, et prima opera fac. Nec cum iuuenem diſſolutum illum, de quo ſit mentio in hiſtoria tripartita ad pœnitentiam idem Ioannes recipit, dicit illi vt fidem habeat, ſed per lachrymas vberrimas, & cordis gemitus, quos in eo vidit, dexteram illi dedit, & in Eccleſia recepit, purgandum vlterius per crebra ieiunia, & orationes fidelium. & merito id quidem. Nam alterum, puta fides, actio intellectus eſt, &, vt aduerſariorum verbis vtar, aſſenſio eſt euangelij, quam exiſtentes in peccato haberi poſſe, etiam cũ aliquo motu inefficaci exeundi a peccatis, vt ipſa experientia quotidiana nos docet, ne dicant aduerſarij illam fidem eſſe dæmoniorũ: alterum vero, ſcilicet terrores, mera paſſio eſt, & ab extrinſeco ſæpenumero prouenit. Hę vero, qui poſſunt eſſe propinquæ & ſubſtantiales partes pœnitentiæ, cũ pœnitentia ut ipſa ratio vocabuli indicat, reſipiſcentiam a peccatis & conuerſionem ad Deum præ ſe ferat, quæ ad voluntatis propoſitum attinent? Adde quod non ſemper iuſtificatio a terroribus incipit, ſed multoties a cõſideratione miſericordiæ Dei. Cõtritio autem nunquã a iuſtificatione, quæ per pœnitẽtiam fit, ſeparatur. Dicit enim Chryſoſtomus Homilia ix. ſuper Geneſin, loquens de reconciliatione peccatoris: Qui continuo (inquit) ſuam tenuitatem agnoſcit, & eminentẽ diuinam miſericordiam cogitat, quomodo res noſtras gubernans et diſpenſans, nõ attendat quid mereantũr noſtra peccata, ſed ad ſuam bonitatem: is nimirum mentem humiliat, cor conterit, omnem faſtum atq; arrogantiã caſtigat, diſcit modeſte agere, contemnere pręſentis vitę gloriam, cogitare futuræ vitæ immortalis bona: qui ſic afficitũr animo, verum & acceptum ſacrificium Deo offert, ſicut Propheta dicit, ſacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus, &c. Cordatos enim famulos non tam pœnæ ſupplicia emendant, vt beneficia, & agnoſcere quod non iuxta delictorũ merita pœnam luerint. De contritione autẽ ſic docet idem Chryſoſtomus homilia

Apocal. 2

Chryſo.

homilia viceſima ſecunda. Tanta eſt Dei erga nos miſericordia, quod vbi viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, & ferventi nos deſiderio ad ſe accedere, non retardat neque differt, ſed acccelerat, ſuamque ſolitam liberationem exhibens, dicit: Adhuc loquente te ecce adſum. Hactenus de Traditione confeſſionis et ſuis annexis dixiſſe ſufficiat, reliquis conſulto prætermiſſis, tanquam ad hoc noſtrum inſtitutum minime pertinentibus.

QVARTA CONSIDERATIO.
De Ordine.

NOta ſunt ſatis ſcripturæ loca, quibus ſacratus Ordo ſacerdotalis & epiſcopalis fulcitur a ſanctis et catholicis doctoribus. Nam Matthæi decimo octauo, poteſtatem quam hodie exercent epiſcopi apoſtolorum ſucceſſores, puta excõmunicandi, & indignos, ac rebelles a dignis Chriſtianis ſeparandi, ſimul cum obedientia quæ illis debetur, apoſtolis & ſucceſſoribus ſuis Chriſtus Dominus noſter contulit. Dicit enim poſtquam de fraterna correctione diſſeruit: Si Eccleſiam non audierit (rebellis & contumax) ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. & conuerſus ad apoſtolos, quibus id muneris delegabat, adiecit: Amen dico vobis, quęcunque alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis in terra, erunt ſoluta et in cœlo. Adeſt tibi poteſtas, quæ iuriſdictionis dicitur, ſanctis apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus delegata, quãtum ad formam Eccleſiæ externam. Sic enim interpretati ſunt iſtum locum omnes ſancti, maxime Cyprianus, et Alexander primus, apoſtolorum diſcipulus, epiſtola ſecunda ad Aegyptios, et Fabianus martyr epiſtola ad omnes Chriſtianos, Athanaſius in quodam ſermone ſuper illud: Euntes in caſtellum, epiſcoporum poteſtatem, & obedientiam cõmendantes. Quantum vero ad munus doctrinæ, et poteſtatem iuriſdictionis erga conſcientias fidelium attinet, eam Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam illis etiam contulit, Ioannis vigeſimo: Pax vobis (inquiens apoſtolis poſt reſurrectionem ſuam) ſicut miſit me pater, ego mitto vos, & hoc dicens inſufflauit, et dixit: Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorum autem retinueritis, retenta ſunt. Quæ verba tractans diuus Ambroſius lib. 1. de pœnitentia, nõ ſolum diuinam hanc poteſtatẽ apoſtolis collatã, affirmat, ſed et ſucceſſoribus eorum Domini ſacerdotibus: Munus (inquit) ſpiritus ſancti, officium ſacerdotis eſt, ius autem in ſoluendis ligandiſque criminibus ſpiritus ſancti eſt. Et capite primo: Quid (inquit) intereſt, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius remittendorum peccatorum omnium ſacerdotes ſibi vendicent? vnum in vtroque miniſterium eſt, vt in

Math 18
[illegible]
Ioann. 20
Ambroſ.

lauacro

lauacro operatur myſteriorum gratia, ita in pœnitentia nomen Dei. & lib. ij. cap. v. ſacerdotes cōparat apoſtolis, qui Domino iubente Lazarū ſuſcitatum ſoluerunt. Hæc de poteſtate apoſtolis & ſucceſſoribus collata ſuper corpore Chriſti myſtico, quod eſt Eccleſia. De poteſtate vero ſuper vero Chriſti corpore, puta conficiendi ſacram Euchariſtiā, eſt locus apud Lucam cap. xxij. Hoc facite (inquit Chriſtus in cœna poſtquā ſacramentū inſtituit) in meam cōmemorationem, quibus imperatiuis verbis actio cōmunicandi & conſecrandi apoſtolis præcipitur: illud eñ iubet facere quod apoſtoli ipſum Chriſtū videbant facere: ille autem nō ſolum corpus ſuum diſtribuit, ſed & conſecrauit. Cum igitur actio iſta, quæ omnis excedit creaturæ potentiam, fieri non poſſit ſine facultate & poteſtate collata diuinitus, conſequitur faciendi ſubinde poteſtatem & conſecrandi, & corpus Chriſti diſtribuendi illis fuiſſe conceſſam, maxime cum actiones iſtæ non ſemel aut bis, aut pro tempore apoſtolorum, ſed vſq; ad finem ſeculi, vt Paulus 1. Cor. xi. exponit, in Eccleſia exerceri debuiſſent: quod ſatis confirmat poteſtatem iſtam, ſicut neq; alias, ad ſolos apoſtolos pertinere, ſed ad ſucceſſores eorum vſq; ad finem ſeculi. Quod vero ſucceſſio hæc per Dei voluntatem in Eccleſia ſit introducta, multi etiam loci ſcripturę demonſtrant. In actis enim apoſtolorum

Lucæ 22

Acto. 20. cap. xx. manifeſto id indicat Paulus, cum a presbyteris Epheſiorum diſcederet, quibus hoc modo præfatur: Attendite vobis & vniuerſo gregi veſtro, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendā Eccleſiā Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Idem ad Titum. 1. Huius rei gratia

Titum 1

reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego conſtitui tibi. quibus verbis ſatis notum euadit, non ſolum apoſtolos ſucceſſoribus ſuis poteſtates has delegaſſe, (nā

Ambroſ. et hunc a Paulo fuiſſe creatum epiſcopū Ambroſius affirmat) ſed et ordinatos ab eis rurſus alios loco ſui cum ſimilibus prærogatiuis poſſe

Auguſt. ſubrogare. Vnde diuus Auguſtinus verſans illud, Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, illuſtre de hac ſucceſſione dicit teſtimoniū, loquens cum Eccleſia: Patres miſſi ſunt apoſtoli, pro apoſtolis filij nati ſunt tibi, cōſtituti epiſcopi. hodie eñ epiſcopi vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia patres ipſos appellat, ipſa illos genuit, ipſa illos inſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putes deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi ſuccreuit paternitas, pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. hæc ille. Et beatus Cyprianus epiſtola iij. ad Cornelium

Cypria. perditam et ſacrilegam mentem putat eam, quæ epiſcopum aut ſacerdotem ſine iudicio et voluntate Dei ordinari autumat: id quod factis ſuis apoſtoli omnes demonſtrarunt. Nam nemo eorum fuit qui inſtinctu et volūtate Dei ſucceſſorem aut ſucceſſores non ſubrogaret, quos in tan-

tum

tum Eccleſia venerata eſt, ac ſi apoſtolos ipſos præſentes habuiſſet. Eſt etiam ad hoc ratio, quæ ſatis vrget: nam cum Chriſtus Deus noſter nõ ignoraret Eccleſiam ſuam per omnes ætates ſeculi propagandam, & ad vtilitatẽ eius (vt Apoſtolus dicit, om̃ia propter vos, ſiue Paulus, ſiue Cephas) poteſtates has ordinaſſet & inſtituiſſet, ex conſequenti etiam volebat cum ipſa iugi Eccleſiæ ſucceſſione poteſtates has ſpirituales continuo a patribus in filios, a filijs in nepotes deriuari, & continuo tenore fluere: ex neceſſitate enim finis ſumi debet neceſſitas eorum, quæ ſunt & ordinantur ad finem.

Quo autem modo poteſtas iſta cõmunicaretur, & conferretur, ſcriptura ſacra non omnino ſilet. Legimus enim Paulum, & Barnabam per impoſitionem manuũ diuina diſpoſitione ad apoſtolatus munus fuiſſe ab apoſtolis delegatos, ieiunio, & orationibus præcedentibus: vnde puto aliam laudabilem Traditionẽ in Eccleſia ortum habuiſſe, vt non niſi præcedẽti ieiunio, Ordines in ea ab epiſcopis celebrentur. Item Apoſtolus 1. Timoth. iiij. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuũ τοῦ πρεσβυτερίου, id eſt, presbyterij, quaſi diceret, & quæ data eſt tibi per manuum impoſitionẽ, qua dari ſolet ordo presbyterij. Et ij. Timoth. 1. Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuũ mearum. & .1. Timoth. v. inhibet Timotheo Apoſtolus, ne ſine delectu ordinet presbyteros, ſed matura deliberatione. Manus (inquit) nemini cito impoſueris, nec cõmunicaueris peccatis alienis. Hic autem ritus impoſitionis manuũ vnde proceſſerit, videtur mihi cum Tertulliano ipſum ex antiqua lege defluxiſſe, quo prærogatiuas dignitatũ ſolebant poſteris ſuis impartiri vetuſti illi Patres. Nam Iacob patriarcha per impoſitionem manuũ nepotes ſuos Ephraim, & Manaſſem ad ius filiationis, & hæreditariæ ſucceſſionis aſcripſit. Et Moyſes ſanctiſſimus nõ aliter Ioſue filium Nun, loco ſui moriturus ſubrogat, quam imponendo ei manus, et per huiuſmodi impoſitionem, ſpiritũ ſanctum ad recte gubernandũ conferendo, dicitur enim Deuter. xxxiiij. Ioſue filius Nun repletus eſt ſpiritu ſancto, quia Moyſes poſuit ſuper eũ manus ſuas: vt videas non eſſe leuem ceremoniam hanc impoſitionem manuũ, quam Deus primitus introduxit, et filius eius gratiarum omniũ diſtributor, ratam eſſe in lege voluit: id quod Dionyſius ſignificat cap. v. eccleſiaſticæ Hierarchiæ. Quare non aſſentior ijs, qui dicunt non eſſe de ſubſtantia diaconatus, et preſbyteratus manuũ impoſitionẽ, ducti ſolummodo cuiuſdã decreti Gregorij noni autoritate, vbi dicitur quod ſi manuũ impoſitio omiſſa fuerit in ordinatione iſtorum graduũ, poſtea non iteretur ordinandi ritus. quia ſi bene aduertiſſent ad ea quę ſequuntur, aliter forte ſentirent: Præcipitur enim ibi, vt poſtea ſtatuto tẽpore, caute ſuppleatur huiuſmodi

defectus

Acto. 13

1. Tim. 4

2. Tim. 1

1. Tim. 5

Deute. 34

Dionyſ.

defectus manuum impoſitionis:quod non diceret niſi ad ſubſtantiam collati ordinis hic ritus pertineret. Etiam ex eadem ſcriptura conſtat tres eſſe gradus ordinis & poteſtatis eccleſiaſticę. Inuenimus enim Diaconos ab apoſtolis ordinatos, vt patet actuū vi. Presbyteros vero et epiſcopos, ab ipſo Chriſto redemptore noſtro: & poſtmodū diſpoſitione diuina ab ipſis apoſtolis ordinatos, vt longe lateq; deduximus. Aliquando autē vidimus, quod nomina presbyteri & epiſcopi ſe mutuo in ſcriptura confundunt, quod non parum negocij olim exhibuit diuo Hieronymo, adeo vt in cōmentarijs epiſtolæ ad Titum, & epiſtola ad Euagrium, viſus fuerit dicere, olim eundem fuiſſe epiſcopum & presbyterum, ſed propter ſchiſmata vitanda, vnus inter multos electus eſt, qui omnibus præficerentur, ne. ſ. vnuſquiſq; ad ſe ipſam traheret Eccleſiam, dicente alio ego ſum Pauli, alio vero, ego ſum Cephas: quod et Aerius etiam præſenſit, vt auctor eſt Epiphanius. Et quamuis crediderim confuſionem quam D. Hieronymus prætendit fuiſſe olim inter epiſcopum & presbyterum debere intelligi ſolum, quantum ad poteſtatē iuriſdictionis, & exterioris ſuperintendētiæ, eo q̄d ipſe epiſtola xxxv. ad Nepotianum clare dicit, hoc eſſe epiſcopum et presbyterū, quod Aaron & filij eius, et epiſtola ad Heliodorum, pontificem parentem aliorum graduum facit: tamen propter contentioſos, qui Hieronymum in ſuas partes conantur detorquere, etiam ſi ab illo eſſet aſſertum, minime verum puto, ſalua reuerentia quæ tanto viro debetur. Nam præter hoc quod ſanctis Traditionibus repugnat, vt videbimus, ſacrę etiam ſcripturę videtur aduerſari, in qua duos hos ordines ſacerdotum adumbratos legimus Chriſtus enim redemptor noſter poſt electos; duodecim apoſtolos, deſignaſſe etiam dicitur alios lxxij. diſcipulos, quos miſit binos ante faciem ſuam, quibus om̄ia eccleſiaſtica officia exercere minime licebat, niſi ex particulari Chriſti priuilegio, vt Ananiæ diſcipulo, qui Paulo manus impoſuit forte conceſſum eſt. Vnde in actis apoſtolorum Petrus & Ioannes inter apoſtolos primarij ad Samaritas mittūtur, vt per manus impoſitionem ipſorū, ſpiritum ſanctū reciperent recens a diſcipulis baptizati: id quod Philippus & alij Chriſti diſcipuli minime auſi ſunt attentare. Rurſus cum aliqui delegebātur ad diſcipulatus munus, a ſolis apoſtolis mittebantur per impoſitionem manuum ordinati: quod magnū indicium eſt, apoſtolos & diſcipulos Domini, ex Chriſti inſtituto non eſſe æqualis poteſtatis aut autoritatis.

[Margin: Hieron. — Epipha. — Luc. 10 — Acto. 8 — Cap. 6]

Habes ergo ex diuino ſcripto iure primo tres ordines principales, habes poteſtates his ordinibus annexas, habes ſucceſſionem & creationē iſtorum ordinum: & quomodo per apoſtolos fiebant, & non per magiſtratus ſeculares, vt temere faciunt Lutherani.

Habes etiam quodammodo adumbratam diſtinctionem ſacerdo-

talis

talis ordinis in duos ordines præcipuos, epiſcopij et presbyterij: nunc videamus quid hic ſuppleat & declaret diuina Traditio, & eccleſię Apoſtolicæ vnanimis aſſenſus.

Primo, hos duos ſacerdotij ordines a Domino fuiſſe diſtinctos in epiſcopos & ſacerdotes, Clemens beatiſſimus 1. ſua epiſtola clara voce prædicat, loquens de his, quæ Petrus illum docebat: Epiſcopos (inquit) vicem gerere apoſtolorum Dominum docuiſſe Petrus aiebat. Quod & D. Anterius affirmat in epiſt. ad epiſcopos Beticæ. Sanctus quoque Ignatius apoſtolorum diſcipulus epiſt. iij. ad Magneſianos, aſſignans rationē obedientiæ, quæ debetur epiſcopo, et quam ipſe vehementer cōmendauerat, ait: Quia epiſcopus non ab homine, ſed a Deo habet promotionē. Idipſum tamen D. Anacletus martyr, ſucceſſor huius in iij. ſua epiſtola expreſſius confirmat: Sacerdotū (inquit) fratres ordo bipartitus eſt, & ſicut Dominus illū inſtituit, a nullo debet perturbari. Et infra: Epiſcopi apoſtolorum locum tenent: Presbyteri aūt lxx. diſcipulorū. Et poſtquā dixit epiſcopos non debere præfici in caſtellis aut modicis ciuitatibus, Presbyteros vero in illis collocari debere, concludit. Amplius quam iſti duo ordines ſacerdotū, nec nobis a Deo collati ſunt, nec apoſtoli docuerunt. Ecce a Deo dicit eſſe inſtitutos atque diſtinctos hos duos ſacerdotij ordines. Poſt vero dicit, quod epiſcoporum vnus eſt ordo, quanquā inter eos ſit aliqua graduū differentia, vtputa primates & Archiepiſcopi: quorum conſtitutio & diuiſio, mera apoſtolica Traditio eſt, et non diuina. Hic clare conuincitur ſententiā illam, quæ diuo Hieronymo tribuitur, dominicæ Traditioni repugnare: Nam ſi diuina autoritate ordo ſacerdotū bipartitus eſt, ſcilicet in epiſcopos et presbyteros, & epiſcoporum omniū vnum eſſe ordinē fatetur, quamuis inter ipſos ſint gradus dignitatis, clare conſequitur ex dominica Traditione multo magis differre epiſcopum a presbytero, quam archiepiſcopū ab epiſcopo: ſed inter hos eſt huiuſmodi differentia gradus præeminentiæ, ergo inter illos eſt multo maior differentia, quæ non videtur qualis ſit niſi ordinis & diuinæ poteſtatis, quā habeat epiſcopus præ ſacerdote ſimplici. Adde q̄d iſtud olim, in quo videtur Hieronymus dicere, quod idē erat epiſcopus quod et presbyter, nuſquā fuit neque ſignabile eſt: nam tempore apoſtolorum diſtincti erant epiſcopi a presbyteris, vt patet per ea, quæ in regulis ipſorum, quas cōſtat ab apoſtolis Antiochiæ inſtitutas fuiſſe, vt iam iam videbimus, tradita legimus: vbi de epiſcopo, presbytero & diacono fit expreſſa mētio: & gradibus inferioribus ſæpiſſime inculcatur obedientia quæ epiſcopo debetur, maxime in canone xxx. & xxxiij. qui ſic ſtatuit: Si quis presbyter contemnens epiſcopum ſuum, ſeorſum collegerit, & altare aliud erexerit, deponitor. & Canon 1. modū ordinationis vtriuſque presbyteri .ſ. & epiſcopi præfigit. Item Petrus in epiſtola Cle-

Clemen.

Anterius
Ignatius

Anaclet.

Canones apoſtolorum.

Canon 1.

L mentis

Ignatius mentis diſtincta illis tribuit munera. D. Ignatius in prima epiſtola ad Tralianos,& epiſtola ad Heronem. Vbi igitur latet tempus iſtud, quod qui Traditioni huic aduerſantur, affirmant fuiſſe? certe quod nunquam fuit. mirum non eſt quod non compareat. Sanctus quoque martyr Vr-
Vrbanus banus peculiarem hanc epiſcopi poteſtatem non tantum ex electione, ſed diuina autoritate collatã illis eſſe dicit, epiſtola ad omnes Chriſtianos. Sedes (inquit) epiſcoporum in Eccleſijs ſpeculationem & poteſtatem iudicandi, ſoluendi, atque ligandi, ſibi a Domino datam docet. D.
Dionyſ. Dionyſius cap. v. loquens de ordine Pontificum, huic (dicit) præter ordines cæteros in ſui miniſterium diuina lex, officia ſacratiora tribuit. Amplius ſi epiſcopotũ ſtatus et dignitas eſſet ab hominibus duntaxat, poſſet etiã per homines tolli: quare in poteſtate ſubditorum eſſet ſuos paſtores a ſedibus proprijs remouere, ac ſubinde totum Eccleſiæ ſtatum et ordinem ſubuertere, vt qui modo eſſet epiſcopus, cras eſſet presbyter et diaconus: certe hæc cõcedere manifeſte eſt Chriſtum de improuidentia arguere, qui præſidentes & vicarios ſuos voluerit ex arbitrio minorum dependere, quod non modo periculoſum, verum & ſeditioſum eſt.

Pugnat etiam cum hac ſententia, alia de miſſione & creatione epiſco-
Clemens porum diuina Traditio, cuius meminit idem D. Clemens in prima ſua epiſtola, referens mandatum Petri: Epiſcopos (inquit) per ſingulas ciuitates quibus ille (.ſ. Petrus) nõ miſerat, doctos & prudentes iuxta Domini præceptionẽ nobis mittere præcepit. vbi vides in creatione & miſſione epiſcoporum duplex mandatũ, Chriſti videlicet & Petri: nõ ergo epiſcopalis dignitas ab hominibus ſolummodo dependet.

Sed & D. Damaſus ante mille centum annos epiſcopos diſtinguit
Damaſus a ſacerdotibus, non nomine ſolum et iuriſdictione, ſed poteſtate: cum in
Chorepiſcopi epiſtola ad epiſcopos Aphticæ, Chorepiſcopos, id eſt, villarum parrochos, qui ſolum presbyterij prærogatiua gaudebant, in ſimpliciũ ſacerdotum ordinẽ redigit, eo quod munia epiſcopo℞ ſibi arrogabant. Ipſi (inquit) Chorepiſcopi, idem ſunt, qui & presbyteri, qui ad formam et exemplũ inueniuntur prius inſtituti, ſed quia Deo gratiæ modo in miniſterium, ſicut in primitiua Eccleſia neceſſarij non ſunt, et illicita præſumunt, ideo ab omnibus epiſcopalibus ſunt remoti officijs. Obſerua hic lector obiter in hac D. Damaſi ſententia cauſam, cur fortaſſis in Pauli epiſtolis, & Actis apoſtolorum nomina epiſcopi & presbyteri inuicem confundantur: nam quia apoſtoli in vno loco non ſemper reſidebant, ſed in varias regiones gratia diſſeminandi euangelij migrabant, & penuria erat tunc hominum doctorum et ſpiritualium: aut ſi copia erat, non vacabat tamen apoſtolis tam exacte eos exquirere, multis in locis presbyteros relinquebant, quibus epiſcopij, id eſt, ſuperintendentiæ munus impartiebantur, propter Eccleſiæ neceſſitatem, aliqua

munia

munia epiſcopalia illis permittentes:a quibus puto profluxiſſe in eccleſia Chorepiſcoporum gradum: non quod illis ſimpliciter epiſcopalis dignitas conferretur: nec enim omnia in principio perfecte fieri poterãt in Eccleſia, ſed in multis ab imperfecto ad perfectum procedebant apoſtoli: ſicut Deus etiam ſolitus eſt in operibus naturæ procedere. Atq; hæc fuit cauſa, quod Apoſtolus Epheſios illos, quos prius vocauit presbyteros, poſtea appellauerit epiſcopos. Epiſcopi enim nomen, vt hoc loco docet Damaſus, non ſimplicis, ſed multiplicis ſignificationis eſt. Pergit tamen Damaſus eoſdem Chorepiſcopos, noſtra hac Traditione remouere: ſi presbyteri (inquit) volunt vocari, quid erunt? aut ſunt nihil aut aliquid? ſi nihil, vt cadant neceſſe eſt, non oportet vt ſacerdotali catalogo cenſeantur: ſi aliquid, cum epiſcopi non ſint, reſtat vt ſint preſbyteri: nam eorum ordo in diuinis literis autoritatem nõ habet: et poſtquam diſcurrit per ea munera, quæ Chorepiſcopis Traditione diuina erant denegata, & vice verſa epiſcopis conceſſa, ſubiungit: Solis apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus proprij officij eſt tradere ſpiritum ſanctum: nullus enim ex lxx. diſcipulis, quorum iſti in Eccleſia ſpeciem gerunt, legitur donum ſpiritus ſancti per manuum impoſitionem tradidiſſe. Et paulo poſt clarius hos ordines diſtinguens, ait: Non amplius quã duos ordines inter diſcipulos Domini eſſe cognouimus, id eſt, duodecim apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorũ: vnde iſte tertius .ſ. chorepiſcopatus proceſſerit ignoramus. quod enim Epiſcopi non ſint, patet, quia, vt bene noſtis, prohibitũ eſt a ſanctis Patribus, vt qui vel ab vno vel duobus ſunt ordinati epiſcopis, non nominentur epiſcopi: ſi nomen non habent, qualiter officium habebũt? quicquid enim de rebus ad epiſcopos pertinentibus egerint, neceſſe eſt irritum fiat: quia quod non habẽt, dare nequaquam poſſunt, præſertim cum nullus ex lxx. diſcipulis, quorũ iſti ſpeciem gerunt, aliquid de his quæ apoſtolis debebantur, legitur aſſumpſiſſe. Vides vt diuidit diuina Traditione epiſcopum a presbytero.

Epiſcopi nominis multiplicitas

Quæ vero officia ex poteſtate ſibi diuinitus collata exercere poſſit epiſcopus, quæ non poſſit ſimplex ſacerdos, ſancti Patres apoſtolorum diſcipuli, docent. D. Ignatius epiſtola ad Heronem, officia epiſcopi numerat his verbis: Epiſcopi (inquit) baptizant, prædicant, & Euchariſtiã conficiunt, & manus imponunt. ſed hic ſanctus, ſicut ſacerdotis officia coniungit cum epiſcopalibus, ita neq; epiſcopalia omnia numerat. Dionyſius capite v. libro eccleſiaſticæ Hierarchiæ, exactius rem tenet atque perſequitur, idq; ex diuina Traditione: Diuina (inquit) lex pontificalium ordinationũ ſanctimoniam, et diuini confectionem vnguenti, ſacramq; altaris conſecrationem reuerendiſſimorum Pontificum officijs atque virtutibus æterna ſorte diſtribuit. Ecce ex æterna lege dicit epiſcopis conuenire tres precipuas illas actiones. Sed intellige tu in vnguẽti

Ignatius

Dionyſ.

confectione ſacroſancta poteſtatem impoſitionis manuum,qua confir-mantur baptizati,debere includi: alia vero munera quæ Sylueſter,& Damaſus,& nonnulli alij patres epiſcopis tribuũt,vt eſt virginum cõ-ſecratio,Eccleſiarum dedicatio,pœnitentium publicorum recõciliatio, magis videntur apoſtolica inſtitutione introducta,quam a diuina Tra-ditione ſuborta. Et hæc eſt ratio quare in Decretis aliquorum ſanctorũ Patrum,confirmatio & ordinatio ſacerdotis irrita eſſe & vana,ſi ab alio quam ab epiſcopo attententur,dicitur:de alijs autem huiuſmodi rigo-
quam ab epiſcopo attententur,dicitur:de alijs autem huiuſmodi rigorẽ
non legi. Vnde clare iterum emergit aliquam eſſe in epiſcopo facultatẽ & poteſtatem,qua hæc efficere poteſt,quæ non eſt in ſacerdote ſimpli-
Ambroſ. ci. Nam Ambroſius in cõmentarijs epiſtolæ ad Titum,nephas eſſe du-cit,quod presbyter ordinet epiſcopum. Quia (inquit) nemo tribuit q̃d
1. Canõ apoſtolorum non accepit. & in 1. canone apoſtolorũ,presbyterũ ab epiſcopo ordinari præcipitᷣ:nec vnq̃ viſum eſt in Eccleſia,q̃d hoc munus impoſitionis ma-nuum alij quã epiſcopi obierint,q vere apoſtolis ſuccedunt. Ex quibus omnibus in ſtabilimentum huius epiſcopalis poteſtatis huiuſmodi con-ficio argumentũ: Quotieſcunq; aliqua actio adeo proprie et peculiariter alicui determinato agẽti cõpetit,quæ nec ſibi ſimilis,alijs videtur poſſe cõpetere,cõcedere neceſſe eſt,in illo eſſe aliquã vim,& facultatem,a qua actio illa proficiſcitᷣ,quę in alijs minime reperitᷣ,ſed ordinare ſacerdotes, & alios ordines creare in Eccleſia,quod munus vere hierarchicũ eſt, ſic eſt huic ſtatui & ordini annexum,vt nulli alij vnquã ſit cõmunicatum: ergo in hoc ſtatu eſt peculiaris aliqua vis et facultas, qua tantũ munus exerceri poſſit,et quæ ſtatũ hunc ordinẽ eſſe facit,et qua ſpecialiter nobi litatur. Diſcurſus iſte notus eſt,maior propoſitio fundamentũ eſt totius philoſophiæ,nã non ob aliud philoſophi veras naturas diſtinguũt,quã per differentiam actionũ et proprietatum,quæ in rebus naturalibus cõ-ſpiciuntᷣ:minor vero ex vſu totius eccleſiæ Apoſtolicę,et ſenſu ſanctorũ Patrum cõſtat, quare epiſcopatũ proprie ordinẽ eſſe probatum eſt. q̃d vero nõnulli arguũt,nitentes epiſcopatũ a vera ordinis ratiõe ſecludere, q̃a epiſcopus ea ratiõe qua epiſcopus eſt,nihil muneris exercet circa cor-pus Chriſti verũ,facile reijci poteſt, tum q̃a non eſt adeo firmum quod aſſumũt. ſ. poteſtatẽ ordinis in hoc cõſtare,q̃d poſſit aliq̃d exequi circa corpus Chriſti verũ,tum etiã, quia licet hoc eis gratis cõcedamus, ſatis erit,quod huius ordinis munus,& exercitium verſetur erga eos, qui ad conſecrandum Chriſti corpus ordinantur,creando, ordinando & perfi-ciendo eos, vt Dionyſius ait. Itaq; ſufficit quod eorum actio præci-pua ad corporis Chriſti conſecrationem, mediate ſaltem pertineat, & Hierarchiam in Eccleſia perficiant: id enim concedere oportet eos, qui Diaconatum proprie ordinem eſſe affirmant. Neque aliud

(puto)

(puto) ſibi vult illa manuum impoſitio apoſtolorum ſuper Paulum & Barnabam, qua ab apoſtolis tanta cũm ſolennitate ieiunij, & orationis iuſſu Dei miſſi ſunt, quam epiſcopalem quandã deſignationem & apoſtolatus illorum confirmationẽ: nam & ſi ipſe Deus interna vocatione & vnctione Paulum & Barnabã fecerit apoſtolos, voluit tamen vt hoc ſigno ſenſibili Eccleſiæ innoteſceret, quod in ipſis apoſtolis a Chriſto factitatum fuiſſe in die aſcenſionis, Diuus Auguſtinus autor eſt libro de quæſtionibus noui et veteris Teſtamenti. Dicit enim: Quod priuſquã Deus in cœlos aſcenderet imponens manũ apoſtolis, ordinauit eos epiſcopos. Cuius exemplũ ſecuti apoſtoli, Iacobum fratrẽ Domini (quãquam ſecundum multos hic fuerit ex numero duodenario) Hieroſolymorum Eccleſiæ, per impoſitionem manuũ cum ſacro vnctionis ritu epiſcopum ordinauerunt et præfecerunt: quem modum Dionyſius capite dudum a nobis citato, cum ritũ ordinationis horum trium graduũ explicat, deſcribit. Modus ordinationis epiſcopi ſic habet: Pręſul ubi ſacrandus offertur, vtroq; genu poſito ante altare, ſuper caput habet a Deo tradita euangelia, manumq; Pontificis, atq; hoc modo a cõſecrante Pontifice caſtiſſimis imprecationibus conſumatur. Ecce mentionem facit hic vir apoſtolicus de conſecratione, et manuũ impoſitione. De ſacerdotis vero ordinatione ſic dicit: Sacerdos coram ſancto altari ponens vtrumq; genu, in capite habens Pontificis dexteram, et in hunc modũ a ſacrante præſule ſanctiſſimis inuocationibus conſecratur. vbi vides manuũ impoſitionem ſimul cum conſecratione: quanquã aliter, et alio modo in ordine ſacerdotali. In Diaconi autẽ ordinatione nulla fit mentio de conſecratione, ſed duntaxat de manuum impoſitione. Integram tamen ordinationem epiſcopi ſanctus martyr Anacletus ex Traditione diuina ab apoſtolis obſeruata nobis expoſuit: Ordinationes (inquit) epiſcoporum autoritate apoſtolica ab omnibus, qui in eadem fuerunt prouincia, epiſcopis ſunt celebrandæ, qui ſimul conuenientes, ſcrutiniũ diligenter agant, ieiuniumq; cũ omnibus celebrent precibus, et manus cũ ſanctis euangelijs (quæ prædicaturi ſunt) imponentes, Dominica die hora tertia orantes, ſacraq; vnctione, exẽplo prophetarum et regũ capita eorũ more apoſtolorũ et Moyſi vngant: quia om̃is ſanctificatio cõſtat in ſpiritu ſancto, cuius virtus inuiſibilis ſancto chriſmate eſt permixta, & hoc ritu ſolennem celebrent ordinationẽ: quod ſi ſimul omnes conuenire non potuerint, aſſenſum tamẽ ſuis precibus prębeant, & ab ipſa ordinatione animo non deſint. Et ſubiungit, Ne putarent fideles hæc e proprio capite comminiſci.

Auguſt. Dionyſ. Anaclet. Ritus ordinationis epiſcopi.

Porro Hieroſolymitanus primus epiſcopus, beatus Iacobus, qui iuſtus dicebatur, & ſecundum carnem Domini nuncupatus eſt frater, a Petro, Iacobo, & Ioanne apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet

dantes formam, vt non minus quam a tribus epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus epiſcopus ordinetur: reliqui vero ſacerdotes a proprio ordinentur epiſcopo, ita vt ciues & alij ſacerdotes aſſenſum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent: ſimiliter & Diaconi ordinentur. Hæc ille. Ex huius Traditionis euulgatione habet integram ordinationem epiſcopi nobis deſcriptam: quam ideo apoſtolicam nuncupauit, ideo apoſtolorum exemplo, et decretoria ipſorum manifeſtatione Eccleſiæ innotuit, vt habet primus Canon apoſtolorum. Cæterum a Domino epiſcopalem hanc ordinationem fuiſſe inſtitutam

Anicet. ſancti fatentur, maxime Anicetus martyr, qui vix quinquaginta annis fuit iſto Anacleto poſterior, in ea quam ad Eccleſias Galliç miſit epiſtola: vbi cum de ordinatione Iacobi mentionem facit, hoc modo docet: Si non minus quam a tribus apoſtolis tantus vir fuit ordinatus, patet profecto formam ordinandi inſtituente Domino apoſtolos tradidiſſe. Diuus quoque Cyprianus de ordinatione epiſcopi loquens, a Traditiõe

Cypria. Epiſt. 4 Domini eam profluxiſſe declarat his verbis: Diligenter de Traditione diuina & apoſtolica obſeruatione ſeruandum, quod apud nos quoque & fere per omnes prouincias tenetur, vt ad ordinationes rite celebrãdas ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quique conueniant, & epiſcopus deligatur plebe præſente. Et

Epiſt. 6 epiſtola ſexta dicit, quod qui nõ ordinatur ſecundum euangelicam & apoſtolicam Traditionem, nõ eſt capax qui Eccleſiam teneat aut regat. Epiſtola quoq; iiij. & viij. ad Cornelium, & libro iiij. epiſtola ij. idipſum confirmans. Et ſi de ritu vnctionis nihil meminerit Cyprianus, ſat eſt tamen, quod Clemens & Anacletus apoſtolorum diſcipuli de illa fecerint mentionem, alter in iij. epiſtola, alter vero in ſecunda. Dicit enim Clemens: Omnis Pontifex ſacro chriſmate perunctus, & in ciuitate cõſti-

Clemens tutus, ſcripturis ſacris eruditus, charus & precioſus hominibus eſſe debet. Anacletus autem ſpecialem effectum tribuit epiſcopali ordinationi,

Anaclet. atque is eſt proprius, gratia nẽpe gratis data, qua poteſt in Eccleſia munera hierarchica obire: id quod Paulus etiam conteſtatus eſt in illo loco dudum a nobis citato: noli negligere gratiam, quæ in te eſt per prophetiam &c. Quod ſi chariſma peculiare huic ſtatui hierarchico, per ritum ſacroſanctum, ex pactione diuina annexum eſt, alijs ordinibus minime commune, quid prohibet, quo minus ſtrictiſſime ordo ſacramentalis ſit & dicatur? Certe non video, quare epiſcopi ordinatio, nuda electio dici poſſit, & ſuper alios ſibi æquales externa quædam nominatio, & non potius ſimul myſtica & ſacramẽtalis perfectio. Habes etiam ex hoc dicto Anacleti, diſtinctionem & patentem differentiam eccleſiaſtici ordinis a plebe promiſcua, ſimul & ipſorum graduum eccleſiaſticorum. Quamuis enim eccleſiaſticorum portio vnico ordinis nomine nominetur,

tur,ſunt tamen infra latitudinem eius longe differentes gradus & differentiæ:nam hic beatus prӕter tres ſacros gradus,ſcilicet,epiſcopatū,preſbyteratum & diaconatū,confuſa quadam narratione reliquos gradus concluſit,dicens, cæterorum autem graduum diſtributio trium veracium teſtium præſentia, & epiſcopi probatione fiat. Meminit etiam huius diſtinctionis & differentiæ diuus Clemens in prima epiſtola ex mente ipſius Petri,vbi cōparat eccleſiam viſibilem hanc magnæ molis naui,quæ per vndoſum pelagus e diuerſis locis & regionibus homines ad cœleſtem Hieruſalem tranſportat,cuius dominium habet Deus,gubernator eſt Chriſtus,proreta epiſcopus, nautæ presbyteri, diſpenſatores diaconi,nautologi cathecizatores, epibatæ, id eſt, aſcenſores nauis qui vehuntur, fratres alij multitudinis. Nec hoc contentus D. Petrus, vnicuiq; iſtorum graduum ſua tribuit ſpecialia munera. Dicit enim de epiſcopo,vt tanquam proreta vigilanter & ſollicite Chriſti verba cuſtodiat,oret,vacet Dei verbo, vt omnia pericula huius maris nauigantes ſuperent:arduum ſane munus & cui vix ſufficiunt humani humeri,preſbyteris cōmittit,vt aptant ſingula ad inſtructionē nauis, & parent quæ ſuo tempore requirenda ſunt.Diaconis vero,vt tanquam oculi ſint epiſcopi,& oberrantes circumluſtrent cum verecundia actus totius Eccleſiæ,quatenus epiſcopo denuncient.Laicis vero, vt prӕbeant ſe morigeros his quæ ſibi præcipiuntur,& vt ſint quieti vnuſquiſq; in loco ſuo,ne vagantes a munere ſuo nautas impediant, & in alterum latus per corū inquietudinem nauis preſſa demergatur. Et canone apoſtolorum quadrageſimo primo,et quadrageſimo ſecundo, ſex ordinum gradus numerantur ſub hac forma: Epiſcopus,presbyter,Diaconus,aleator vel ebrioſus deponitor,ſubdiaconus autem, Cantor,aut lector,vel deſinito, vel a cōmunione ſeiungitor. D.Clemens in iij. epiſt. ſua,epiſcopos,presbyteros,diaconos & ſubdiaconos numerat. Tertullianus lib. de fuga, tres primos ſacratos gradus recenſet,eos vocans clerum, quos diſtinguit a cōmuni Eccleſia,dicens: Nunquam magis diſperguntur oues, quā cum deſeritur Eccleſia a Clero. D.Ignatius paulo prolixius eccleſiaſticos gradus deſcribit, epiſt.1.et epiſt.ad Antiochænos.Primo loco ſic dicit, cōmendans epiſcopi & presbyteri obedientiā: quid eſt epiſcopus,niſi omnē principatū & poteſtatem omniū illorum.ſ.fidelium tenēs, imitator Dei factus ſecundum virtutem? quid eſt presbyter, niſi inſtitutio ſancta, & conſiliarius et confeſſor epiſcopi? Quid Diaconi,niſi imitatores Chriſti, miniſtrantes epiſcopo ſicut Chriſtus patri, vt Stephanus Iacobo, Linus et Timoth. Paulo, Anacletus et Clemens Petro? In altero vero loco poſtquam meminit presbyteri & Diaconi & virginum,ad gradus alios eccleſiaſticos ſe conuertit, dicens: Saluto ſubdiaconos, lectores, cantores,oſtiarios,laborantes,exorciſtas, atq; confeſſores: ſaluto cuſtodes

Clemens. Canon apoſtolorum. Clemens. Tertull. Ignatius

ſanctarum portarum,diaconiſſas,quæ ſunt in Chriſto,& in fine: Salu-
to(inquit)plebē Domini a minimo vſq; ad maximū. vbi præter tres or-
dines principales diſcipulus iſte apoſtolorū ſubdiaconatum & alios nu-
Hieron. merat,diuus Hieronymus & Epiphanius foſſores his addunt.

Synodus Syluestri. Synodus D.Syluestri quinq; ordinis gradus recēſet, epiſcopos, preſ-
byteros,diaconos:nam duos diaconos in qualibet parrochia iuſſit eſſe,
& Romæ ſeptem ex ijs instituit,quos appellauit Cardinales,et vni iſto-
rum erant ſubditi a ſubdiacono vſq; ad lectorē:vnde puto nomen car-
dinalatus primitus fuiſſe memoratum,pariter & diaconi Cardinalis of-
Cardinalatus. ficium,quo eo tempore vtebatur. Cardinalis enim ea ratione qua Car-
dinalis eſt,ordinem per ſe in Eccleſia non facit,ex diuino iure, dico, aut
apoſtolica Traditione,ſed tantum eo temporis munus iſtud præ ſe fere-
bat principalitatē quandam in illo ordine in quo talis Cardinalis crea-
batur,Diaconus ſuper diaconos,& ſubdiaconus ſuper ſubdiaconos.Fa-
Fabia. bianus martyr ad diuinum officiū applicuiſſe videtur ſubdiaconū, qui
& ſeptem Notarios ad ſcribendū geſta martyrū pie ſatis creauit: quod
Notarij. Protonotarij. alij prædeceſſori ſuo tribuunt. vnde credo protonotarios iſtos procede-
re: qui quid modo ſcribant illi viderint:multos tamen eorū ſcimus ſuis
exemptionibus Eccleſiæ ordinem perturbare,ita vt per priuilegia ſua li-
Zepher. ceat illis,vt lubet, viuere. Zepherinus martyr ordinationis presbyteri
Cornel. et diaconi mentionē facit.D.Cornelius in epiſtola ad Fabianū Antio-
chenum,quā allegat Euſebius in ſua hiſtoria, loquens de Nouato hęre-
tico,quo modo in ſacrum epiſcopalem ordinē irruperit,fere omnes gra-
dus eccleſiaſticos numerat his verbis: Neſciebat(Nouatus.ſ.) in eccle-
ſia Catholica vnum epiſcopū eſſe debere, vbi videbat eſſe presbyteros
quadraginta ſex,diaconos ſeptem, ſubdiaconos ſeptem, acolytos qua-
draginta duos,exorciſtas cū lectoribus & oſtiarijs lij. Nicęna ſynodus
Nicæna ſynodus differentiam aſſignat inter diaconū et presbyterū, canone xiiij. et Dia-
coniſſas in alio canone ab eccleſiaſtico ordine excludit,quia manuū im-
poſitionē non habent,quod nonnihil videtur fauere ordini diaconatus,
ad hoc quod inter ſacros ordines recenſeatur.Nam de ſubdiaconatu vt
Iſidorus obiter quod ſentio dicam,crediderim illum cum D.Iſidoro, ſeptimo li-
bro Ethymologiarū,et cū Gratiano titulo de bigamis, diſtinctiōe xxij.
ad ſacros ordines minime pertinere.Nam præter hoc quod Dionyſius
nullam de eo facit mentionem,cum ſacratos ordines recenſet, ſed tantū
cōmemorat tres principales,nec ego Traditionē apoſtolicam de eo ha-
beo,et miniſterium eius valde remote ſubſeruit diuinæ Euchariſtiæ, et
id muneris quod circa altare habet,a D.Fabiano videtur illi cōceſſum:
adde quod conferri poteſt gradus iſte a Chorepiſcopis,qui plane,vt du-
dum vidimus,epiſcopi non ſunt,ſed presbyteri, quibus minime conce-
ditur presbyterorum et Diaconorum ordinatio, prout conſtat canone
decimo

decimo concilij Antiocheni, & ex concilio Ancirano, canone xiij. Sed Synod. Antioch.
nec impoſitionem manuũ recipit ſubdiaconus, concilio Carthaginenſi
quarto id affirmante & atteſtãte, canone quinto. Quod ſi ſynodus Ni-
cęna non ob aliud Diaconiſſas a ſacratis ordinibus repellit, niſi quia ma-
nuum impoſitionem non habebant, conſimili argumento ſubdiaconi
ad ſacrũ ordinẽ non pertinebunt, et a contrario ſenſu argumentũ dedu-
centes, Diaconi pars ſunt ſacrati ordinis, qui licet a Chriſto non legantͤ
inſtituti, ſed ab apoſtolis ordinati, vt habetur Actuũ vi. fieri tamen poſ- Acto.
ſet, vt Chriſto hoc tradente vel ſpiritu ſancto priuatim reuelante hic or-
do in Eccleſia inſtitutus fuerit. Cyprianus epiſt. v. lib. ij. de ordinatione
lectorum mentionem facit, & epiſtola xiiij. presbyterorum et ſubdiaco- Cypria.
norũ: vbi Diaconis dicit incumbere, vt admonitiones martyribus faciãt.
et alio loco Acolytorũ meminit. Synodus Carthaginenſis quarta pſal-
miſtas recenſet, Tertia Carthaginenſis lectorem, et epiſcopi & presby- Synodus
teri ordinationes præſcribit. Secunda Toletana tempus limitat ordina- 3. Carth.
tiõis in tribus ordinibus principalibus. Toletana quarta idipſum, quan-
tum ad ſacerdotij ordinem attinet, confirmãte. Brachareñſis, quomodo
gradus iſti eccleſiaſtici occupari debeãt, optime tradit, D. Hieronymus
ſuper Leuiticum et Amos prophetam vnctionem ſacerdotis. Venera- Hieron.
bilis quoq; Epiphanius in cõpendiaria doctrina epiſcopum a presbyte- Epipha.
ro in poteſtate ſeparat, cum contra Aerium hæreticũ, Lutheranorũ pa-
rentem agit his verbis: Dicere epiſcopum et presbyterum æquales eſſe,
quomodo erit poſſibile? Epiſcoporum enim ordo Patrum generator
eſt, Patres enim generat Eccleſiæ, presbyter vero non poteſt Patres ge-
nerare. Et reſpondens ad quandam Aerij obiectionem fundatam in eo
quod diximus de confuſione nominis presbyteri et epiſcopi in Paulinis
epiſtolis dicit, quod non omnia ſtatim apoſtoli potuerunt conſtituere,
nec erat eis copia miniſtrorum, qui põtificatus poſſent obire munia: id-
circo vbi tales non reperiebantur, presbyteri interea ſufficiebãtur, qui in
multis exercebant epiſcoporum officia. Paulus vero quando ſcribebat
Eccleſijs vbi erant epiſcopi, nominabat epiſcopos, vbi autem erant ſo-
lum presbyteri, ſcribebat ad presbyteros. Idem ipſe Epiphanius in fine,
magno ſtomacho inuehitur in quendam, qui ſacrificia cum laicus eſſet,
impudenter tractabat, et his muneribus, quæ ad epiſcopos attinent, ſe
ingerebat, et cauſam aſſignans: quia quæ ad ſe (inquit) non pertinebant,
temere perficere tentabat. Poſt vero in cõpendiaria doctrina recenſens
multa de ſtatibus, quæ ſola conſtat Traditione, ſic docet: De Traditio-
nibus et ſtatutis neceſſarium eſt me perbreuibus apponere, earundem
formam ex parte, et quæcunque ſeruantur in ipſa Eccleſia, partim
ex præcepto, partim per ſucceſſionem voluntariæ promptitudinis: et
poſtquã narrauit ea quę voluntaria ſunt, numerat gradus eccleſiaſticos,
incipiens

incipiens a ſacerdotio, quod in duos gradus diuidit, epiſcopatum ſcilicet et presbyteratum. Deinde ponit officium Lectoris, Diaconiſſæ, Exorciſtæ, Ianitoris. Item ſubdiaconi. In veteri etiã Synagoga, quæ typus ſanctæ Eccleſiæ fuit, minores ſacerdotes ſegregati erant a ſummis Pontificibus, neq; omnino licebat minoribus ſacerdotibus magni ſacerdotis inſignibus vti, aut ritu quo ille conſecrabatur conſecrari, nec munia illa ſibi vſurpare, quæ pontificatus illius propria erant, neq; eius officij aliquid attentare. Præterea qualitas corporis myſtici, id eſt, viſibilis Eccleſiæ, quã Paulus docet prima Corinthiorũ duodecimo, quod ſit multa mẽbra diuerſas actiones habentia, & inter ſe ordinem ſeruantia, hanc etiam graduũ diuerſitatem videtur expoſcere: Vos enim (inquit) eſtis corpus Chriſti, mẽbra de mẽbris, et quoſdam poſuit Deus in Eccleſia paſtores & doctores: alias nullo pacto corpori naturali organico poſſet cõparari. Gregorius Nazianzenus in ſermonibus de Hieremiæ dictis coram Valente Imperatore, ex lege Chriſti affirmat, tribunal ſacerdotij, & cõmiſſionem ouium epiſcopis eſſe delegata. De ſacerdotum vero peculiari poteſtate mira dicit etiam Chryſoſtomus, in aureo illo libello de ſacerdotio. ſed vnum ipſius duntaxat teſtimonium referam: Agitur (inquit) miniſterium in terris, ſed officium eius cœleſtibus officijs continetur: non homo, nõ angeli, nõ archangeli, aut alia quæuis creatura, ſed ſpiritus ſanctus hoc munus inſtituit, atq; adhuc manentibus in carne, miniſterio præſtitit fungi angelorum. Clariſſime hic ſanctus hæreticorum temeritatem retundit, in eo quod dicunt, omnes fideles ex æquo eſſe ſacerdotes: nam munus ſacroſanctum iſtud peculiare poſuit, et nõ omnibus commune fecit, & a ſpiritu ſancto inſtitutum eſſe affirmauit: quod prætendit noſtra diuina Traditio. Concilium quoq; Lateranenſe, vbi conuenerũt ex Græca et Latina Eccleſia Patres, ſolis ſacerdotibus iſtud munus cõuenire aperta et vnanimi voce declarauit. Confirmat hanc ſententiam diuus Auguſtinus lib. ij. epiſtola contra Parmenianum, cõparans ſacrum ordinationis inſtitutum cum ſancto Baptiſmate: Vtrumq; (inquit) quadam conſecratione homini datur, ideoq; in eccleſia Catholica vtrumq; non licet iterari. Nam ſi quando ex Donatiſtis venientes, correcto ſchiſmatis errore, ſuſcepti ſunt, etſi viſum eſt eadem officia gerere, quæ gerebant, non ſunt tamen rurſus ordinandi, ſed ſicut Baptiſmus in eis, ita & Ordinatio manſit integra: quia in præciſione erat vitium, quod vnitatis pace correctum eſt, non in ſacramentis, quæ vbicunq; ſunt ipſa, vera ſunt, in neutro ſacramento iniuria eſt facienda. Idem ſentit in epiſtola ad Criſpinum Donatiſtam, vbi ordinem epiſcopatus, quantum ad id quod iterari nõ poteſt, æquiparat Baptiſmo. Vbi per iſtum patrem non ſolum habes ordinationem eſſe ſacramẽtum, & proprie ſacramentum, ſed quod effectum indelibilem in eo, qui ordina-

Synodus Lateranenſis

Auguſt.

ordinatur, ex diuina pactione efficiat: et quia putare poſſit aliquis effe-ctum hunc ſecundum recipientis meritum, vel malitiam variari, aut ſine ordinationis ritu poteſtatem hanc poſſe conferri, libro Quæſtionũ noui & veteris Teſtamenti ſcrupuloſhos tollit idem Auguſtinus: Spiritus ſanctus (inquit) non ſequitur dignam aut indignam perſonam, ſed ordinem Traditionis, atque ita quamuis ſit aliquis boni meriti, non tamen poteſt benedicere, niſi fuerit ordinatus. hæc ibi. Super omnes tamẽ diuus Caius martyr, generalis Eccleſiæ Pontifex, ante mille ducentos annos aſſignans modum per quos gradus debeat aſcendere epiſcopus, antequã ordinetur, omnes gradus eccleſiaſticos (quos modo Eccleſia veneratur) recẽſet his verbis: Si quis epiſcopus eſſe meruerit, primo hoſtiarius, deinde lector, poſt exorciſta, deinde ſacreẽ acolytus, dein vero ſubdiaconus, diaconus, et poſtea presbyter, exinde ſi meruerit, epiſcopus ordineẽ. Quæ res fortaſſis quæ ſit ratio diſtinctionis horũ eccleſiaſticorum graduũ, D. Gregorius tibi aperit in epiſtola ad epiſcopos Galliæ. Attende verba eius: Diuinæ diſpoſitionis prouiſio gradus & diuerſos ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores prioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vna concordia ex diuerſitate fieret. Bernardus quoq; ad Eugeniũ libro tertio loquens de ijſdem gradibus: Non vt vilem (inquit) reijcias formam hanc, quia in terra eſt, exemplar enim habet in cœlo. Alios innumeros teſtes poſſem producere, ſanctos quidem & Deo dignos doctores, diuo Auguſtino ætate poſteriores; ſed quia aduerſarij impudenter affirmant ſanctam Eccleſiam ab huius diui tẽporibus multis erroribus obrutam eſſe, conſulto eos dimittimus, cõtenti ſolum eos produxiſſe: quibus, qui cõtradixerit, Chriſto & apoſtolis manifeſto videatur repugnare: eo quod multi eorum vel apoſtolos audierunt, aut a diſcipulis apoſtolorum edocti ſunt, per quos hæc ſancta Traditione ad nos deuenerunt. Ergo vt quæ ſparſim & diffuſe dicta ſunt, breuibus ſententijs colligamus, apoſtolicorum virorũ teſtimonia & antiquæ Eccleſiæ, tam Latinæ quam Græcæ vnanimis conſenſus, ſimul cum ſcriptura ipſa, hęc nobis in hac Traditiõe expoſuerũt. Primo, quod eccleſiaſticus ordo a plebe promiſcua diuina diſpoſitione, & non humana electione ſeiunctus eſt. Secundũ, quod ipſe ordo eccleſiaſticus magnam intra ſe cõtinet graduum latitudinẽ. Tertium, quod maiores gradus ex his, vtputa epiſcopatus, presbyteratus, diaconatus, magno interuallo a ſe inuicem diſtãt, & peculiares habẽt annexas a Deo ſibi collatas poteſtates, tã ad corpus Chriſti verũ, ꝙ ad myſticum ſpectantes. Quartum, quibus ſuccedant epiſcopi, quibusve presbyteri, & quod ſucceſſio hæc per Dei voluntatem fiat. Ex quibus omnibus clare etiam emergit, quod eccleſia Catholica, quę in hoc mũdo militat, ex diuina Traditione habet ſacerdotium viſibile

Caius

Gregor.

Bernhar

viſibile,ab ipſa plebe diſcretum, per quod viſibiliter in viam Dei dirigatur: quod & ipſa ratio ſuadere videtur. Nam cum nulla congregatio ab ipſo orbe condito, quæ religionis nomen vſurpauerit, abſq; viſibili ſacerdotio vnquam fuerit, vt antiqua omnia teſtimonia teſtantur, qui fieri poteſt, vt Chriſtiana congregatio, dum in hac peregrinatione viſibiliter verſatur, quæ regnum cœlorum, quæ ſagena in mari, ex omni genere piſcium congregans a Chriſto dicitur, quæ arca Noe (in qua munda & immunda animalia, perfecti et imperfecti, boni & mali ſunt) appellatur, ſuis viſibilibus ſacerdotibus careret, a quibus viſibiliter admoneretur, inſtrueretur, orationibus et ſacrificijs iuuaretur, et in viam ſalutis dirigeretur? certe manca et mutila eſſet Chriſtiana politia, ſi ſine viſibili ſacerdotio eſſet inſtituta, quod nephas eſt de Deo inſtitutore eius ſentire. Licet enim Chriſtus Deus noſter principalis Pontifex et ſaſacerdos, fideliũ corda ſuorum moueat et illuminet, et per ſeipſum etiã poſſet, ſi vellet, omnes, quantum ad viſibilia attinet, regere, et pro vnius cuiuſq; capacitate viſibiliter inſtruere, tamen cum omnia diſponat ſuauiter per humana media noſtræ fragilitati cõgruentia, veluti inſtrumentis quibuſdam voluit hæc determinata officia exerceri, et ſuas gratias nobis cõmunicare. Nam et quando ipſe Eccleſiæ ſuæ corporaliter præſens erat, et per ſeipſum populos viſibiliter inſtruebat, per apoſtolos etiã vicarios et miniſtros ſuos euangelium diuulgabat, gratiam ſacramentorum conferebat, miracula et alias virtutes operabatur, quod multo maiori ratione ipſum voluiſſe putandum eſt, vt per apoſtolos et ſucceſſores eorum in Eccleſia fieret, poſtquã ipſe in regionem profectus longinquam, puta in gloriã patris ſui, Eccleſiam ſuã corporaliter dereliqt, operationibus ſuorũ miniſtrorum infallibiliter aſſiſtẽs, et eis cooperans, non tam propter nos, qui multoties indigni ſumus, quam propter ſponſæ ſuæ vtilitatem, cuius culturæ gratia, ſacerdotium iſtud Chriſtus in-

Matth. ſtituit. Vobiſcum ſum (inquit Matthæi vltimo) vſq; ad conſummationem ſeculi. Quare qui ſacerdotiũ iſtud viſibile in Eccleſia eſſe negat, aut intellectũ ſcripturæ, et eccleſiaſticæ atque apoſtolicæ diſpoſitionis, quæ ipſam ſcripturã exponit, non tenet, aut libertatem carnis amat, et vt ipſam ſequantur per inobedientiã ſacerdotum populos ſeditioſe et barbare inuitat. Nam quod iſti nugantur omnes baptizatos in Chriſto eſſe ſacerdotes, non ſolum falſum eſt, ſed diabolicũ et ſeditioſum. Idem enim cũ Chore, Datan, et Abiron, ſeditioſis olim dicunt, qui aduerſus Moy-

Num. 16 ſem et Aaron conſpirantes, dicebant: Sufficiat vobis, quia multitudo ſanctorum eſt, et in ipſis eſt Dominus: cur eleuamini ſuper populũ Domini? qui meritas ſuæ rebellionis pœnas luerunt: nec minores manent eos, qui ſacerdotium euangelicum a Deo inſtitutum, et per apoſtolos et apoſtolicos viros conſuetudine roboratum, ſola ſua libidine nullis aut

debilibus

debilibus ducti argumentis ludibrio expoſuerunt, & explodere conati ſunt, niſi Dei adiutorio iam reſipiſcant. Nam locum illum ex epiſtola Petri petitum, in quo Chriſtiani appellantur genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Similiter & Apocalypſis: Feciſti nos Deo noſtro reges & ſacerdotes, quis vnquam ſanæ mentis homo dubitauit de ſacerdotio duntaxat ſpirituali debere intelligi, quo omnes Chriſtiani offerre tenentur Deo, corpora ſua hoſtias viuas, rationabiles, ſanctas Deo placentes, item cor & omnia deſideria ſua, & non de viſibili et proprie ſumpto ſacerdotio? Nam ſi omnes ex æquo ſunt ſacerdotes iure regenerationis baptiſmalis, licebit profecto mulieribus cōſecrare, abſoluere, docere, et ſacramenta miniſtrare: quibus Apoſtolus in Eccleſia nihil horum permittit, ſed neq; in Eccleſia loqui. Et ſi omnibus ex diuina diſpoſitione hæc prærogatiua eſt communis, qua ratione ducti Lutherani, quicunq; illi ſunt, qui hoc munus ſacrilego auſu ad miniſtrandum vſurpant, quoſdā eligūt ad miniſteriū, & alios miniſtrare non dimittunt? in qua poteſtate hæc faciunt magiſtratus? quo iure priuant eos a collato ſibi diuinitus munere? quæ ſcriptura hoc dicit, vt poteſtas quam Deus ex æquo contulit omnibus, per coæquales poſſit coarctari, & vſu ſibi annexo omnino fruſtrari? Nam ſiue tollant ab eis poteſtatem, ſiue vſum, perinde eſt, contra diuinam ordinationē agunt, qui ſine autoritate Dei diuinas prærogatiuas impediunt. Dicent fortaſſis: Paulus iubet vt omnia ſecundum ordinē fiant, ideo non omnibus vſus poteſtatis debet cōcedi. Eſto, ſed tali lege hoc voluit Paulus, ne ſutor (quod aiunt) vltra crepidam aliquid attentet. Nunquam Deus voluit vt per quoſuis homines ſpiritualia moderarentur, neq; per reges adhuc hoc fieri permiſit, ſed ſolum per illos, quos ad id muneris deſtinauit: et hoc eſt vere ſecundum ordinem facere, ſi vellent Lutherani ſapere, ſcilicet lineam a Deo et apoſtolis præfixam non excedere. Quare non per quoſcunq; homines hic ordo in rebus ſpiritualibus debet ſtatui, ſed per hos, quos Deus elegit. At ſeculares magiſtratus, hiſce in rebus æquales ſunt infimæ plebi. Rurſus ſi omnes ſunt ex æquo ſacerdotes, omnes ſunt ſimiliter reges. Vtrumq; enim affirmat locus ille ab aduerſarijs allegatus: quod ſi res ita ſe habet, omēs ex diuino iure ſunt vere reges, duces et imperatores. Tyrannice ergo et contra diuinam diſpoſitionem occupatur omne regnum, et dominatio terrena. Et huc tendebat in ſuis initijs ſacrum et ſeditioſum Lutheri euangelium (niſi armis et potentia principum eius temeritas compeſceretur et reprimeretur) contra doctrinam Apoſtoli, et totam ſcripturam, et adhuc contra rationē et ipſam naturam. Tunc enim nemo alteri deberet obedientiam: permiſſum eſſet vnicuiq; pro ſuo lubito viuere: omnia quantum ad diuinam diſpoſitionem attinet eſſent inordinata, omnia confuſa, et ipſiſſima barbaries. Ad-

M dequod

de, quod ſi omnes ex æquo ſunt reges, vt alicuius regni ſint reges neceſſe eſt: nam rex & regnum correlatiua ſunt. Aut ergo tot debebant eſſe regna quot ſunt fideles, aut vnuſquiſq; eſſet rex totius vniuerſi. quorū alterum plane falſum eſſe palpamus, alterum vero confuſionem & contradictionem implicat. Et ex hoc enim quod reges omnes ſunt vniuerſi, ſequitur neminem fidelem eſſe regem: nam nomen regis ſingularitatem & præeminentiā dicit ſuper omnes alios ſibi ſubditos. Si dicant eos eſſe reges in potentia, qualis erit potentia hæc, quæ nunquam reducetur ad vſum? Eadem ratio procedit contra eos qui dicunt omnes baptizatos eſſe epiſcopos, & ſacerdotes: Sed tam barbara ſunt hæc & inhumana, vt pudeat vel vnam lineam in eorum impugnationem protraxiſſe. Quod ſi in aſſentationem magiſtratuum, aut propter timorem principū, hanc regni poteſtatem ſpiritualiter, non corporaliter & ciuiliter intelligant aduerſarij, et in odium eccleſiaſticorum, ſacerdotiū omnibus proprie & æqualiter conuenire dicant, valeant cum ſuo argumento pſeudo iſti apoſtoli, tanquam qui verbum Dei ventris & vanæ gloriæ gratia adulterant, & pro ſuo arbitratu moderantur, intelligentes quod ad regnum baptizatorum attinet ſpiritualiter, quod vero ad ſacerdotium, proprie & veraciter: cum ambæ dictiones ſimilem expoſcant intellectum, ſpiritualem ſcilicet, propter myſticam vnctionem, qua veluti reges & ſacerdotes in ſpiritu ſancto baptizati, ſumus delibuti, prout omnes ſancti intellexerunt, maxime Hieronymus aduerſus Luciferianos, nec non vſus totius Eccleſiæ interpretatus eſt: quippe quæ reges et principes temporales nō ſolum permittit, ſed magnopere veneratur, & obedientiam eorum merito commendat. Hæc de ſacratis ordinibus, maxime de epiſcopali, tam late tractauimus, tum quia pauci aut nulli (quos ego viderim) radicitus hoc argumentum tractarunt, tum etiam quia plurimum iuuat huiuſmodi conſideratio ad ſtatuendum robur eorum, quæ a nobis in hac tertia parte dicenda ſunt.

Hieron.

CVM

CVM PRIMIS OBSERVANDO, ET VERE

religioſo patri F. Petro de Sotto, Theologo præſtantiſſimo, maximi Caroli Cæſaris quinti pœnitenciario perquam digno, Autor ſalutem in Domino Ieſu.

Onſtitueram Pater optime, noſtram hanc de uenerando altaris ſacrificio conſiderationem auguſtiſſimis quibuſdam repagulis coarctare, tum quia inſtituti noſtri non erat ſingulas diuinas Traditiones percurrere, ſed generali quadã animaduerſione extremis ſaltem digitis attingere, tum etiã, quia compertum habebam me tam præclaro argumento non poſſe pro eius dignitate ita curriculo ſatisfacere, maxime cum ſim importunis alijs occupationibus diſtractus. Sed neſcio an ubertate illectus argumenti, aut potius τῶ ἀντιχριστῶ τῶν πολεμίων *qui in uenerandum altaris ſacrificium nunquam nõ debacchantur procacitate irritatus, eo peruenerim, ut dum argumentum hoc magis ac magis conor ſupprimere, & preßius tractare, me pene inuito proſilierit, & in iuſtum uolumen ſeſe effuderit: cuius dilucidationem tuæ Reuerendæ Paternitati, cui omnes pietatis cultores tantum debẽt, mittere deſtinaui, ne ſine Theſeo (quod aiunt) in publicum prodiret. Ad quem enim per Deum immortalem potiori iure monumentum huiuſmodi mitti potuit, quam ad te, qui præter hoc quod de religione Chriſtiana tam es bene meritus, hãc menſam altaris ſupercœleſtem, in qua diuinum hoc memoriale corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti recolitur, tam religioſe & deuote frequentas? Vale pater optime, & meum hoc xeniolum, ſymbolum tanquã amoris in te mei grato animo ſuſcipe, & Deo me tuis orationibus commenda.*

CONSIDERATIO QVINTA.

De oblatione & tremendo altaris ſacrificio.

Roxima huic ſanctæ a nobis iam ſtabilitæ Traditioni, ſe offert conſideratio de oblatione illius incruenti ſacrificij, quod Dominus Ieſus, trãſiturus de hoc mundo ad Patrem, ad magnum noſtrarum animarum ſolatium & profectũ inſtituit, et ſuæ ſponſæ Eccleſiæ, vſq; ad finem ſeculi in memoriã ſuæ benedictæ paſſionis celebrandum, & recolendũ præcepit. Pignus certe precioſiſſimum, & inæſtimabilis amoris & gratiæ ſymbolum, in quo omnium beneficiorum Chriſti ſumma cõtinetur. Siquidem totum quod pro nobis aſſumpſit, & cruci, & flagellis, vt nos immeritos redimeret, expoſuit, in hoc tremendo altaris myſterio, modo quodam admirabili carnalibus oculis minime peruio, manducandum nobis præbuit, vt cibum animæ

ſuauiſſimũ. Non vt ipſum nos in noſtram ſubſtantiã conuertamus, ſicut in alijs cibarijs ſolet contingere, ſed vt ipſe vice verſa, fideles ſuos digne manducantes in ſe quodãmodo transformet, & conuertat: cuius virtute roborati, iam non viuant ſecundum veterem Adã, ſed vita eius, qui poſtquam a mortuis reſurrexit, iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Sic enim ipſe antea dixerat, qui manducat meam carnẽ, & bibit meum ſanguinẽ in me manet, & ego in illo, & ego reſuſcitabo illum in nouiſſimo die. & alibi: Qui manducat me, ille viuet propter me. Cuius ſacratiſſimi corporis & ſanguinis cõmunio, ſicut eſt pro omnibus fidelibus (qui inter panẽ materialem, & hunc cœleſtẽ, quo ſpiritualiter vegetamur et roboramur nouerunt diſcernere) inſtituta, ita eius conſecratio et oblatio non omnibus eſt conceſſa, neque a Deo permiſſa: ſed ſolis ſacerdotibus, Eccleſiæ ſanctæ presbyteris, ſecundum ipſius normã ordinatis. Quibus licet Petrus apoſtolus cũ in ordinatione Clementis eccleſiaſticorũ officiorum munera impartitur, nõnulla iniungere videatur, quæ ad munus presbyterij pertinẽt, vtputa quod in hac Eccleſiæ nauĩ per vndoſum pelagus delatę, nautarũ agant officiũ, vt ſingula aptent ad huiuſce nauis inſtructionẽ, vt curã teneant caſtitatis et ſobrietatis circa mẽbra Eccleſiæ, fideliũ diſſenſiones cõponant, & lites dirimãt, & tandẽ hanc Ieſu Chriſti ſponſam pro ſua virili excolant, poliãt & adornent, tamen potiſſimũ huius ſacroſancti ſtatus, ex data ſibi diuinitus ſacerdotij poteſtate munus et officiũ eſt, venerandã Euchariſtiã. i. Chriſti corpus verũ, et ſanguinem eius ſacramentaliter cõficere, ipſamque pro peccatis tam viuorum quam mortuorum Deo patri offerre, et alijs Eccleſiæ mẽbris, cum opus fuerit recte diſtribuere. Porro cũ in precedenti conſideratiõe, ſacerdotiũ viſibile in hac eccleſia viſibili debere eſſe, diuinis inſtitutionibus et apoſtolicæ eccleſiæ aſſenſu cõcordi demonſtrauerimus, ſintque tria hæc, lex, ſacerdotiũ, ſacrificiũ, de numero eorum quæ ad aliquid dicuntur, ſicut tranſlato ſacerdotio, vt Apoſtolus arguit, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat, et e diuerſo: neceſſe ſubinde eſt, vt nouo introducto per Traditionem diuinam viſibili ſacerdotio, nempe ſecundum ordinẽ Melchiſedech, nouum etiã eadem Traditione deſignatum intelligatur viſibile ſacrificium, quod huic ſacerdotio viſibili mutua quadam relatione ſpecialiter reſpondeat: ea enim quæ ad aliquid actu, et re ipſa dicuntur et ſimul natura ſunt, et eũ conuertentia ſe inferunt. Dicit namque Paulus Hebræ. v. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deũ, vt offerat dona et ſacrificia pro peccatis: idque ſit euangelici ſacerdotij correlatiuum, ſacrificium nempe iſtud mundiſſimũ incruentum, quod hodie ſancta frequentat Eccleſia, et vſque in finem ſeculi (et ſi rumpantur et latrent hæretici) frequentabit, recolens cruentum illud ſacrificiũ Chriſtũ. ſ. Ieſum pro nobis

Ioan. 6.

Clemen[illegible]

Ariſtoteles in categorijs

Apoſtol

nobis immeritis paſſum,& quotidie ipſum vere offerens, & repræſentãs Deo patri, ſacratiſſimo ipſo Ieſu ſaluatore noſtro filio eius hoc ipſum volente & inſtituente. Hoc facite in meam cõmemorationem, dixit Ieſus apoſtolis ſuis et eorum ſucceſſoribus, Facite inquam ſicut me videtis facere: ipſe aũt confecit, & ſe in ſacramento pręſentẽ fecit & diſtribuit, et offerendi ſe Deo patri voluntatem tunc expreſſit. Quare cum ipſa Eccleſia maneat, & manebit vſq; in ſeculum, iſtudq; ſacrificium ad magnum ipſius cõmodum & ſolatium ſit inſtitutũ, conſequitur, poteſtatẽ ipſum conficiendi continuo tenore in ſacerdotibus, vſq; in æternũ permanere: alias non videretur quomodo Chriſti ſacerdotium maneat in ęternum in Eccleſia ſecundum ordinẽ Melchiſedech. Licet enim fructus ſacrificij, quod Chriſtus in cruce obtulit Deo patri in die paſſionis ſuæ, perpetuo maneant in Eccleſia, & nobis in ſacramentis diuina liberalitate communicentur, actio tamen ipſa cruenti illius ſacrificij tranſiuit, et iam non eſt: quippe cuius ſacerdos offerens iam nõ moritur, nec mors illi vltra dominabitur. Non hoc cõfingimus ex noſtro capite, habemus teſtes viros apoſtolicos, probatos & eccleſiaſticos, qui ante mille annos iſtud idem ſenſerunt, & ex illo loco hanc intelligentiam extraxerũt. Diuus Dionyſius apoſtolorum diſcipulus, cũ cap. iij. cœleſtis Hierarchiæ ſanctæ iſtius oblationis ordinem deſcribit (idq; ex diuina vt ipſe dicit Traditione, in hunc modũ docet) poſtquã acceſſum Pontificis ad hæc myſteria celebranda propoſuit: Peracta (inquit) laude ad ſacra myſteria Pontifex celebranda progreditur, idq; ex Traditione diuina, quo circa reuerenter ſimul & ex pontificali officio, has ſacras diuinorũ operum laudes, quod hoſtiam ſalutarem, quę ſupra ipſum eſt, litat, ſe excuſat, ad ipſum Deum primo decenter exclamans: Tu dixiſti, hoc facite in mei cõmemorationem. Vides quomodo in illis verbis, quaſi recõuenire videtur Deũ ſacerdos, vt pote quibus tempore apoſtolorũ poteſtas hęc offerẽdi ſacerdotibus collata intelligebatur. Nec te prætereat quod Euchariſtiam ſanctã hoſtiam appellauit, et hanc quidem ſacrificante longe perfectiorem, ipſamq; actionem ſacerdotis in his myſterijs litationem dixit: quæ procul dubio non diceret, ſi in his diuinis myſterijs Ieſu Chriſti corpus ſacratiſſimum nõ contineretur. Chriſtus enim & ſi principalis ſacerdos Eccleſiæ ſit, largitur tamen etiam ſuas dignitates, abſq; ſui diminutione, vti teſtatur magnus Baſilius ſermone de pœnitentia, Lux eſt, & dicit apoſtolis: Vos eſtis lux mundi ſacerdos eſt, ſacerdotes facit. Et ſynodus ſacroſancta Nicęna, ſiue huic loco ſcripturæ innixa, ſiue diuinæ Traditioni, ſolis ſacerdotibus hãc poteſtatem facit, canone decimo quarto, denegans eam diacono, & alijs eccleſiaſticis gradibus. Et Chryſoſtomus libro de ſacerdotio, vti iam allegauimus, aperte hoc munus a Deo eſſe inſtitutum affirmat. Rurſus D. Dionyſius poteſtatem confi-

Lucæ 22

Dionyſ.

Baſilius

Synodus Nicæna.

Chryſo.

Dionyſ. cap. 5 ec cleſiaſti. cæ Hierarch. ciendi ſacra myſteria ſacerdotibus ſolis facit, quos dicit ſacerdotes non eſſe, niſi pontificalibus officijs fuerint ad hoc promoti, per quorum miniſterium Chriſto Ieſu cum illis cooperante, perpetuum illud Melchiſedech ſacerdotium, continuo tenore (quantum ad actionem ſacrificij attinet) pergit & conſeruatur, conteſtantibus id venerabilibus Patribus,
Photius Oecumenius. Photio & Oecumenio ante nongentos annos. Alter enim in commentarijs epiſtolæ ad Hebræos verſans locum illum, Tu es ſacerdos in æternum, loquens de Melchiſedech & Chriſto: Hic primus (inquit) ſine ſanguine hoſtiam Deo obtulit, deinde poſtmodum ſuū etiam corpus.
Duo modi oblationis corporis Christi. Vides ibi duos perſpicuos modos oblationis corporis Chriſti, alterum incruentum, alterum vero cruentum a Chriſto fuiſſe introductos, quorum incruentum Chriſtus iuſſit facere, & poteſtatem faciendi fecit, et alterum repræſentandi. Hic vero de Chriſti ſacerdotio non tantum quoad fructus eius, ſed quoad actionem, ſic docet in eodem loco, de ſacrificio paſſionis Chriſti loquens: Licet Chriſtus non obtulerit carentē ſanguine hoſtiam, ſiquidem ſuum ipſius corpus obtulit, attamen qui ipſius fungerentur ſacerdotio, quorum Deus pontifex eſſe dignatus eſt, ſine ſanguine offerunt, nam hoc ſignificat in æternum. Quod ne putes dici de ſacrificio ſpirituali, quod quilibet Chriſtianus debet Deo offerre, vt eludere videntur aduerſarij, vide quid adiūgat hic bonus pater: Neque enim (inquit) de ea quæ ſemel a Deo facta eſt oblatio & hoſtia, dixiſſet in æternum, ſed reſpiciens ad præſentes ſacrificos, per quos medios Chriſtus ſacrificat & ſacrificatur, qui etiam in myſtica cœna modum illis tradidit huius ſacrificij. Hucuſq; ille, qui vſq; ad apices ipſos noſtram expoſitionem confirmauit, & ſacerdotes ipſos viſibiles ſacrificos clara voce appellauit, per quos quotidie Chriſtus ſacrificat hoſtiam hanc altaris viſibilis mundiſſimam: de qua multi ſancti intellexerunt illud
Mala. 1. Malachiæ illuſtriſſimū de legalium ſacrificiorum ceſſatione vaticinium,
D. Martialis. maxime D. Martialis & Irenæus: Quis eſt (inquit Deus Iſraelitis) qui claudat hoſtiam, & incendat altare meum gratuito? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meū in gentibus, dicit Do-
Rabbini minus exercituū. Nec deſunt nonnulli docti & antiquiſſimi Rabbini, q̄ Chriſtum Ieſum ſecundū carnē præceſſerunt, q locum iſtum de ſacrificio mūdiſſimo panis & vini, a vero Meſſia inſtituendo intelligi veraciter affirment, putantes huc pertinere illum locū pſalmi lxxi. Erit frumē-
Pſal. 71 tum in terra in ſummis montiū: vbi cum ſtatū veri Meſſiæ per ſpiritum ſanctum ad viuum exprimat ſanctus Dauid, inter ſpiritualia & inextimabilia dona, quæ per Meſſiæ aduentum humano generi donanda erāt,

hoc

hoc vnũ refertur potiſſimum,frumentũ hoc altaris ſacroſanctũ, quod ab eo,vt ſacrificium mundiſſimum, omnem pinguedinẽ gratiarꝫ continens,ad refectionem ſpiritualem ſuorũ fidelium inſtituendum erat: ob idcꝙ hoc modo præſatum locum myſtice exponendo legunt: erit placenta ſuper capita ſacerdotum. Ecquis plus certos nos reddere poſſit de Ieſu Chriſti redemptoris noſtri voluntate circa hoc ſacrificium,& æternum memoriale,an ipſemet veraciter in eo offeratur,nec ne,quã ſanctiſſimi apoſtoli,qui Chriſtum viderunt, & doctrinã ab ipſo oretenus audierunt,& a ſpiritu ſancto illuſtrati,quæ audierunt,intellexerunt: aut ab eis edocti ſancti diſcipuli martyres Dei, quibus cum apoſtolici muneris ſucceſſione perfectam doctrinæ Chriſti intelligentiam reliquerũt Chriſti apoſtoli? Age igitur ab ipſis apoſtolis vſcp ad tempus, in quo nouatores iſti Eccleſiam ſanctam a vera doctrina incepiſſe deuiare falſo aſſirmant, huius noſtræ diuinæ Traditionis veritatem conſtruamus.

Eſt in Actis apoſtolorum locus perſpicuus capite decimotertio, vbi Lucas narrat diuinam illam ſegregationẽ Pauli & Barnabæ ab alijs diſcipulis qui erãt Antiochiæ,de quibus dicit, Sacrificantibus illis Domino & ieiunantibus,dixit illis ſpiritus ſanctus: Segregate mihi Paulũ & Barnabam. Sic enim recte interpræ tatur Eraſmus. ex quo loco clare conſtat Ieſu Chriſti diſcipulos in hoc ſacroſancto myſterio ſæpe fuiſſe occupatos,maxime quando aliquid magnum volebant auſpicari, & a Deo ipſo impetrari. Nec refert quod in æditione vulgata legatur miniſtrantibus: nam perinde fere eſt, quamuis vocabulum miniſtrantibus, non prorſus reſpondeat genuinæ ſignificationi participij λειτουργούντων eo quod generalius quoduis miniſteriũ ſignificat. Cæterum miniſterium ſic abſolute dictum, non videtur quid poſſit eſſe, niſi actio quædam externa publica: verbum enim λειτουργεῖν non ſignificat qualecunꝙ miniſterium obire, ſed externum & publicum, quod recte per participium ſacrificantibus interpretatur. Vnde deſcendit nomen λειτουργία quo ſignificatur apud ſanctos & Græcos autores venerandæ Miſſæ actio. Vocabulum ſane ſatis frequens,præcipue in libellis,quos de eadẽ Miſſę actione D. Baſilius & Chryſoſtomus ædiderũt. Quale ergo hoc ſacrificiũ eſſe poteſt,de quo tam particularis fit in præſenti loco mentio? Non certe laudis in oratione,quia in hoc eodem contextu de oratione particulariter fit mentio: dicitur enim,quod orabant & ieiunabant. Neque etiã de ſacrificio,quo ſe,vt hoſtias ſanctas Deo offerebant illi ſancti,quia hoc nunquã non fiebat ab apoſtolis & Chriſti diſcipulis: Quippe erant caſtigationi corporis inteti,ſpoliantes veterẽ Adã, & magis ac magis quotidie in imaginẽ noui Adam trãsformabantur. Reſtat igitur vt ſacrificium altaris ſit illud, quo ſancti illi Chriſti diſcipuli, de quo in loco tã particularis fit mentio, eo temporis perſecerunt, quo ſacratius

Acto. 13

Eraſmus

Baſilius
Chryſo.

M iiij ſancta

ſancta manuum impoſitio, & duorum apoſtolorum miſſio, gratiuſque fieret. Is enim erat mos in antiqua Eccleſia, nihil arduum auſpicari, niſi præcedenti hac ſacroſancta oblatione, qua Deus placaretur, & ſuſcipiendo negocio libentius aſpiraret. id quod diuus Dionyſius cap. iij. eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſignificat, vbi loquitur de modo quo iſta ſacrificij actio admirāda tēpore apoſtolorum celebrabatur: Neque enim (inquit) ferme fas eſt ſacerdotalis muneris aliquod myſteriū peragi, niſi diuinum iſtud Euchariſtiæ auguſtiſſimumque ſacramentum compleat.

Dionyſ.

Gregor. Legitur etiam apud D. Gregorium in epiſtola ad quendam Syracuſanum epiſcopum, quod diuus Petrus apoſtolorum princeps, miſſam celebrauerit Antiochiæ, & verbis conſecrationis dominicam orationē addiderit. Idem confirmante D. Iſidoro libro primo de officijs, cap. xv. in hæc verba: Ordo miſſæ, quibus oblato Deo ſacrificia conſecrantur, primo a S. Petro inſtitutus eſt, cuius celebrationē vno eodemque modo vniuerſus peragit orbis. hęc ille ante annos xc. Et Remigius idē aſtruere videtur lib. de diuinis officijs. Piſis (quæ nobiliſſima totius Hetruriæ vrbs eſt) ad oram Tyrrhenij maris, Baſilica quædam eſt in illa prouincia celeberrima, D. Petro apoſtolorum principi dicata, vbi conſtantiſſima & antiquiſſima fama eſt, Petrum cū quinque vel vi. diſcipulis primo Italiam appuliſſe, ibique miſſam celebraſſe: ob idque ab antiquis temporibus vſque in præſentem diem magna finitimorum populorū frequentia quotannis deuote et religioſe viſitatur: certa parte altaris vbi celebrauit in ſacrario templi maioris venerabiliter recondita, vna cum teſtimonio literis valde autenticis & vetuſtis, huic rei fidem minime ſuſpectam facientibus: quæ omnia mihi anno iam proxime elapſo licuit videre & legere, dum Piſis aliquot diebus agerem. Iacobus quoque frater Domini legitur Miſſam celebraſſe Hieroſolymis, ſaltem de ritu huius ſanctæ actionis celebrandæ, allegatur ſcriptum eius vna cum libello de Miſſa, quem ædidit D. Baſilius a ſexta ſynodo, canone xxxij. Verba ſynodi (cum hydroparaſtarum errorem damnat) ſunt hęc: Etenim Iacobus ille ſecundū carnem Chriſti Dei noſtri frater, qui Hieroſolymitanæ Eccleſiæ primus ſedem concreditam habuit, et Baſilius ille Cæſareæ epiſcopus, cuius gloria omnem terram peruagata eſt, ſcriptis myſticum nobis ſacrificiū tradentes, ſic conſummatum in diuino ſacramento, ex aqua & vino ſanctū illum calicem tradiderunt.

Iſidorus

Remigius

Sexta ſynodus

Canon 3. apoſtolorum. Percelebris eſt etiam de hoc ſacrificio memoria, & vt a Domino tradita cōmendata, in tertio canone apoſtolorum, quem ſanctus martyr, & Eccleſiæ pontifex Eutychianus allegat in prima epiſtola ſua ad epiſcopos Beticæ, qui ſic habet: Si quis epiſcopus aut presbyter præter ordinationem Domini, quando ſacrificium inſtituit, aliud quippiam, puta, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut aues, aut

aliqua

aliqua animalia, aut legumina ſuper altare obtulerit, vt qui contra ordinationem Domini facit, deponitor. Neſcio quid clarius aut dilucidius poſſit afferri ad damnandã impietatem aduerſariorum Euchariſtiæ: bis enim hic retulerunt ſancti apoſtoli, altaris ſacrificium Traditionẽ & inſtitutionem eſſe Dominicam. Non eſt hic tergiuerſationis aliquis locus, cum aperte faciat mentionẽ ſacrificij altaris & particularis miniſtri, puta ſacerdotis. neque eſt etiam quod Canon iſte non recipiatur, tum quia huius inſtituti multa poſteriora Concilia & decretales Patrũ meminerunt, & confirmarunt ipſum: tũ etiã quia in magno ſemper prętio habiti ſunt ab Eccleſia hi Canones apoſtolorum, vt iam iam videbimus.

Audiſti vocem apoſtolorum de ſacrificio vere & proprie ſumpto, vt condiſtinguitur a ſacrificio laudis & obedientiæ, audi nunc eoſdem, ipſam actionem ſacrificij a cõmunione Euchariſtiæ ſeiungentes, ne propter multiplicitatem ſignificationis vocabuli in re diuina et merito adoranda pernitioſe ludant ſectarij: quorum verba Canon. viij. continentur hoc pacto: Si quis epiſcopus aut presbyter, aut diaconus, vel quilibet ſacerdotali catalogo aſcriptus, oblatione facta non cõmunicauerit, cauſam dicat, vt ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur, aut ſi non dixerit, communione priuetur, tanquam qui cauſa læſionis extiterit, dans ſuſpicionem de eo qui ſacrificauit quod recte non obtulerit. Iam vides ibi oblationẽ & ſacrificium Euchariſtiæ, a cõmunione ſeiuncta. Canon 8 apoſtolorum.

Legimus etiã in hiſtoria martyrij D. Andreę, quam ſacerdotes & diaconi Achaiæ conſcripſerunt, cum ab Aegea præfecto Achaiæ prouinciæ ad ſacrificandum idolis cõpelleretur idem Andreas, hoc modo reſpondiſſe: Ego omnipotenti Deo agnum immaculatũ quotidie offero, qui poſteaquã a toto populo cõmeſtus fuerit, integer perſeuerat: idipſum teſtante beati Matth. hiſtoria, quæ aſſerit, ſanctum hunc apoſtolũ dum ſacrificium hoc incruentum celebraret, a gentili rege fuiſſe interemptum. Quare ab ipſis apoſtolis ſacrificium altaris habes fuiſſe frequentatũ, cum eadem fide quæ nunc eſt in Eccleſia. Et huc videtur illud ex Actis apoſtolorum tendere quod de apoſtolis dicitur, eos. ſ. poſt aduentum ſpiritus ſancti, perſeueraſſe in vnanimiter in templo, frangentes circa domos panẽ cum exultatione. Andreas Acto. 2

QVOD CORPVS CHRISTI MANEAT IN conſecrata hoſtia etiam ſine vſu cõmunionis.

DIuus Clemens, diſcipulus & ſucceſſor Petri, inter ea quæ ab ipſo magiſtro ſuo accepit, & commendat, multa inculcat, imo manifeſtat, circa hoc ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, tam quæ miniſtros, quam quæ munditiẽ celebrationis cõcernunt. ſic habet vna ex ijs Traditiõibus, quę ibi promul- Clemens

promulgantur. Tribus gradibus cõmiſſa ſunt ſacramenta diuinorum ſecretorum, presbytero, diacono & miniſtro, qui cum timore & tremore reliquias corporis Domini debent cuſtodire fragmentorum, ne qua putredo in ſacrario inueniatur, ne cum negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria. Et ſubiungit, Tanta in altari holocauſta offerantur, quanta populo ſufficere debent. Iam hic vides quæ docebant apoſtoli tempore ſuo de ſacro ſancta Euchariſtia. Primo determinatis gradibus officia quæ circa ipſam erant cõmendabant. Deinde modum & numerũ offerendarum hoſtiarũ præſcribebãt, nomine oblationis & ſacrificij. Tertio fragmenta Euchariſtiæ portiones corporis Domini vocabant, & cum timore et tremore tractari iubent: quæ verba manifeſtam faciunt pręſentiam realem corporis Chriſti ſub ſacramento. Quarto, quod reliquię iſtæ obſeruabantur et venerabãtur, magnopere cauentes ne portioni Domini iniuria irrogaretur. Sed pergit Clemens in his quæ a Petro ſe dicit accepiſſe: Qui reſidua (inquit) corporis Domini, quæ in ſacrario relicta ſunt, conſumunt, non ſtatim ad cõmunes cibos accipiendos accedant, nec putent ſanctæ portioni cõmiſcere cibum, qui per aqualiculos digeſtus in ſeceſſum funditur: ſi ergo mane dominica portio editur, vſq; ad ſextam ieiunent miniſtri. Iterum confirmat Clemens quæ dicta ſunt, & manifeſte vocat corporis Domini reliquias quæ in ſacrario ſeruabantur, ipſaq; ab alijs cibarijs materialibus ſecernit, nec per indigna loca emitti docet: quæ non eſſe ſacram Euchariſtiam panem tantum materialem, ſatis indicãt, alias quid prohiberet, quo minus ſicut alia cibaria egereretur? et quorſum tãta reuerentia, tanta cautela, tanta cuſtodia in hoc præ alijs ſignis ſacramentalibus, ſi nõ ibi adeſt ſacramentaliter corporis Chriſti pręſentia? Illud ergo clare conſtat ex verbis Clementis, quod ibi Chriſtus re & ſigno exiſtit, nõ ſolum cum conſecratur, aut cõmunicaturis diſtribuitur, ſed etiam poſt conſecrationem dum aſſeruatur: quorum contrariũ docent etiam Lutherani, qui erga ſacramentum hoc minus impij videntur. Et miror ſane vt obiter errorem iſtum & blaſphemiam impugnemus, proteruã ipſorum ignorantiam, qui ſine ſcriptura & ratione, audeant gratis in tantas blaſphemias prorumpere: dicere enim, quod Chriſtus dum cõmunicatur & participatur in Euchariſtia eſt, & quod ceſſante vſu cõmunionis, non eſt, etiam ſi hoſtia conſecrata ſeruetur: inſuper quod quando diſtribuitur, adorari non debet. impium plane eſt, & irrationabile: ſequitur enim ex prima parte huius maledicti dogmatis, quod virtus verborum conſecrationis, & poteſtas conſecrandi, pendet a voluntate accipientis, quia ſi quis ad cõmunionem paratus ſacræ communionis particeps eſſe vult, Chriſtus ibi eſt, et ſi non vult, non eſt. Sit ergo rei veritas, quod aliquis ſacerdos conſecret, & alius accipere nolit, vel plures hoſtias conſecret

Cautela

cret, quam ſint cõmunicaturi: tunc quæro in his hoſtijs quæ minime accipiuntur, an eſt corpus, nec ne: ſi non eſt, iam præſentia corporis Chriſti realis in ſacramento ab accipientium voluntate pendet, & nõ prorſus a miniſtro debite ordinato, & verbis prolatis ſuper conuenienti materia, & intentione faciendi, id quod Chriſtus faciendum inſtituit. Item ſequitur quod nunquam poſſit ſcire ſacerdos quando conſecrat, aut quando non conſecrat, eo quod nequit illi conſtare de veraci propoſito eorum qui accipere debent. Rurſus ponatur quod aliquis velit cõmunicare, & ſacerdos conſecret eo animo, vt Euchariſtiã illi communicet, & poſt conſecrationem, ille cui parabatur nolit cõmunicare, tunc quid poſſunt iſti dicere de reali Chriſti præſentia, eſt in hoſtia conſecrata, an non? Si eſt, per aliquod ergo tempus eſt, quamuis non diſtribuatur, aut ab aliquo accipiatur, ſit ergo tempus illud vna, quarta vel media hora: quare ergo non erit per aliam dimidiam horã & per diem et per annum, denique quouſq; ſacramentales illæ ſpecies corrumpantur, vt recte docent Catholici Theologi? Non enim eſt Chriſti pactio in hoc ineffabili ſacramento, quod ſcilicet ei aſſiſtet ſi voluerint fideles cõmunicare, quãuis finis præcipuus inſtitutionis eius ſit, vt Chriſtus ipſe per manducationem ſacramentalem maneat in fidelibus, & vice verſa fideles in eo. tantum dicitur in inſtitutione eius: Hoc facite in meam cõmemorationem Quorſum, quod Chriſtus non præſcribit inſtitutione Euchariſtiæ, faſtuoſi iſti nouitatum inuentores e ſuo priuato capite tam impie & temere auſi ſunt affirmare? quod ſi dixerint nullo pacto manere ibi corpus Chriſti, quam primum ille qui cõmunicare volebat abijcit a ſe propoſitum cõmunicandi, tunc ſi ille, vel alius rurſus vellet cõmunicare, neceſſe eſſet eandem hoſtiã denuo conſecrare, iamq; per ſolam voluntatẽ ipſius accipientis Chriſtus inciperet & deſineret eſſe in ſacramẽto. Quare nõ opus erat vt Chriſtus diceret ſacerdotibus: Facite, ſed vt cum cõmunicantibus loqueretur, dicens: Conſenſum veſtrum præbete huic ſacramento conficiendo, alias nihil fiet: quæ quam ſint ridicula, et abſurda, viderint ſanæ mentis homines. Adde quod ſanctus Dionyſius narrans modum conficiendi ſacram Euchariſtiã et cõmunionis, dicit, quod ſacerdos volens illam diſtribuere, prius ſacra myſteria ijs qui debent cõmunicare reuerenter oſtendit. Tunc vero caſtiſſimi ſacratiſſimorum ſignorũ miniſtri & ſtudioſiſſimi ſpectatores, ſacroſancta myſteria digna cum veneratione cõtuentes, beneficum illud principium ac totius indultorem bonitatis, catholica laudatione concelebrant. Hæc verba manifeſto indicant tempore apoſtolorum diuinæ Euchariſtiæ exhibitã fuiſſe magnam reuerentiã. Damnat etiam cum hoc Clemente dogma iſtud peruerſum, ſanctus pater Cyrillus, ante mille annos, ad Calloſirium epiſcopum loquens de quibuſdam alijs nebulonibus, iſthuc ipſum quod iſti,

Dionyſ.

Cyrill.

iſti, ſentientibus: Audio (inquit) quod dicunt illi myſticam benedictionem ſi ex ea remanſerint in ſequentem diem reliquiæ, ad ſanctificationem inutilem eſſe. ſed inſaniunt hæc dicentes: non enim alius fit Chriſtus, necp ſanctum eius corpus mutabitur, ſed benedictionis virtus & viuifica gratia, perpetuo manent in illo. hæc Cyrillus. Vides quomodo hic S. Pater aperte fatetur præſentiæ Chriſti veritatem in his myſterijs, & gratiam viuificam ab eis minime diſcedentem. Quare ergo nō ipſum adorabimus, & ſymbolū eius ſacratiſſimum nō venerabimur, cum per pſalmographum adorari iubeat Deus ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt? Si dicant non debere adorari, quia nullum extat præceptū de huiuſmodi adoratione: incuſent ergo tres illos magos ſanctiſſimos, q ab oriente venerunt adoraturi Chriſtū in cunabulis vagientē. Damnēt paſtores illos ad præſepe ipſius humiliter prouolutos. Damnent Magdalenam, mulierem Cananæam, & aliam Syropheniſſam, & alios multos, quos Chriſtus laudauit, ob ſibi diuinos exhibitos honores, & a ſe minime præceptos, o manifeſtam inſaniā. Nam vel Lutherani iſti credunt ex vi verborū & pactionis Dei, Chriſtum veraciter in altaris myſterijs contineri vel non: ſi non credunt, cum impijs ſacramentarijs plane ſentiunt, quod ſcio non dicent, quamuis in hoc corrupto dogmate oſtiū ad ſacramentariorum impietatē plane aperuerunt: ſi autem credunt illū ibi eſſe præſentem, cur non ibi illum adorant? Nunquid quia ibi aliter eſt quam ſit in cœlo, vel fuerit olim viuens in terra? Quid ad rem facit, quod aliter ſit, ſi credo eundem Chriſtum ſubſtantialiter ibi eſſe, qui & in cœlis eſt, & in terris vixit? Ergo ſi habitu alio alicui contingeret Chriſtum corporaliter videre, certo ſciens ipſum eſſe, prius debuiſſet ab eo interrogare, an velit adorari, nec ne? quam ei honor aliquis exhiberetur. Ridicula certe ſunt hæc, & prorſus indigna, quæ ab hominibus qui tantum ſibi tribuunt, affirmentur. Quid quod diuus Auguſtinus, adorandam Chriſti carnem benedictam in ſacramento altaris affirmat? Ait enim in expoſitione pſalmi xcviij. Inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim Chriſtus de terra terram, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, et quia in ipſa carne ambulauit, & ipſam carnē nobis manducandam ad ſalutē dedit, nemo illam manducat niſi adorauerit. Inuentū eſt quemadmodū tale ſcabellū pedū Domini adoremus, et non ſolū non peccemus adorando, ſed & peccemus non adorando. Hoc in loco (ſi bene aduertis) diuus Auguſtinus omnes nebulas ambiguitatis circa hoc ſacroſanctū myſterium diſpellit, et vtrāque hæreticorum factionē plane damnat. Qui enim iubet adorare carnem Chriſti benedictā, quam in ſacramento altaris manducamus, ipſam ibi realiter et non in ſigno exiſtere indubitato affirmat. Habes ergo iam

(vt mul-

(vt multos alios taceam)tres ſanctos Patres qui ex profeſſo ſathanicũ iſtud dogma Lutheranorum condemnant. Primũ,Dionyſium apoſtolorum diſcipulũ. Secundum Auguſtinũ,Tertium,Cyrillum:tam in eo quod dicunt Chriſtũ ſine vſu cõmunionis in ſacramento non exiſtere, quã in eo q̃d impie negant ibi adorandum eſſe. Quod ſi de præcepto in ſcripturæ cõtento literatores iſti circa huiuſmodi adorationẽ tantũ ſunt anxij,habent cui obediant. Eſt enim diuinum præceptũ: Dominũ Deũ tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies. Et illud:Iſti oẽs honorificent filium,ſicut honorificant Patrem. Cumq́ realiter & ſacramentaliter lateat ſub illis ſpeciebus, et nefariũ ducant iſtud non credere,ibi adorare eum oportet,vbi ipſum credũt ſpecialiter eſſe. Nec opus fuit, vt de hac re nouum daretur præceptum, ſicut neq́ quando Imperatorem video, aut obuiũ habeo,quamuis in habitu diſſimulato videã, præcepto nouo opus eſt ad hoc,vt ipſum reuerear,ſed ſatis eſt q̃d mihi nõ prohibeatur reuerẽtia. Parciores tamen volunt eſſe iſti euangelici in cultu Dei quam in cultu hominũ,ne dicã impientiores. Et certe ſi libere loqui liceat, dogma iſtud ſatis arguit eos plane dementes eſſe,aut ſolum corpus Chriſti,et non totum Chriſtũ in Euchariſtia cõtineri,aut Oecolampadianas partes apud Lutheranos obtinuiſſe in impio dogmate ſuo victoriã. Hunc morẽ diuinæ Euchariſtiæ ſeruandæ renouarunt ſynodus Vuormatienſis,et generaliſſima Lateranenſis,conſtitutione xx. Vt ſub fideli cuſtodia clauibus adhibitis Euchariſtia conſeruetur,tũ pro conſolatione fideliũ,tum propter infirmorum neceſſitates quæ occurrere poſſunt: quibus lib. ij. de viſitatione infirmorũ cap. iiij. viaticũ iubet Auguſtinus adferri. Sed inſtitutum hoc magis apoſtolicũ, q̃ diuinum eſt. Iam redeamus ad noſtram de venerando ſacrificio Traditionem. Idem Clemens ij. epiſtola aperta voce etiã fatetur ſacerdotes offerre et ſacrificare, et longo interuallo actionem hanc ſacrificij a cõmunione ſecernit: cum enim pœnam imponat ibi ſacerdotibus,qui cœlibatum non ſeruant,dicit: Sacrarij nõ intrent limina,nec ſacrificij portitores fiant,nec altare cõtingant,nec ab offerentibus holocauſti oblationem accipiant, nec dominici corporis portionem accipiant. En vides tẽpore apoſtolorum Euchariſtiam portari,offerri,holocauſtum et ſacrificium dici,et cõmunicari.

Synod. Vuormatienſis. Synod. Lateranenſis Auguſt. Clemens

S. Dionyſius myſterium iſtud ſacrificiũ appellat,cap. iij. cœleſtis Hierarchiæ,exponens venerãdæ Miſſæ ceremonias: Oportet (inquit) nos nudata primi et præcipui intelligentia ſigni, intra ſacroſancta tranſire, diuinamq́ principalem huius ſigni ſpeciẽ intueri,ac Pontificẽ auguſtius cernere a diuino altari vſq́ ad phani nouiſſima cum odoris ſuauitate pergentem,ac rurſus ad altare ipſum conſummandi ſacrificij gratia remeantem. vbi aduertis ſacrificiũ dici altaris myſteriũ. Et cap. v. dicit, quod ſacroſanctæ communionis ſacramenta non perficiat ſacerdos,

Dionyſ.

niſi ſignis tanti myſterij altaribus venerandis impoſitis. In altari autem debere perfici ſacramenta, manifeſtam fidem facit ſacramentũ hoc eſſe ſacrificium. Et aduerte quod hæc myſteria ſacroſancta, iam hic doctor ſanctiſſimus appellat ſacramentorum conſummationem, dicens hanc appellationem a diuo Paulo præceptore ſuo didiciſſe, iam diuinum et auguſtiſſimũ ſacramentorũ, iam diuinum munus, iam cõmunionem diuinam, iam diuinum panem, iam dona ſuper cœleſtia, capite tertio, quarto & quinto.

S. Martialis. Subſcribit huic ſanctæ Traditioni ſanctus Martialis, vnus ex Domini diſcipulis, qui Petri apoſtoli comes indiuiduus fuit, & ab eodem Petro apoſtolo, vt creditur, in Galliam Aquitanicam apoſtolus miſſus eſt: qui etiam Chriſtũ ſe dicit vidiſſe, epiſtola ad Burdegalenſes cap. iij. Cuius peruetuſtum exemplar licuit mihi videre in Bibliotheca illuſtris D. D. Didaci de Mendoza, dum apud eũ Tridenti agerẽ, quod credo iam typis eſſe mandatũ. Is loquens de ſeipſo & Eccleſiæ ſacerdotibus, illuſtriſſimũ de altaris ſacrificio præbet teſtimoniũ: Sacrificiũ Deo creatori offertur in ara, non homini, neq; angelo, nec ſolum in ara ſanctificata, ſed vbiq; offertur Deo oblatio munda, ſicut teſtatus eſt, cuius corpus & ſanguinẽ in vitam æternã offerimus, dicentes: Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu et veritate oportet adorare: ipſe enim corpus habens immaculatũ, et ſine peccato, quia conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus eſt de Maria virgine, in ara crucis ipſum permiſit immolari. Quod autẽ Iudæi per inuidiã immolauerunt, putantes ſe nomẽ eius a terra abolere, nos cauſa ſalutis noſtræ in ara ſanctificata proponimus, ſcientes hoc ſolo remedio nobis vitã præſtandam, et mortẽ effugendam. Sufficeret teſtimoniũ huius teſtis tam venerandi, qui Chriſtũ ipſum huius myſterij inſtitutorẽ audiuit et vidit, ad tollendas in Eccleſia circa hoc pacis & vnitatis ſacramentũ pernitioſas controuerſias: Nã quid obſecro dixit hic ſacratus Chriſti diſcipulus, quod hodie non teneat Catholica eccleſia, quæ apoſtolis ſucceſſit, & ab eis edocta eſt? Dixit enim aperta voce duplex ſacrificiũ a Chriſtianis offerri, et hoc ex Chriſti doctrina: alterũ mere ſpirituale, et inuiſibile, quando ſcilicet humiliati et obedientes Deo toto cordis affectu, nos et omnia noſtra illi cõmendamus, vt fiat in nobis eius voluntas, et debita ei ſeruitute placeamus: Alterum, quod in ara ſanctificata quotidie offert Eccleſia verũ Chriſti corpus, ſacrificium illud vnicũ crucis repræſentando. Aperuit etiam quid apud Deum valeret huiuſmodi viſibilis oblatio, nam dixit per eam nobis vitã conferri et mortem effugari: quæ ne quis putet hominum cõmenta, ſic clauſit ſuæ orationis periodum hic ſanctus Chriſti diſcipulus: Hoc enim ipſe Dominus Ieſus iuſſit nos agere in ſui cõmemorationem. Huc uſq; diuus Martialis.

Martial.

Nec

Nec reliquit myſterium illud intactum ſanctiſſimus martyr Ignatius, Ioannis apoſtoli diſcipulus (quem Dionyſius præfatus libro de diuinis nominibus reuerenter allegat) obedientiam epiſcopi cōmendans, epiſtola ad Philadelphienſes, vbi presbyteros Philadelphiæ ſic alloquitur: Non licet ſine epiſcopo neq; offerre, neq; ſacrificium immolare, neq; Miſſas celebrare. Adeſt tibi ſacrificium, & oblatio altaris a diuo Ignatio memorata, vna cum nomine Miſſæ, quam impij iſti nouatores non ſolum negant, ſed abominandam meretricem eſſe e ſuggeſtu boant: flagitium certe duriſſima animaduerſione dignum. Simile inſtitutum, et quaſi ſub hac forma, legimus in epiſtola iij. Clementis, quod ex D. Petro in libro Recognitionū deſumpſit, quo presbyteris præcipit, & alijs Clericis, vt nihil abſq; proprij epiſcopi licentia agant, neque Miſſas (inqt) ſine eius iuſſu. Et paucis interpoſitis addit ſanctus martyr: In alijs locis ſacrificare & Miſſas celebrare non licet, niſi in his in quibus epiſcopus proprius iuſſerit. Quid ergo nebulones iſti papiſticū inſtitutum ſacroſanctam Miſſam eſſe affirmant, cum diſcipuli Chriſti reuerendam de ea faciant mentionem? neq; hoc quidem quaſi ab apoſtolis traditā, ſed vt a Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtitutam. Non capit certe intellectus humanus rem tam arduā, tam excellentem, tam a carnis ſenſu remotā, vbi Chriſtus non ſolum operatur, ſed modo mirabili nobis ignoto ſua reali præſentia aſſiſtit, hominum eſſe poſſe inſtitutum, tantum abeſt vt ſit cōmentum.

Ignatius

Clemens

DE EO AN NECESSARIA SIT ADSTANtibus cōmunio cum Euchariſtia conſecratur.

ANacletus martyr ſanctiſſimus a Petro apoſtolo presbyter (vt ipſe dicit) ordinatus, in prima ſuarum epiſtolarum ter vel quater ſacerdotes & epiſcopos ſacrificatores appellat: non quidem propter ſacrificium laudis aut ſpiritualium hoſtiarum, nam hoc modo omnes vere Chriſtianos potuiſſet ſic appellare, ſed propter viſibile iſtud quod illis diuina diſpoſitione datum eſt in altari viſibili Deo offerre ſacrificiū, prout ipſius verba declarant, quę ſic habent: Deo ſacrificantes perfecte, non debent vexari, ſed portari, conſolari, atq; ab hominibus venerari: ipſi autē quando Domino ſacrificant, non ſoli hoc agere debent, ſed teſtes ſecū adhibeant, vt Domino perfecte in ſacratis Deo ſacrificare locis probentur. ait namq; autoritas legis diuinæ: Vide ne offeras holocauſta in omi loco quē videris, ſed in loco etc. Et ſubdit: Epiſcopus Domino ſacrificās, teſtes vt præfixum eſt habeat plures quā alius ſacerdos: ſicut enim maioris honoris gradu fruitur, ſic maiori teſtimonio eget. In ſolennioribus qppe diebus, aut vij, aut v. aut iij. Diacones, qui eius oculi dicuntur, &

Anacletus

ſubdiacones,& reliquos miniſtros ſecum habeat:qui ſacris induti veſtimentis in frõte & a tergo, et presbyteri e regione dextera leuaq;,cõtrito corde & humiliato ſpiritu,ac prono ſtent vultu,cuſtodientes eum a maleuolis hominibus,& cõſenſum eius prębeant ſacrificio: peracta autem conſecratione,omnes cõmunicent,qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus:ſic enim apoſtoli ſtatuerunt,et ſancta Romana eccleſia. Huc vſq; Anacletus:qui non ſolũ de ſacerdotũ principali munere, quod eſt viſibiliter ſacrificare,apertã mentionẽ fecit,ſed et modũ quẽ ſeruare debent epiſcopi in publica venerandæ Miſſæ celebratione deſcripſit, quẽ hodie etiã ſeruat Eccleſia. Nec non tremorem, et reuerentiã quam adſtantes altaris miniſtri,diuinæ Euchariſtię debẽt exhibere,haud obſcure intimauit:Iuſſit eñ vt cõtrito corde & humiliato ſpiritu,et prono vultu aſſiſtant,quæ plane ſigna adorationis & reuerentiæ ſunt. hoc teſtimonium reijcere aduerſarij, quippe quo ipſi vtantur contra nos, quaſi regulam apoſtolicam nõ teneamus,in eo quod poſt Miſſę celebrationẽ, cõmunicantes non ſemper adſtent,qbus dominicũ corpus diſtribuatur: cuius contrariũ diſpoſitione apoſtolica hic apoſtolorũ diſcipulus,viſus eſt iubere:ſed res ſalua eſt. Nam D. Anacletus ſolum id iubet fieri in ſolennioribus diebus,& quando epiſcopus cum pompa illa publice celebrat. Et quamuis generalis eſſet inſtitutio,cum mores ſolũ concernat, et non fidei dogmata,variabilis res eſt,&pro loco et tẽpore,fidelium infirmitate,et multitudine pẽſatis,ab Eccleſia mutari potuit. Id quod D.

Fabian. Fabianus martyr,iſto Anacleto non multo poſterior,viſus fuit moderari,communionis tempus fidelium ad tres duntaxat ſolennes feſtiuitates coarctãs,natalis Domini,reſurrectionis et Pentecoſtes,hoc ipſum confirmante Agathenſi ſynodo. Miror ſane præpoſterum & corruptũ aduerſariorum iudicium,qui cum apud eundem autorem, & in eodem contextu,de ſacrificio et oblatione altaris,ſimul cum fideliũ communione videant fieri honorificam mentionẽ, & quod de ſacrificio & oblatione dicitur,conſtet eſſe dogma inuariabile,et ad fidei doctrinam pertinens,quod vero de communione affirmat,ad mores Eccleſiæ pertinet,& res plane ſit a voluntate inſtituentium dependens, illud tamen reijciunt,irrident,et ab Eccleſia volunt explodi,alterum vero admirantur,et tanquam rem ſimpliciter neceſſariam inculcãt: nec pudet eos allegare virum ſanctiſſimum:qui ſi falſum dicit in eo, quod de ſacrificio Miſſæ docuit,vt illi falſo autumãt,non eſt quod illi in re alia multo minoris momenti credatur. Putabis fortaſſis reuerentia apoſtolicæ Traditionis eos ductos fuiſſe,quatenus hæc inſtitutio ſeruari debere exiſtiment. Aliter tamen res ſe habet:nihil enim minus curant quam apoſtolica tradita,quibus paſſim detrahunt et repugnãt, in rebus alioqui magni momenti et ad ſalutem neceſſarijs:quin potius eo tendit verſipellis

corum

corum aſtutia,quatenus erroneam doctrinam ſuam , qua docent ſacrā Euchariſtiam ad ſolam cōmunionem a Chriſto Ieſu fuiſſe inſtitutam, falſa quadam apoſtolici nominis vmbra promoueant,aut quoquo modò obtrudant: ſed ſufficiat circa hæc iſta dixiſſe.

Iam accedat alius teſtis non minoris fidei aut autoritatis, quam præcedens, Alexander ſcilicet primus huius nominis, martyr ſanctiſſimus, qui ſextus poſt Petrum Romanam ſedem tenuit, & Adriani temporibus martyrio coronatus eſt: is in prima epiſtola ſua,quam ad omnes fideles miſit,fere omnia quæ nunc Catholica docet Eccleſia, de his diuinis altaris myſterijs approbat,& clara voce prædicat, his verbis: In ſacramentorum oblationibus,quæ inter miſſarum ſolennia a Domino offeruntur,paſſio Domini miſcenda eſt, vt eius cuius corpus & ſanguis conficitur,paſſio celebretur,ita vt repulſis opinionibus ſuperſtitionum, panis tantum & vinum aqua permixtum in ſacrificio offerantur: non debent enim vt a Patribus accepimus,& ipſa ratio docet, in calice Domini,aut vinum ſolum,aut aqua ſolum offerri, ſed vtrunq; permixtū, quia vtrunq; ex latere eius in paſſione profluxiſſe legitur. ipſa vero veritas inſtruit calicem & panem in ſacramento offerre,quando ait: Accepit Ieſus panem & benedixit,deditq; diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate,hoc enim eſt corpus meum,quod pro vobis tradetur. Similiter poſtquā cœnauit,accepit calicem,deditq; diſcipulis ſuis,dicēs: Accipite & bibite ex eo omnes,quia hic eſt calix ſanguinis mei,qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Crimina enim atq; peccata oblatis his Domino ſacrificijs,delentur. Idcirco & paſſio eius in his cōmemoranda eſt,qua redempti ſumus,& ſæpius recitanda,atq; hæc Domino offerenda:talibus enim hoſtijs delectabitur et placabitur Dominus,et peccata dimittet ingentia: nihil enim in ſacrificijs maius eſſe poteſt,quam corpus & ſanguis Chriſti,nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit:quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt,et pura mente ſumenda,atq; ab omnibus veneranda,et ſicut potior eſt cæteris,ita potius excoli et venerari debet. hæc ille. Multa hic habes ab iſto hærede apoſtolorum, et martyre ſanctiſſimo,circa diuina altaris myſteria prædicata,atq; clara voce confeſſa. Primo habes in ſacroſancta miſſa Euchariſtiam offerri. Secundo,corpus et ſanguinē Chriſti Ieſu in ea cōfici. Tertio, quod hæc confectio et oblatio Domino inſtruente introducta eſt: dixit enim,Sicut ipſa veritas nos inſtruit panem et calicem in ſacramento offerre. Quarto, quod crimina et peccata his ſacrificijs delentur: non tantum eius qui cōmunicat, ſed eius pro quo offertur,et repræſentatur,modo impedimentum non ponat,et hoc quidē ex vi ipſius inſtitutionis,et excellentiæ illius qui in his myſterijs offertur, et merito rei oblatæ, quod ſcholaſtici dicunt ex opere operato. Valent ergo ſacri-

Alexander primus.

ſicia oblata ad remiſſionem criminum & peccatorum, id eſt reliquiarũ, quæ in nobis remanſerunt poſt indulgentiam culparum. Et quod iſtud ſic debeat intelligi, ſatis clare patet. Nam cum hic Diuus affirmet, pura conſcientia debere offerri & ſumi hoc ſacramentum, conſtat non digne recipi, niſi conſcientia iam Deo ſit reconciliata. Quę erunt ergo hæc crimina & peccata, quæ dicit remitti propter oblationem & cõmunionem Euchariſtiæ? Certe non videntur alia niſi reatus pœnæ temporalis, quæ pro peccatis debetur, & aliæ peccatorum reliquiæ, quibus poſt peccatũ (adhuc quo ad culpam remiſſum) manet anima languens & infirma ad bonum operandum, & in via Dei incedendum: ob idq; ſancti viri diuinam Euchariſtiã animæ robur & fortitudinem ſolent appellare. Nec propter hoc putes diuinum hoc ſacramentum non ſuſtentare animam, aut minoris efficacię eſſe, quam reliqua Chriſti ſacramenta, quod primam gratiam non conferat, ſed ſuſcipientis recte diſpoſitam conſcientiam poſtulet, quia ſat eſt, quod illam augeat, et mirũ in modum animam ipſam confortet panis ille ſuperſubſtantialis & cœleſtis, ſicut nec dicendum eſt panẽ materialem iſtum, quo veſcimur, corpori non prodeſſe, quia ad hoc quod proſit neceſſe eſt ipſum corpus eſſe bene diſpoſitum. Et ſicut cibus materialis tanto magis prodeſt, quanto melius ille qui accipit eſt diſpoſitus, ſic etiã variatur ſacræ Euchariſtiæ profectus in cõmunicantibus. Quintum quod bis ſanctã Euchariſtiam, appellat ſacrificium maximũ. Sextum, quod ab omnibus coli, & ſummopere venerari debet: quorum contraria om̃ino tenent ſanctæ Euchariſtiæ aduerſarij. & quo magis confirmentur quæ dicta ſunt, ſcias ſanctum hunc Patrem, vt Platina & alij referunt, verba illa, Qui pridie ꝙ pateretur, vſq; in finem verborꝝ conſecrationis in ſacroſancta Miſſæ actione appoſuiſſe. Sicut Sixtus primus, qui huic Diuo ſucceſſit, ſanctus ter repetitũ, in eadem Miſſa ante conſecrationẽ dici voluit.

Sixtus I.

Theleſphorus,

Sanctus Theleſphorus, idemq; martyr, octauus a Petro in Romana Sede, Miſſarum celebrandarũ tempus ſtatuit, & ſacerdotes huius myſterij proprios miniſtros appellat. dicit enim nonnulla decernens, quæ a ſacerdotibus debent obſeruari circa hoc venerandum altaris ſacrificium: Nocte ſanctæ natiuitatis Domini Saluatoris Miſſas celebrent, & hymnum angelicum in eis ſolenniter decantent, reliquis vero temporibus Miſſarum celebrationes ante horam diei tertiam non ſunt celebrandæ, quia et eadem hora Dominus crucifixus eſt, et ſpiritus ſanctus in apoſtolos deſcendit. Veritatem autem corporis CHRISTI, & ſacerdotum peculiarem circa hoc poteſtatem in ſacramento, ſtatim cõmemorat hic ſanctus Pontifex, loquens de ſacerdotibus: Hi (inquit) qui proprio ore corpus Domini conficiunt ab omnibus ſunt obediendi, etc.

Decret. Theleſphori de Miſſa.

De

De Pio primo, martyre ſanctiſſimo, qui tēpore M. Antonij martyrio coronatus eſt, legimus in fide dignis hiſtorijs, quod cum prohibiti eſſent Chriſtiani huius Imperatoris edictis ſacra myſteria in publico loco conficere, ipſe in beatæ Potencianę domo ſacrificia faciebat, qui iuxta Gratianum, conſecrationem Eccleſiæ abſq; Miſſa fieri prohibuit, et ſacræ Euchariſtię particulas, quę in terram deciderint lambere iuſſit, mulctam pœnæ negligentibus adijciens: quę omnia veritatē corporis Chriſti in ſacramento demōſtrant, & ſacræ Miſſæ actionem probant. Pius 1.

Idipſum confirmat ſanctus Pontianus martyr, qui tempore Alexandri Mameæ exiliū pro Chriſto perpeſſus eſt, in epiſtola ſua ad Felicem de non vexandis ſacerdotibus, cuius verba ſunt hæc: De ſacerdotibus quos nos audiuimus contra prauorum hominum inſidias adiuuare, eorumq; cauſas portare, ſcitote vos in eo illi valde placere, qui ſibi eos ad ſeruiendum aſſeruit, et familiares in tantum ſibi eſſe voluit, vt etiam aliorum hoſtias per eos acceptaret, atq; eorū peccata donaret, ſibiq; reconciliaret, ipſi quoq; proprio ore corpus Domini conficiunt & populis tradūt. Quibus verbis, & Chriſti corporis veritas, & ſacerdotum poteſtas iterum clare ſatis exprimuntur, hoc idem approbante D. Fabiano martyre, qui tempore Philippi Imperatoris martyrio coronatus eſt, in ſecunda epiſtola ſua ad Orientales: Sacerdotes (inquit) Dominus ſibi elegit vt ſacrificent, & offerant Domini oblationes. Hęc de ſacroſancto altaris ſacrificio, & reali præſentia Chriſti redemptoris noſtri in eo, docebantur olim in Eccleſia Dei vnanimi conſenſu, tenore continuo, quando nulla in ea regnabat ambitio, nullus abuſus, quando denique apoſtolica ſimplicitas, & doctrina regnabant, & Ieſu Chriſti ſanguis in pectoribus fidelium feruebat, quam ætatem ſi recte ſupputes a Chriſti morte vſq; ad Diuū iſtum, fluxerunt anni ccxv. In qua iſti viri ſanctiſſimi, apoſtolorū diſcipuli, martyres Deo digni floruerunt, & Eccleſiam docuerunt, & ni fallor duodecim numero ſunt, qui noſtræ conſiderationi de venerando ſacrificio Miſſæ, & reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, & de gratia et valore eius ſubſcripſerūt. Atq; hi ſunt, Dionyſius, Martialis, Clemens, Ignatius, Anacletus, Alexander, Theleſphorus, Pius primus, Pontianus, Fabianus, omnes martyres & Pontifices Eccleſiæ. Pontia. Fabian.

Iam accedant teſtes ſubſequētis ętatis, viri ſanctiſſimi, qui diſcipulos apoſtolorū viderūnt, et cum eis conuerſati ſunt, vel ab eorū auditoribus ſunt edocti, qui huic ſanctæ Traditioni pręclara prębeāt teſtimonia.

Primus occurrit D. Irenęus doctor percelebris, qui Policarpum Ioannis apoſtoli diſcipulum dicit ſe vidiſſe, & cum eo cōuerſatum fuiſſe: qui libro iiij. cap. xxxiiij. loquens de Chriſto & de hac ſacroſancta oblatione, eadem omnino docet quæ præſens Eccleſia in his ſanctis Irenęus

altaris myſterijs confitetur: Suis (inquit) diſcipulis dat conſilium (Chriſtus) primitias Deo offerre ex ſuis creaturis: non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, cum ex creatura panis accepit, et gratias egit, dicens: Hoc eſt meum corpus: et calicem ſimiliter, qui eſt eadem creatura quæ eſt in nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, et noui Teſtamēti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat. de qua in Malachia: Non eſt mihi voluntas in vobis, etc. Per hæc ſignans, quoniā prior populus ceſſauit offerre Deo: omni autem loco ſacrificium offertur, et hoc purum. hæc ille. Multa habes ex verbis iſtius venerandi Patris, quæ Lutheranos & ſacramentarios in hac parte condemnant. Primo, inſtitutum Chriſti eſſe dicit altaris oblationem. Secundum, veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in his myſterijs fatetur, et quod Chriſtus hoc idem confeſſus fuerit illis verbis ſacratiſſimis: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: veraciter inquam, non in figura. Tertio, quod hanc doctrinā offerendi Eccleſia ab apoſtolis accepit in vniuerſo mundo, quæ omnia verbis tam clare egit, vt nulla poſſint nec confuſione, nec tergiuerſatione eludi. Poſt vero, capite quarto, hoc teſtimonio minime contentus, præſul hic beatus, longum texit de oblatione diuinę Euchariſtiæ ſermonem. Eccleſiæ oblatio quam Dominus docuit offerri in vniuerſo mundo, purum ſacrificium reputata eſt apud Deum, & acceptum eſt ei: non quod indigeat a nobis ſacrificio, ſed quoniam is qui offert, glorificatur ipſe in eo quod offert, ſi acceptetur munus eius. Per munus enim, erga regem et honos & affectio oſtenditur, quod in omni ſimplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre prædicauit, dicens: Cum offers munus tuū ad altare &c. Et addit, Offerre igitur Deo oportet, ſicut Moyſes dicit: Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Et paulo poſt: Sed genus oblationum reprobatū eſt. Oblationes enim illic in veteri Teſtamento, oblationes autem hic in nouo, ſacrificia in populo, ſacrificia in Eccleſia, ſed ſpecies immutata eſt. Vides quomodo ſacrificium viſibile & oblationem ex diuina inſtitutione dixit eſſe in Eccleſia, ſicut olim in populo Iſrael: hoc excepto, quod ſicut tranſlatum eſt ſacerdotium, tranſlata & mutata eſt ſpecies ſacrificij. Et infra, concludens vtramq; oblationem corporis & ſanguinis Domini, quæ in Eccleſia fit, viſibilem et inuiſibilem eſſe, diuerſis tamē rationibus, ſubiungit: Oportet nos oblationem Deo facere, & in omnibus gratos inueniri fabricatori Deo, conſcientia pura, & fide ſine hypocriſi, in ſpe firma, in dilectione feruenti, primitias eorum, quæ ſunt eius creaturarum offerentes: & hanc oblationem Eccleſia ſola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex eius creatura. Iudæi iam non offerunt, quia manus eorum repletæ ſunt ſanguine: ſed neq; omnes hæreticorum ſynagogæ

Malac. 1

Irenęus

gogę,quæ aliũ dicunt fabricatorẽ pręter patrem,quomodo autẽ conſtabit eis eum panẽ in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, et calicẽ ſanguinis eius,ſi nõ ipſum fabricatoris mundi filium dicũt? & quomodo dicunt carnẽ in corruptionẽ deuenire,& non percipere vitã,quæ corpore Domini & ſanguine alitur,quare aut ſententiam mutent, aut abſtineant ab offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ:& Euchariſtia rurſum confirmans ſententiam noſtram:offerimus ei,quæ ſunt eius congruenter, cõmunicationem, & vnitatẽ prędicantes carnis et ſpiritus, quemadmodum enim qui eſt a terra panis percipiens vocationem Dei,iam non cõmunis panis eſt, ſed Euchariſtia,duabus rebus conſtans,terrena & cœleſti,ſic et corpora noſtra percipientia Euchariſtiam,iam non ſunt corruptibilia,ſed ſpeciem reſurrectionis habentia.Hæc ille. Hic iterum habes quod Eccleſia Dei ſola offert ex primitijs creaturarum puram oblationem fabricatoris ſui. Habes etiam quod panis in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſt Domini, & calix ſanguis eius,et quod non cõmunis eſt panis poſt gratiarũ actionem,id eſt,verba illa conſecrationis,ſed Euchariſtia. Nec te moueat quod panem Euchariſtiã appellat, vt ſubinde putes panem materialem ibi manere,nec quod dixerit Euchariſtiã ex duabus rebus cõſtare, quarum alteram terrenam vocauit, nam vtrumq; verum eſt,& piũ ſenſum admittit:panis namq; cœleſtis,Chriſtus a ſanctis Patribus ſolet nuncupari,quo videlicet animæ noſtræ ſuſtentantur. et quicquid ſit de hoc, ſatis nobis eſt quod ipſemet autor ſe exponẽdo dicit,quod panis in quo gratiæ actæ ſunt corpus eſt Domini,iam ergo panis materialis non eſt, aliter locutio illa eſſet impoſſibilis:item ſi ipſe dicit quod non eſt communis panis poſt gratias,ſed Euchariſtia,quomodo putari poteſt,quod hic beatus cũ appellat panẽ Euchariſtiã, panem materialem intelligat? Iſta clariſſima ſunt. quod vero dicit ex duabus rebus Euchariſtiã conſtare,terrena et cœleſti,vero verius loquit̃:nam in diuina Euchariſtia ſacramentũ eſt,& res ſacramenti:ſacramentũ,ſigna illa ſunt ſenſibilia,hoc eſt panis materialis accidentia: res vero ſacramenti,ipſe Chriſtus cœleſti ſubſtãtia veraciter ibi cõtentus.et ſiue ſit ibi per modum ſubſtantiæ modo quodam ſpirituali,quod diuus Thomas ad mentẽ ſanctorũ antiquorum aſſeuerauit,et mihi magis arridet, ſiue ſit per modũ ſubſtantiæ et quantitatis,quãuis nõ habens modũ quantitatiuũ,vt alijs placet,q̃d nõ improbo,aut alio modo ſoli Deo noto,pinde mihi eſt:nolo ſcrutari, q̃d magis debeo admirari et adorare.Itaq; cũ dicit conſtare Euchariſtiã ex cœleſti natura,iã hic aperte fatetur pręſentiã realẽ Ieſu Chriſti hic vir apoſtolicus,nã cœleſtẽ appellauit,vt condiſtinguit a terrena:et id q̃dem abſque vllo fuco et ambage verborũ expreſſit. Quod ſi percunctetur aliquis, cum duo includat in ſe ſacra Euchariſtia, cœleſtem naturam

atq;

Pro quo ſuppo- nitur no men Euchariſtiæ. atq; terrenam, pro quo ſupponitur nomen iſtud Euchariſtiæ? Iudicio meo reſponderi poteſt, hoc nomen ſupponi pro accidentibus illis hoſtię conſecratæ, prout habet certum modũ ſe habendi, nobis ignotum, ad Chriſtum ipſum ſub illis accidentibus ſacramentaliter contentum. nõ enim placet mihi, quod nonnulli dicunt nomen Euchariſtiam ſupponi pro ipſo Chriſto, ibi cum cõnotatione illorum accidentiũ: quia tunc ratio ſacramenti non videtur poſſe Euchariſtiæ conuenire, ſaltem vniuoce: quod non videtur mihi ſatis docte, nec pie dictum. cum Dionyſius ſacramentum ſacramentorũ diuinam Euchariſtiã dixerit, item Alexander primus, & Tertullianus, & omẽs ſancti. Præter hoc enĩ quod ipſum datorẽ gratiarum continet, gratiã & robur dat digne ſumentibus, & his pro quibus offertur, modo recte ſint diſpoſiti. Quæ quidem gratia effectus eſt reliquorum ſacramentorum: quanta autem ſit, & quantum proſit accipientibus & his pro quibus offertur, ſolus Deus nouit: varij varia dicunt, nobis non licet iſta temere perſcrutari, ſed conſcientiam ad ipſam recipiendum magna diligentia parare, ne ad iudicium ſumamus ipſam vitam. In fine vero capitis expreſſe dicit hic ſanctus, quod ſicut olim dedit populo præceptum faciendi oblationem, quamuis non indigeret ea, vt diſceret Deo ſeruire, ſic & nos quoq; offerre vult munus ad altare frequenter, & ſine intermiſſione: quo nihil clarius dici poteſt ad altaris ſacroſanctam oblationem & ſacrificium aſtruendum. Nec video quid dici poſſit ab aduerſarijs gratiæ, ſi impudenter teſtimonia tantorũ teſtium, qui ab apoſtolis ſunt edocti, non volunt recipere.

Dionyſ.

Tertull. Tertullianus huic Ireneo coæuus, quia in nonnullis locis vbi de ſacris altaris myſterijs facit mentionem, vocabulũ hoc figura intertexuit, magnum negocium ſacramentarijs exhibuit, maxime Oecolampadio impio principi eorum. ſunt enim hoc ingenio hæretici, vt deteriora illis ſemper placeant, & ſi quid minus bene aut incaute ſcriptum in aliquo doctore eccleſiaſtico inueniunt, continuo ad ſtatuenda ſua dogmata transferunt: nihil de alijs recte ſcriptis curantes: eligentes (ſpreto Eccleſiæ magiſterio) primo opiniones quibus credant (nam hac ratione dicuntur hæretici) poſt vero quærunt in ſcriptura & doctoribus eccleſiaſticis locos quibus diſtorte intellectis, dogmata ſua quoquo modo vẽdibilia faciant. Tertullianus ergo libro quarto contra Martionem cum paſcha quod Chriſtus celebrauit, cõmemorat, hæc verba habet; quibus Sacramentarij dogma ſuum probant: Acceptum (inquit) panem, et diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, dicendo: Hoc eſt corpus meum, id eſt figura corporis mei. Hæc ſunt verba eius: vbi quia Tertullianus dixit figura, impij illi in diuina Euchariſtia nihil aliud q̃ panem materialem eſſe falſo affirmant, non reſpicientes ad id, quod prius dixit, ſcilicet quod acceptum panem Ieſus, corpus ſuum illum fecit: vbi verbũ illud

illud fecit,realem operationẽ ſignificat,qua panem omnipotentia ſua in ſuũ corpus cõuertit Dominus Ieſus.Quibus verbis non ſolũ præſentia corporis Chriſti in ſacramento affirmatur, ſed etiã conuerſio panis in ipſum corpus. Quod autem figura addidit,temperamentum pręcedentis ſententiæ eſt:ne ſcilicet corpus Chriſti extenſiue & viſibiliter in illis myſterijs contineri putaremus,ſed ſpirituali quodam modo ſub illis accidentibus,ſicut alij ſancti doctores fatentur. Itaq; Euchariſtia quantũ ad rem contentam,puta Chriſtũ,vera res eſt, in quem ſubſtantia panis eſt tranſmutata:quantum vero ad ſpecies illas accidentales, quæ ex pane remanent,ſymbolum & figura eſt:nam repręſentant nobis panem illum ſupercœleſtem, & vinum ſuperſubſtantiale,ibidem latentia. Adde quod ea ratione qua ſacrificium altaris repræſentat Chriſtum corporaliter pro nobis paſſum (non enim dicimus aliud in altari fieri ſacrificium, quam in cruce,ſed idem ſacrificium ſubſtantialiter quantum ad rem oblatam)in altari eſſe quod in cruce fuit, idcirco figura quodammodo dici poteſt. Quare cum vtrumque coniunxerit Tertullianus, veritatem & figuram,placuit iſtis,vt ſunt male affecti, id quod infirmius videbatur, puta totum figuram, & quaſi vanam rem dicere. Nec te moueat,quod autor iſte panem vocat ſacram Euchariſtiã multis in locis,nam (vt diximus)corpus Chriſti ſic ſolet aliquando nuncupari a Sanctis,iuxta illud Ieremiæ: Venite mittamus lignum in panem Ieremias eius. quod exponens Lactantius libro quarto, dicit corpus Chriſti pa- Lactan. nem eſſe dictum, quia ipſe eſt cibus et vita hominum. Et alijs adhuc varijs modis ſolet nuncupari,dicitur enim ſacramentum,& hoc eſt magis cõmune apud Latinos,ſancta ſynaxis.Hilarius appellat cibum dominicum, & Auguſtinus, viaticum, Hieronymus conuiuium, Cyrillus, myſticam benedictionem, alij myſterium, alij Euchariſtiam. Nec mirum, quod rem tam admirandam et ſtupendam, vno certo vocabulo non exprimat humana fragilitas, quæ ad DEI myſteria prorſus nutat atq; caligat. Et quod Tertullianus non tam impie ſen- Tertull. ſerit prout illi imponitur,ex alijs locis ſuæ doctrinæ licet apertam coniecturam facere.Nam libro de corona militis, Euchariſtiã ſacramentũ appellat.quod non eſſet, niſi ſpiritualem gratiam in ſe contineret: Euchariſtia (inquit) ſacramentum omnibus mandatum a Domino, quã antelucanis cætibus, nec de aliorum manibus, quam præſidentium ſumimus. Iam ergo primo habemus Euchariſtiam non vanam rem eſſe,ſed proprie ſacramentum. Rurſus in libro exhortatorio ad caſtitatem, recenſens ea quæ ſacerdos poteſt efficere, ſecundum ſanctificationem a Deo acceptam,dicit: Vbi eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, offert & tingit ſacerdos. Ecce iam fatetur Euchariſtiã offerri a ſacerdote, ac ſubinde ſacrificium ſuo tempore actionem illam offerendi fuiſſe

fuiſſe nuncupatam,non corã Eccleſia ſolummodo, ſed priuatim & in ſeceſſu:idipſum confirmante in libro de cultu mulierum Chriſtianarum,quibus dicit inducens eas ad cultum honeſtũ. Vobis nulla procedendi cauſa non tetrica eſt,aut eſt imbecillis aliquis ex fratribus viſitãdus,aut ſacrificium offerendũ. volens ex dignitate rerum, quibus debent adeſſe Chriſtianæ mulieres eas conſequenter ad veſtitum et cultus honeſtatẽ prouocare. Iam qui ſacrificium Euchariſtiam appellat, aliquid latens ſubinde fatetur, quod ſacrificetur. Hoc vero corpus Domini eſſe,lib. de pudicitia,loquens de ordine quem Deus & Eccleſia ſeruant in recipiendo impio peccatore affirmat,loquens de recens generato,quod accepto priſtino ſtatu,quem in Adam perdidit per baptiſmũ & fidem,inde (inquit)opimitate Dominici corporis veſcitur,Euchariſtia.ſ. Quare ſi in cõmunione Chriſtianus veſcitur opimitate corporis Chriſti dum cõmunicat,& nõ alio modo,Chriſtus ipſe in Euchariſtia datur,ac ſubinde in ea ſacramentaliter eſt. Tertullianus ergo noſtrarũ partium eſt,non aduerſariorum. & eſto quòd noſtrarum partium non eſſet,non ob id infirmiores eſſent partes Eccleſiæ, quippe quæ præter teſtimonium Dei quod in ſe habet, per quod minime falli poteſt, præſertim in re tam ardua,teſtes habet ſuæ veritatis innumeros, qui apoſtolos & Chriſtũ viderunt,vel cum eorũ diſcipulis conuerſati ſunt,hoc Tertulliano & doctiores & digniores & antiquiores,& in fide aduc ſolidiores,pręter eos qui illius ætate floruerunt, aut ipſum pręceſſerunt.

Cypria. Inter quos merito primus recenſeri debet,Diuus Cyprianus,martyrio clarus & doctrina excellentiſſimus,qui martyr nõ multo poſt Tertullianum effectus eſt, in ea quidem ætate, in qua Chriſti profeſſores paſſim pro Chriſto cędebantur,qui in ſuis epiſtolis, tractatibus & ſermonibus,nihil omittit circa diuinam Euchariſtiam eorum quæ pręſens eccleſia Catholica docet. Ex innumeris teſtimonijs quæ habet, illuſtriora recenſebo.

Epiſtola ij.primi libri ad Cornelium,loquens de admittendis his, qui in martyrio ſemel defecerunt ad cõmunionem Euchariſtiæ,duo nobis teſtificatur: alterum veritatẽ corporis & ſanguinis Domini in illis myſterijs: alterum, quod quotidie celebrari ſuo tempore ſacrificia dicit. Primus locus ſic habet: Viuentibus cõmunicatio a nobis danda eſt, vt quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus,munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Alter locus ſic:Epiſcopatus noſtri honor grandis & gloria eſt,pacem dediſſe martyribus,vt ſacerdotes qui ſacrificia Dei quotidie celebramus,hoſtias Deo & victimas præparemus,Et paulo poſt:

Idoneus

Idoneus non poteſt eſſe ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium,& mens deficit,quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit.Hic ſi bene aduertis,peculiarem effectum ſpiritualē tribuit reali & ſacramentali cōmunioni,prę illa,quæ per fidem ſolam fit.Eadē prorſus confirmante epiſtola quarta ad quoſdam epiſcopos Hiſpanię: In ordinationibus (inquit) ſacerdotum,non niſi immaculatos, & integros antiſtites eligere debemus,qui digne & ſancte ſacrificia Deo offerētes, audiri in precibus poſſint. & non multo poſt: Plebs obſequens præceptis dominicis,& Deum metuens,a peccatore præpoſito ſeparare ſe debet,nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere. hæc Cyprianus. Ex quibus verbis ſatis patet publica ſacrificia tempore Cypriani,a ſacerdotibus celebrari,& ad hoc munus exequendū ſpecialiter ordinari: quod hæretici negant. Quod vero nō ſit ſermo hic de laudis ſacrificio ſolū, vt cauillantur aduerſarij,ex eo patet,quia ad hoc munus in Eccleſia ſubeundum,non opus erat vt ſacerdotes ordinarentur,qui poteſtatē hanc haberēt peculiariter,cum quilibet Chriſtianus teneatur orare quotidie, & ſeipſum illi deuouere et laudare:de ſacrificio ergo altaris loquitur iſte ſanctus,quoties ipſum officio ſacerdotum adiungit,id quod clarius epiſtola ix. huius libri exprimit, vbi ſcribens ad presbyteros,et diaconos Furnianos,repręhēdit quendam Victorem,qui de ſeculo excedens Geminium Fauſtinum presbyterum,tutorem teſtamento ſuo nominauerit,contra ſtatutum cuiuſdam Africanæ ſynodi, quo cautū erat ne quis auderet altaris miniſtrū ſui teſtamenti procuratorem relinquere: cuius ſtatuti aſſignans rationē,dicit: Cum ſinguli diuino ſacerdotio honorati,& cuncti in clericali miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificijs deſeruire, & precibus & orationi vacare debeant. vbi ſatis clare diſtinguit altaris ſacrificium,a precibus. Poſt vero ſtatutū ſynodi ſuper hoc & pœnam eius recenſens,de altaris oblatione pro defunctis illuſtrē facit mentionē,his verbis:Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſidera̅tes, & ſalubriter prouidentes cenſuerunt, ne quis frater excedens, ad tutela̅ aut curam clericum nominaret,ac ſi quis hoc feciſſet,non offerretur pro eo,nec ſacrificium pro dormitionę eius celebraretur. Et ſubiungit, quid per oblationem & ſacrificiū intelligat: Neq; enim ad altare Dei, meretur nominari in ſacerdotum prece,qui ab altari ſacerdotes, et miniſtros ſuos auocare voluit. Hic nulla eſt in nomine ſacrificij æquiuocatio,qua poſſint euadere Eccleſiæ aduerſarij:nam de eo ſacrificio plane loquitur, quod in altari per ſacerdotes publice offerebatur, et vbi nomen defuncti pro quo ſacrificium offerebatur, recēſebatur.Et addidit Cyprianus: Ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio a ſacerdotibus datam,Geminium Fauſtinū presbyterum, auſus ſit auctorem conſtituere,non eſt quod pro dormitione eius apud nos fiat oblatio,aut depreca-

Africana ſynodus

O tio ali-

tio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur. Hæc Cypriani verba, nō ſolum ſacrificium & oblationem ſanctam Euchariſtiam vocant, ſed etiā pro peccatis mortuorum ſuo tempore ſalubriter offerri, apertis verbis teſtantur. Nec hoc quidem tanquam a ſe, aut ſuo tempore inſtitutum introducit, ſed vt iam conſuetudine peruetuſta in Eccleſia receptum cōmemorat.

DE SVFFRAGIIS DEfunctorum.

Clemen. EST orare pro mortuis etiā diuina Traditio, nec ab hoc ſancto ſolum cōmemorata aut cōmendata: Nam diuus Clemens in prima epiſtola ſua recenſens diuina monita, quæ Petrus apoſtolus prædicabat, inter alia pia opera iſtud Chriſtianum obſequium poſuit, quod ipſe docuerit mortuos ſepelire, diligenter eorū exequias peragere, & pro eis ad Deum preces fundere, eleemoſynaſq; dare. ſi ergo orare pro defunctis diuina admonitio eſt, vt hic aperte docet Clemens, quare non pro eis ſacrificium etiā offerre? Maxime cū D. Alexander martyr, vt dudū allegauimus, dixerit, his oblatis Domini ſacrificijs, crimina & peccata deleri, non viuorum ſolum, ſed omniū qui redemptoris Ieſu Chriſti poſſunt eſſe participes, vt ſunt animæ piorum defunctorum. Meminit horum ſuffragiorum etiā D. Dionyſius, cap. vij. eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Chriſtianæ ſepulturæ et exequiarum ritū deſcribens, his verbis: Accedens venerādus antiſtes precem ſacram ſuper mortuum peragit, precatur gratia illa, diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumq; in luce ſtatuat et regiōe, in finibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob, in loco vbi aufugit dolor & triſtitia, et gemitus. et infra declarat orationes has illis ſolum prodeſſe, qui pie in hac vita vixerunt, nempe illis qui nec ſimpliciter mali, nec ſimpliciter boni ſunt, vt dicit Auguſtinus. cuius ſanctæ Traditionis Tertullianus etiā meminit, in libro de corona militis, inter alia diuina et eccleſiaſtica tradita, & in lib. de Monogamia, inter Chriſtianæ viduæ officium, hoc aſſignat præcipuū, vt pro anima defuncti mariti oret, et refrigeriū eius interim adpoſtulet, et in prima reſurrectione conſortiū, et offerat annuis diebus dormitionis eius. Et lib. de anima, de precibus ſacerdotis pro defunctis memoriam etiā facit: Scio (inquit) fœminam quandam vernaculam Eccleſiæ, poſt vnicum et breue matrimoniū cum in pace dormiſſet, et morante adhuc ſepultura, interim oratione presbyteri componeretur, et primū habitū orationis manus a lateribus dimotas in habitum ſupplicem cōpoſuiſſe. Diuus Epiphanius idipſum conteſtatur, cum Aerianos impugnat (qui iuxta Auguſtinum libro de hæreſibus, capite quinquageſimo quinto pernicioſe etiā docuerunt nō debere in Eccleſia oblationes fieri

Margin notes: Dionyſ. (beside "Meminit horum ſuffragiorum"); Auguſt. and Tertull. (beside "dicit Auguſtinus … Tertullianus"); Epipha. and Auguſt. (beside "Diuus Epiphanius … Auguſtinum").

fieri pro mortuis)hoc modo: Proſunt autẽ hę preces pro defunctis, etiã ſi totam culpã non abſcindunt: & pro iuſtis & pro peccatoribus memoriam facimus. pro peccatoribus quidem, miſericordiam Dei implorantes. Diuus Chryſoſtomus idipſum homilia lxix. confirmat: Non temere (inquit) ab apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs defunctorum agatur cõmemoratio; ſciebant enim multum illis lucrum & vtilitatem multã inde conſurgere. cũ enim totus populus conſtiterit extenſis manibus & ſacerdotalis plenitudo ad tremendum ſacrificium, quomodo Deum pro his ſupplicantes non exorabimus? hæc ille. Qui etiam in Miſſa, quam cõpoſuit de ſpiritibus piorum defunctorum, orationem hanc habet, qua vſq; in hodiernũ diem vtuntur Gręci ſacerdotes. oratio hæc eſt: Reſpice nos Deus & memento omnium, qui dormierunt in ſpe reſurrectionis & vitæ æternæ, et requieſcere eos facito, vbi videtur lumen vultus tui: memento Domine omnis epiſcopatus orthodoxorũ. Et ſubdit etiam: Offerimus tibi rationale obſequiũ pro orbe terrarũ, & pro ſancta eccleſia Catholica. Ecce offerunt iſti Patres pro defunctis ſacrificium, non in gratiarũ actionem, ſed etiã in peccatorum expiationem. Diuus Ambroſius epiſtola conſolatoria ad Fauſtinum: Ego (inquit) non tam deplorandam, quam orationibus proſequendam reor, nõ mœſtificandã lachrymis, ſed magis oblatiõibus Domino cõmendandam. Item Auguſtinus in Enchiridio: Neq; negandũ eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificiũ mediatoris offertur. Idem confirmante in libris de ciuitate Dei cap. xx. et lib. ix. confeſſionũ, ſanctiſſimã matrem ſuam cõmendat, quod tempore mortis non fuerit ſollicita de pompa ſepulchri, ſed ſolum vt frequens memoria ad altare fieret. Et epiſtola ad Aureliũ affirmat, credendum eſſe oblationes pro ſpiritibus dormientiũ adiuuare. Quid plura? librum ſcripſit de cura agenda pro mortuis, vbi paſſim illa inculcat. Idipſum confirmante diuo Hieronymo, cum deſcribit mortem D. Pauli primi eremitæ, ſuper cuius corpus mortuũ dicit D. Antonium de more Eccleſiæ oraſſe. hæc ſunt verba eius: Obuoluto & extracto foris corpore, hymnos quoq; & pſalmos de Chriſtiana Traditione decantans, contriſtabatur Anthonius, quod ſarculum non haberet, quo terrã foderet. Gregorius magnus (vt legitur in decretis xiij. quæſtione ij.) dicit quod quatuor modis ſoluuntur animę defunctorum: aut oblatiõibus ſacerdotũ, aut precibus ſanctorũ, aut charorũ eleemoſynis, aut ieiunijs. Conciliũ Vallenſe tẽpore Theodoſij iunioris coactũ, de defunctorum oblationibus ſic decernit canone iiij. Qui oblationes defunctorum retinent, & Eccleſijs tradere remorantur, vt infideles ſunt ab Eccleſia reijciendi. Et in concilio Carthaginẽſi iiij. canone xcv. Qui oblationes defunctorum aut negãt, aut cum difficultate reddunt, tanquã

Chryſo.

Oratio Chryſo. pro defunctis

Ambroſ

Auguſt.

Hieron.

Gregor.

Synod. Vallenſ.

Syno. de Carthagine.

egentium

egentium necatores excõmunicentur. Recte ergo de conſuetudine peruetuſta totius Eccleſiæ, et maxime Romanæ, cum epiſcopus ordinat ſacerdotem, oblato illi calice cũ patena, ſic ipſum alloquitur: Accipe poteſtatem offerendi calicẽ, tam pro viuis ꝙ pro defunctis. Sufficiant hęc obiter a tempore apoſtolorum retuliſſe de ſacrificijs & orationibus pro mortuis: ne quis iam cum hæreticis exiſtimet, tam ſanctũ & pium obſequium auaritiæ ſacerdotũ Eccleſiæ iam labefactatæ deputandum.

DE COMMVNIONE SVB ALTERA vel vtraqꝫ ſpecie.

NVnc redeamus ad Cyprianum, et proſequamur huius ſancti ſacrificij tam annexa ꝙ conſequentia. Is enim epiſtola tertia, libro ſecũdo ad Cœcilium, improbans quorundam errorẽ, qui in calice Domini aquam ſolam ſine vino in altaris ſacrificio apponebant, aduerſus quos contendit, vtrũque miſceri debere ex Traditione dominica, & non vnũ ſine alio ad cõſecrationẽ parari, aperta voce ſanctam Euchariſtiã ipſum Chriſtũ eſſe dicit: Si qui (inquit) in præteritũ in calice dominico aquã ſolam offerendã eſſe putauerunt, quęrendũ eſt enim, ipſi quem ſint ſecuti: nam ſi in ſacrificio quod Chriſtus eſt, non niſi Chriſtus ſequendus eſt, vtiqꝫ id nos obaudire & facere oportet, quod Chriſtus fecit, ſcilicet, vt vtrumqꝫ miſceamus. Et paulo poſt: Quia paſſionis Domini mentionẽ in ſacrificijs facimus, paſſio enim eſt Domini ſacrificiũ quod offerimus, nihil aliud ꝙ quod ille fecit, facere debemus. Vides ꝗ aperte myſteriũ iſtud Chriſtũ et paſſionẽ eius tã clara voce affirmauit? Ex huius epiſtolæ locis nititur

Bucerus Bucerus cõmunionẽ ſub vtraqꝫ ſpecie, tanquã ſimpliciter neceſſariam probare, damnans ſubinde cõmunionem, quę modo eſt in Eccleſię vſu.

Scopus Cypria. ſed fruſtra hoc tentat: Nam B. Cypriani ſcopus pręcipuus in hac epiſtola non alius videtur, quam vt integre eo modo, quo Chriſtus diſpoſuit, oblatio fiat in altari, nihil de cõmunione ſtatuens. ſic eñ habet eius admonitio: Admonitos nos ſcias, vt in calice offerendo dominica Traditio ſeruetur, neqꝫ aliud fiat a nobis, quam ꝙd pro nobis Dominus prior fecit, vt calix q in cõmemorationem eius offertur, mixtus vino offerat̃. Adeſt ſcopus Cypriani, id ꝙd vnica quã adducit adhortatio, et ea quidẽ

Nota vini ſubſtantiationẽ in eo quod dicit vinũ fuiſſe. ſatis efficax, aperte indicat: Inuenimus (inqt) calicem mixtũ fuiſſe, quem Dominus obtulit, et vinũ fuiſſe, quod ſanguinem ſuũ dixit, vnde apparet ſanguinẽ Chriſti non offerri ſi deſit vinũ in calice, nec ſacrificium dominicum legittima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio et ſacrificium noſtrum reſponderit paſſioni. Cuius rationis vis et nodus in hoc ſtare videtur, quod quia in oblatione altaris repræſentatur Chriſti paſſio, neceſſe ſubinde eſt vt vinum offeratur in calice, quod in ſanguinem

conuer-

conuerſum cruētam Chriſti paſſionem repræſentat, qua ratione magis
confunditur ſecta Buceri, quam iuuetur: nam ſi faciendum eſt in obla-
tione quicquid Chriſtus fecit in cœna propter illam repræſentationem, Cypri-
cum laicalis cōmunio non repræſentat exacte Chriſti paſſionem, eo quod anus cō
communio nec eſt oblatio, nec includit repræſentatiue illud ſacrificiū, tra Bu-
ſed precipue confertur ad remiſſionem peccatorum ſuſcipientis, conſe- cerum in loco ab
quitur non eſſe neceſſarium ſub vtraq; ſpecie cōmunicare. Quod ſi alia ipſomet Bucero
via nos vellet vrgere, ex Cypriani verbis intendēs probare, quod quic- allegato
quid Deus fecit, debeamus nos facere, & quod in cœna fecerit & volu-
erit ſub vtraq; ſpecie cōmunicare fideles: nihil plane efficiet. Nam quod
Chriſtus cōmunicauerit ſub vtraq; ſpecie, nemo noſtrum dubitat: ſed
non continuo quidquid ille fecit, nos oportet facere, nam ille tradi-
dit ſuum corpus apoſtolis ſuis veſpere et non ieiunis, Eccleſia autē fre-
quentat ſacramentum mane, antequam corporalis aliquis cibus degu-
ſtetur: quod vero voluerit Chriſtus ſic nos facere, de hoc eſt quæſtio: &
hoc debuiſſet probare ille, quod non probat. Nam cū Chriſtus in cœ-
na ſolis apoſtolis Euchariſtiam dederit, non eſt certum quod verba illa,
Bibite ex eo omnes, extendi poſſint ad alios, quam ad apoſtolos & ſuc-
ceſſores eorum, ſicut neq; poteſtas conficiendi. Quod autē Paulus vo-
lens præſcribere Corinthijs modum cōmunionis, videtur velle verba
iſta eſſe generalia, dici poteſt, quod Apoſtolus illis verbis non voluit
præſcribere modum cōmunionis Corinthijs, nam nihil ibi de modo cō-
munionis explicat, ſed tantum proponit eis myſteriū in ſancta Eucha-
riſtia contentum, & modum quo a Chriſto inſtitutū eſt, quo magis eos
ad reuerentiam tanti ſacramenti inuitaret: in qua Corinthios valde cul
pandos intellexerat, vt ex tenore capitis videtur conſtare, & venerabilis
Haymo, in expoſitione huius loci videtur ſentire. Nec dubitamus mo-
dum cōmunionis ſub vtraq; ſpecie eſſe antiquiorem, & in antiqua Ec- Haymo
cleſia magis frequentatum. Cæterum cōmunionem ſub vna ſpecie ma-
xime pro infirmis, crediderim etiā fuiſſe in vſu apud priſcos Patres: nā
Ignatius in epiſtola ad Epheſios, commendat vt impræuaricabili ſenſu
frangant panem, qui eſt medicamentū immortalitatis, antidotū nō mo Ignatius
riendi: et nullam facit mentionē de vino. Adde quod in concilijs anti-
quis, & apud Cyprianum fit mentio de triplici cōmunione: laicali, & pe- Lib. 4. epiſto. 2
regrina, & ea qua ſacerdotes in altaris ſacrificio vtebantur. nec videtur Conci-
quid poſſet eſſe aut laica aut peregrina cōmunio, quam hæc quæ ſub liū Aga-
vna ſpecie fit. Ambroſius libro de ſacramentis, vbi de laicorum cōmu- thenſe
nione agit, non cōmemorat vinum, et ipſe loquēs de exitu fratris ſui Sa- Ambroſ
tyri, affirmat quod geſtaret ſacramentū in libello precum ſuarum, et ab
hoc ſeruatū eſſe ſe in naufragio. Hieronymus epiſtola ad Ruſticū refert
de Exuperio Toloſano epiſcopo, quod conſeruauerit Euchariſtiam in Hieron.

corbe iunceo, et Epiphanium ſolitũ Euchariſtiã geſtare ex collo ſuſpen-
Tripar. ſam. Eſt etiam illuſtre exemplũ in hiſtoria tripartita, lib. vi, quod tēpo-
re Fabiani Papæ martyris ante mille ducentos annos videtur accidiſſe,
vbi cum puer, nomine cuiuſdam Serapionis, qui morti iam proximus
erat, a presbytero peteret Euchariſtiam, et presbyter, quia nox erat cum
a ſe fuit petita, venire non potuiſſet ad infirmũ, puero dedit parum Eu-
chariſtiæ, vt ad infirmũ deferret: nullam faciens mentionē de ſanguine.
Cypria. Cyprianus narrat libro de lapſis, de quadam fœmina quæ Euchariſtiã
ſolum reſeruauit in theca, non ad aliud propoſitum vt creditur, niſi
Leo ad ſeorſum cōmunicandum. Et in quodam decreto Leonis primi, &
ſermone quarto de quadrageſima, diſtricte præcipitur, vt cōmunio non
fiat ſub vna ſpecie, propter hæreſim Manichæorum, et eorum qui
CHRISTVM corpus phantaſticum ſine ſanguine aſſumpſiſſe
prædicabant, et ob id Euchariſtiam ſine ſanguine ſumebant: quod cla-
rum argumentum eſt vſitatæ tunc cōmunionis ſub vna ſpecie: a cuius
tempore conſuetudo ſub vtraq; ſpecie iterum viſa eſt duraſſe vſq; ad
tempus Gregorij tertij, qui fuit poſt prima Hiſpanica Concilia, vbi etiã
Cauſæ introductæ cōmunionis ſub vna ſpecie. frequens fit mentio de cōmunione ſub vtraq;. Quando vero & per
quas cauſas hæc communio ſub vna ſpecie iterum recepta fuerit, &
vniuerſaliter introducta, certe me latet: & ſi diuinando non ſine appa-
rentia affirmari poſſit, eam a communione infirmorum, quam conſtãt
Synodo prima Cartha. in antiqua Eccleſia ſub vna ſpecie fuiſſe in vſu, defluxiſſe, & vt ex con-
cilij Carthaginenſis quarti, canone ſeptuageſimo ſexto colligitur, eo
quod ſanguis diu ſeruari non poterat, quin aceſceret, nec ſine periculo
effuſionis longe a ſacrario tranſportari, & minime omni hora diei no-
uum conſecrare liceret: poſt vero creſcente numero fidelium, maxime
coarctato iam tempore ad ſemel in anno cōmunicandum, vt ex con-
cilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio celebrato conſtat, ijſdem cauſis
pene vrgentibus, & adhuc alijs, nam multi ex ijs qui cōmunicare de-
bebant, tum viri, tum mulieres & puellæ, vinum non bibebãt, ſicut ne-
que hodie multis in partibus bibunt, quæ facile ad vomitum prouoca-
rentur (vt ipſa docet experientia) cōſuetudo illa circa omnes recepta eſt.
Aut forte propter aliquos hæreticos, qui non totum CHRISTVM
eſſe ſub altera ſpecierum ſacramentalium aſſerebant. Variat enim mo-
res ſancta Eccleſia multoties & formas loquendi, ad euitanda hæreti-
corum contagia, vt non ſolum verbis, ſed rebus ipſis populus doceatur
falſis hæreticorum dogmatibus non acquieſcere. Cum igitur nulla lai-
Ambroſ cis inferatur iniuria in hoc inſtituto, quippe qui Ambroſio & veritate
teſte, integrum Chriſtum ſumant, tam ſub vna quã ſub duabus: quę nã
obſecro ratio eſt vt propter inſtitutum variabile maiorum autoritate
introductũ, tam acriter vſq; ad pugnos rixentur cũ Eccleſia noui iſti
euange-

euangeliſtæ,cõmouentes populos, & Chriſti tunicam ſcindentes? Adde quod ſancta Eccleſia ad vtilitatẽ ſuorum fidelium poteſtatẽ videtur habere a ſpiritu ſancto variandi tempus, vſum,ritus, & quadamtenus ea quæ attinent ad ſacramenta.Legimus in Actis apoſtolorum Patres illos Eccleſiæ primos formã baptiſmi a Chriſto præſcriptam, pro tempore rationabiliter immutaſſe: et id quidẽ non ſine magno animarum profectu, baptizantes in nomine Domini Ieſu, & non in nomine Trinitatis.Et paulo poſt illorum ætatẽ vſq; ad tempora Auguſtini,Euchariſtia pueris recens baptizatis dabatur, vt frequens eſt memoria apud Tertullianum & Cyprianũ: quæ poſtmodum iuſtis de cauſis ſublata eſt. Olim etiam mortuis corporibus recens defunctis in ore ponebatur Euchariſtia,vt patet ex concilio Carthaginenſi tertio: quod tamen nemo nunc facit,aut facere audebit. Beatus Syluester in epiſtola ad Aegyptios,prohibet ne cõmunio detur per intinctam Euchariſtiã:qui mos etiã inoleuit. In Eccleſijs Africanis cõſuetudo erat,vt die cœnæ Domini,pranſi iam fideles cõmunicarent: quam generalis ſynodus vi. Conſtantinopolitana reuocauit, canone xxix. Rurſus,in die Paraſceues in tota vniuerſali Eccleſia ſacerdos non cõficit, ſed tantum accipit Euchariſtiã ſub vna ſpecie. Et primitus etiam in Eccleſia conſecrabatur Euchariſtia in fermentato pane,ad ſuperciliũ ſorte Iudęorũ deprimendũ. Poſt vero introducta eſt conſuetudo ſaltem in Latina eccleſia, vt in azymo cõficeretur. Quid quod materiã ſacramẽti Matrimonij multoties coarctauit et dilatauit Eccleſia? Nihil ergo eſt periculi,imo laudabiliter ſeruatur conſuetudo cõmunicandi ſub altera ſpecie: etiã ſi aliã non improbamus,modo maiorũ autoritate concedatur:maxime hac noſtra ętate, vrgentibus Vuiclephiſtis & ſacramentarijs, qui qa non credunt Chriſtũ accipi realiter nec ſacramentaliter ſub illis ſpeciebus, vtramq; ſpeciẽ improbe petunt,putantes non alio modo debite poſſe cõmunicare.Hęc ſic obiter dicta ſunt de modo cõmunionis ſub altera vel bina ſpecie,propter Bucerũ,qui adeo religioſus in Cyprianũ eſt,vt cum in ſexcentis locis eum impudenter neget, non pudet eum quem non recipit,contra Eccleſiam allegare, in vno aut duobus locis diſtorte intellectis.

Synod. Carthaginenſis

Syluest.

Synod. ſexta

Sed iam audiamus tertio Cyprianum, quatenus hanc noſtram Catholicam conſideratiõnẽ magis ac magis confirmet, qui in ſermone v. de lapſis, memorabile narrans exemplum, de quadam puella paruula a parentibus ſub tutela nutricis relicta,quę panem mero mixtum de idolorum immolatione,ſine vlla iudicij diſcretione, ſed tantũ nutrice eius miniſtrante,comedit: Ignoratione (inquit) obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum matrem inferret. Poſt vero cum huic puellæ inter alios ſacra communio per diaconũ miniſtraretur, dicit eã euomuiſſe, quia (inquit) in corpore & ore violato Euchariſtia permanere

Cypria.

non potuit, ſanctificatus enim Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit, tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas, ſecreta tenebrarum ſub eius luce detecta ſunt. quæ verba ſatis indicant diuinã maieſtatem in his ſacramentis adeſſe, & a Cypriano vt ſacrificia celebrata

Cypria.

fuiſſe. Rurſus ſermone vi. de oratiõe dominica, exponens illud, Panem noſtrum quotidianum, aperte appellat Euchariſtiam Chriſtum: Panis vitæ (inquit) Chriſtus eſt, quia Chriſtus noſter, cuius corpus contingimus, panis eſt, hunc autem panẽ dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiã quotidie & cibũ ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abſtinẽtes et non cõmunicãres a cœleſti pane prohibemur, a Chriſti corpore ſeparemur, ipſo prędicãte & monente: Ego ſum panis vitæ, qui de cœlo deſcendi, ſi quis ederit hũc panem, viuet in æternum: panem autẽ quem ego dederim, caro mea eſt pro ſeculi vita. Quando ergo dicit in æternum viuere ſi quis ederit de eius pane, manifeſtũ eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, et Euchariſtiam iure cõmunicationis accipiũt. Et concludit: Ideo panem noſtrũ, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, a ſanctificatione & corpore eius non recedamus. Ecce expreſſe dicit Euchariſtiam Chriſtum eſſe, & quod in cõmunicatione Euchariſtiæ corpus Chriſti attingitur, vbi obiter etiam præfationis qua ſacerdos vtitur ante conſecrationem Euchariſtiæ, & quæ in Miſſa dicitur, meminit hic ſanctus martyr: Ideo (inquit) ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo Surſum corda, vt dum reſpondet plebs, Habemus ad dominum, admoneatur nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere. Alijs tamen locis huius beati martyris relictis, vnum locum tantũ iam referamus, omnium aliorum longe illuſtriſſimũ, in ſermone de cœna Domini contentũ: vbi tractãs verba illa quibus hæc tremẽda myſteria conſecrãtur, hoc pacto docet: Ex

Cypria.

quo a Domino dictum eſt: Hoc facite in meam cõmemorationem, hęc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotieſcunq; his verbis, et hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemq; proficit, ſimul medicamentũ & holocauſtum ad ſanandũ infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens. Manifeſtata eſt etiã ſpiritualis & corporalis cibi diſtantia, aliud fuiſſe quod prius fuit appoſitũ et conſumptũ, aliud quod a magiſtro datũ eſt, & diſtributum. Quam diu cibi illi, qui ad diem feſtũ erant parati a conueſcentibus apoſtolis ſumebantur, veteris Paſchæ agebatur memoria, necdum Iudas ad veterem ritũ pertinens, diabolo inuadente & occupante animam eius egredi cogebatur, ſed vbi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſacrificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area exufflatus

eſt, &

eſt, et præceps cucurrit ad proditionem et prçcium, ad deſperationem et laqueum. Infra vero cum exponit illud Ioannis ſexto, Si manducaue- Cypria. ritis carnem filij hominis etc. de reali manducatione corporis Chriſti, quamuis ſpirituali modo facta (vt Auguſtinus etiam ſuper Ioannem) Auguſt. exponit, dicens: Hoc ſacramentum aliquando corpus ſuum, aliquando carnem & ſanguinẽ, aliquando panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternç. Panis iſte cõmunis in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus, ideoq; ex conſueto rerum effectu, fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quam ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri. Et paulo poſt: Panis iſte quem Chriſtus apoſtolis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro, & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur & latebat diuinitas, ita ſacramento viſibili ineffabiliter diuina ſe infudit eſſentia. Neſcio quid clarius aut apertius dici potuit, ad confuſionem vtriuſq; factionis, Sacramentariorum & Lutheranorum. nam et panem dicit aperte in Chriſti corpus accedente conſecratione tranſmutata, & diuinam eſſentiam in his ſacramentis ſe infundere, ita vt non ſolum corpus Ieſu Chriſti in illis ſolum ſit, ſed & Chriſti diuinitas per concomitantiam ibi adſit, a qua Chriſti corpus nunquam ſeparatur. Deinde quaſi colophonem his quæ dixit addens, qualiter Chriſti virtus hoc ſacramento cõmunicetur, exponit: Sacramenta (inquit) quantum in ſe eſt, ſine propria virtute eſſe non poſſunt, nec vllo modo diuina ſe abſentat maieſtas myſterijs, ſed quamuis ab indignis ſe ſumi vel contingi ſacramenta permittant, non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit. Nonne vides hunc beatum appoſite ſatis facientem differentiam inter hoc quod eſt recipere ſacramentum, aut rem ſacramenti, quod alibi Auguſtinus videtur approbaſſe? ſunt enim qui ſpiritualiter tantum cõmunicant, de quibus dicit Auguſtinus: Crede & Auguſt. manducaſti. Item alij ſacramentaliter tantum, vt qui indigne communicant. Rurſus vero alij, qui ſpiritualiter & ſacramentaliter corpus & ſanguinem Domini participant, myſterij gratiam recipientes. Hanc diſtinctionem quia aut non nouerunt, aut non receperunt hæretici, in fide ſola putarunt huius ſacramenti communionem fieri, & Auguſtinum ad ſe in hac parte pertinere: id quod ſtatim falſum eſſe ex ipſius Auguſtini doctrina palam faciemus. Suffragatur etiam huic noſtræ de exiſtẽtia reali corporis Chriſti in altaris myſterijs veritati Origenes contra Celſum, qui ideo dixit ſacramentum hoc Euchariſtiã vo- Origen. cari, quia totius gratiæ fontem continet, hæc enim ſunt verba eius: Sed & diuus noſter Laurentius martyr, vt tradidit Ambroſius

ſecundo

ſecundo officiorum libro, quia Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus a beato Sixto fuerat creatus, dum ipſum Sixtum ad paſſionē ductum alloquitur, miniſtrū corporis & ſanguinis Domini clara voce ſe nuncupat: Experire (inquit) vtrum idoneū miniſtrum elegeris, cui cōmiſiſti Chriſti ſanguinis diſpenſationē, cui conſummandorū conſortiū ſacramentorum, huic ſanguinis tui conſortiū denegas? Diuū Stephanū martyrem & Pontificem huius nominis primū, etiam legimus fuiſſe ab idolatris occiſum, dū Miſſæ ſacrificia perageret, qui de ſacratis veſtibus quibus ſacerdotes in perficiendo altaris ſacrificio vtuntur, inſtituit, ne ad alios vſus, neq; ab alijs quam a ſacerdotibus vſurparentur, in epiſtola quā ſcribit ad Hilarium: Veſtimenta (inquit) eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, cultuſq; diuinus omni cū honorificentia & honeſtate a ſacerdotibus reliquiſq; Eccleſiæ miniſtris celebratur, ſacrata debent eſſe & honeſta: quibus alijs in vſibus, quam in eo cuius ſeruitio dicata ſunt, nemo debet frui, quæ neq; ab alijs debent contingi aut ferri, niſi a ſacratis hominibus, ne vltio quæ Balthaſar percuſſit, ſuper talia præſumentibus veniat. Vbi vides veſtes ſacras ad diuina ſacrificia peragenda in Eccleſia illa martyrū iam fuiſſe introductas. Nam et diuus Clemens, ſecunda epiſtola ſua nonnihil de hoc apparatu altaris cōmeminit, vt de veſtibus, de palla, candelabro & velo. et diuus Anacletus ſacris indutos eſſe veſtimentis altaris miniſtros dixit, in prima epiſtola ſua quam allegauimus.

Stepha. · Clemens · Anacleto

Fœlix primus martyr, qui ſub Aureliano Imperatore paſſus eſt, ex decreto Synodi a ſe celebratæ, Galliarū epiſcopis præcipit in ſecunda epiſtola ſua, ſupra memorias martyrū Miſſas celebrare: Vobis (inquit) & omnibus Eccleſijs tenendū & agendū mandamus, vt ſuper memorias martyrū Miſſæ celebrentur, ne memoria eorū a gentilibus extingui, aut veneratio poſſit prohiberi. Vbi ſimul cū Miſſæ ſacrificio venerationē martyrum tibi inculcat, ſuo tēpore iam vſitatam, hic ſacratus Pontifex.

Felix

Marcellinus martyr qui ſub Diocletiano paſſus eſt, contra quoſdam qui altaris ſacrificia ſolum Deo patri debere offerri affirmabant, hoc modo decernit, ſacrificij altaris venerandā agens memoriā: Sacrificium (inquit) quod a Chriſtianis ſacris altaribus admouetur, non ſolū Deo patri, ſed etiam filio cōmuni deuotione offertur, quoniam nec patri ſine filio poteſt offerri, neq; a filio ſine patre ſentiri. Hæc a Chriſto paſſo vſq; ad Diocletiani tempora per trecentos continuos annos, docebat Eccleſia Dei, de ſacrificio Miſſæ, de veritate corporis Chriſti in ſacramento, et tranſubſtantiatione, prout teſtati ſunt illi ſancti martyres & amici Dei. Item de veſtibus ſacris et altaris vaſis, nec non et de multis alijs quæ in ſacroſanctæ Miſſæ actione hodie ſeruat & recitat Eccleſia: nam et veſtium & vaſorum meminerunt Clemens, Anacletus et Stephanus martyres,

Marcellinus

tyres, & hymni angelici & temporis Miſſæ celebrandæ Theleſphorus. Qui pridie quam pateretur, Alexander martyr vt recitaretur in Miſſa inſtituit. Sanctus ter repetitum Syxtus primus, Præfationis vero, D. Cyprianus: item D. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum, aliarum orationum & nominũ recitationis in Miſſa honorificam mentionem facit. Adde quod in canone apoſtolorum de incenſo & lucernis ad altare Dei admotis, tempore ſacrificij fit memoria, & B. Auguſtinus illorum verborum canonis meminit, aſcriptam, ratã, rationabilem. & de D. Cœleſtino legitur, quod introitum in Miſſa dicendũ ſtatuerit, qui Auguſtino fuit coætaneus: ne putent nouatores iſti totum canonem & apparatum Miſſæ paulo ante tempora Gregorij eſſe compoſitum. Syxtus August.

Reſtat iam pro noſtræ conſiderationis complemento, vt ad pacificã Eccleſiæ ætatem veniamus, in qua reddita ei pace per Conſtantinum magnũ, pro martyribus glorioſis, quos præcedens ætas nobis produxit, ſucceſſerunt confeſſores egregij, doctores ſanctiſſimi: caſta certe generatio, in quibus magnopere & puritas conſcientiæ & eruditio doctrinæ refulſit. cuius imperij initijs inter alia multa quę Eccleſiæ aduenerũt proſpera, vt narrat Euſebius libro octauo, illud fuit potiſſimum quod Chriſtianis ſacerdotibus immolandi ſacrificij liberum permittebatur officium, hæc enim ſunt verba Euſebij: Contra vero inter diſpendia quæ impietate Iuliani præſenſit Eccleſia, illud aſſignat præcipuũ, quod ara & immolatio nuſquã in Eccleſia comparebant, lib. x. Nunc ad ſanctos illius ætatis accedamus, præcipuos vtriuſq; Eccleſiæ patres producemus, adiectis nõnullis antiquarum & percelebriũ ſynodorum teſtimonijs, quæ multum ad noſtram conſideratione͂ pertinebunt. Euſebi. Iuliani impietas.

Procedat cum primis magnus ille Athanaſius, qui in libello illo de Chriſti imagine, qui oblatus eſt Patribus apud Cęſaream Cappadociæ congregatis, expreſſe negat, ex carne & ſanguine Chriſti aliquid in mundo inueniri, niſi illud quod in ara altaris per manus ſacerdotũ quotidie ſpiritualiter efficitur. Et in libro de peccato in ſpiritum ſanctũ, carnem Chriſti in Euchariſtia eſſe aperte affirmat: quæ verba ad ſignificationem et figuram minime poſſunt torqueri. Athanaſ.

Gregorius Nazianzenus in prima inuectiua contra Iulianũ, narrans illius impij apoſtatæ impietates, dicit: Mox in incruenti ſacrificij oblatione manus cõmaculat, per quod nos Chriſto vnimur, nec non paſſionis & diuinitatis eius participes reddimur. Et paulo poſt ad præfatum Iulianum ſe conuertens, ob id quod altaris ſacrificium ſacroſanctum prophanauerit, dicit: Tu ne contra Chriſti fidem & hæreditatem? tu ne contra Chriſti ſacrificium tuis ſpurcitijs? tu ne contra ſanguinem per quem expiatus eſt mundus inſurges? Hic non ſolum ſacrificium appellauit altaris myſteriũ, ſed in ipſo verum Chriſti Nazianzenus

ſangui-

ſanguinem contineri abſq; vllo verborum ſuco conceſſit. De hoc diuo Pontifice narrat Sozomenius lib. ix. cap. viii. Tripartitæ hiſtoriæ, quod intra ciuitatem in paruo oratorio ſacra celebrabat, quod poſtea principes magnæ Baſilicæ copulantes, ipſam Anaſtaſiam vocauerunt. vbi vides priuatas Miſſas antiquitus celebratas.

Baſilius

Concordat his diuus & magnus Baſilius, in expoſitionē pſalmi viceſimi tertij, ſuper illo, Guſtate & videte: Quādo vero (inquit) panis eſt ipſe Dominus noſter, & caro ipſius vere cibus, neceſſe eſt voluptatē lætitię panis, per guſtum intellectualem nobis accedere. et libro de baptiſmate, capite tertio: Oportet accedere ad corpus & ſanguinem Chriſti, in cōmemorationem ipſius, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit.

Item in quæſtionibus diffuſe diſputatis ab eo, quęſtione ſecunda, inuitans ſuos ad dilectionem Dei, inter innumera beneficia a Deo nobis exhibita dicit: quod requiem nobis parauit æternam, quod ſua paſſione nos redemit, quod ſe fecit ſocium & fratrem noſtrum, denicq; quod ſe prębuerit in cibum: & non videtur qua in re niſi in ſacramēto Euchariſtiæ. Item in dialogo ſuo de dignitate ſacerdotij, adorandum filium Dei cum carne in altaris hoſtia contineri, abſq; vllo verborum inuolucro prædicat: O miraculum (inquit) o Dei in nos beneuolētia, qui ſurſum ſedet ad dexteram patris, ſacrificij tēpore hominū manibus continetur, traditurq; lambere cupientibus eum, & cum benedictione complectitur: fitq; hoc totum ſub oculis humanis, cum ſacerdos ſpiritū ſanctum aduocauerit, & reuerendam illam hoſtiā immolauerit. Expende qualis oporteat manus eſſe tantarum rerum miniſtras, qualem oporteat eſſe linguam verba illa fundentem, aut quo genere munditiei & ſanctimoniæ ſanctam oportet eſſe animā talis ſpiritus receptricem. Tunc etiā angeli circumſtant ſacerdotem, & tribunal ac altaris locus cœleſtibus virtutibus adimpletur, in honorem illius qui immolatur. hæc Baſilius.

Baſilius

Gregor. Cuius verba videtur vſurpaſſe magnus Gregorius, quarto libro dialogorum, cum in ſacroſanctum altaris ſacrificiū incidit, affirmans in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio, angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terram cœleſtibus iungi. Illuſtrius tamen teſtimonium diui Baſilij ſuper hac re in libello de Miſſa ab eo compoſito continetur, quod ſic habet: Rogamus te Domine, vt veniat ſpiritus ſanctus tuus, ſuper nos & ſuper hæc propoſita munera, & benedicat ea ſanctificetq;, & faciat hunc eundem panem pręcioſum corpus, & vinum pręcioſum ſanguinē Domini ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui effuſus eſt pro mūdi vita. Gratias tibi agimus o magne et ſancte Baſili, quod tam apertis verbis rem de qua agimus, aperuiſti, et nullum locū perditiſſimis his factionibus, quæ contra altaris ſacramentū, pignus pręcioſiſſimum hæreditatis noſtræ, tam im-

Baſilius

pudenter

pudenter latrant reliquiſti, nam & tranſmutationem panis in Chriſti corpus, & vini in Chriſti ſanguinem, veramq; & realem præſentiã ibidem apertiſſime faſſus eſt.

Confirmat hoc ipſum D. Epiphanius in anchoratu, vbi tractans cõſecrationis myſteriorum verba, talem nobis circa præſentem conſiderationem ponit ſententiã, Videmus quod accepit ſaluator in manus ſuas: veluti euangelium habet, quod ſurrexit in cœna & accepit hæc, & vbi gratias egiſſet, dixit: Hoc meum eſt, hoc & hoc: & videmus quod, non æquale eſt, neq; ſimile: non imagini in carne, non inuiſibili deitati, non lineamentis mẽbrorum, hoc enim & rotundæ formæ, et inſenſibile quãtum ad potentiã: et voluit per gratiam dicere hoc eſt meum: & nemo non fidem habet ſermoni, qui enim non credit eſſe ipſum verum ſicut dixit, is excidit a gratia & ſalute. Exciſus eſt ergo a gratia, ſicut ab Eccleſia impius ſacramentarius, qui verbis Chriſti nõ credit, quibus dixit, hoc meum eſt, & non hoc ſignificat, vt ipſe corrupte interpretatur. Ex verbis iſtius magni & ſancti Pontificis, duo clare habes ad noſtrũ propoſitum pertinentia: Alterum, quod in altaris myſterijs corpus et ſanguis Chriſti vere conficiuntur, ſicut ipſa verba Chriſti dicunt: Alterũ, q̃d corpus et ſanguis Chriſti non cõſiſtunt illic modo quãtitatiuo, ſed ſubſtãtialiter et realiter, vt Catholica nũc tenet eccleſia: ſacrificium vero noui Teſtamẽti, eſſe in Eccleſia Dei, cũ hic pater venerabilis Collridianos hęreticos impugnat, affirmat, dicens: In Eccleſia Chriſti mulieribus non licere ſacrificare, quanquam donũ prophetię illis concedatur: quod de alio ſacrificio intelligi nequit, quam de eo quod in altari offertur. *Hoc ē corp' meū.*

Subſcribit etiam his Theophilus Alexandrinus patriarcha, iſtis ſanctis coæuus, in libro paſchali cõtra Origenem, vbi vnum ex erroribus illius recenſens, quod dixerit a ſpiritu ſancto nõ ſanctificari res inanimatas, ait: nõ recogitat aquas in baptiſmate aduentu ſpiritus ſancti cõſecrari, panemq; dominicum quo ſaluatoris corpus oſtenditur, et quem frangimus in ſanctificationem noſtri, et ſacrum calicem, quæ in menſa Eccleſiæ collocãtur, per inuocationem ſpiritus ſancti ſanctificari. Theophilus Alexandrinus

Euſebius Emyſenus tantopere a D. Hieronymo lib. de viris illuſtribus laudatus, de diuinis his ſacramẽtis apertiſſimum quoq; nobis prębuit teſtimonium: quod in decretis habetur, diſtinctione ij. Magnitudinẽ cœleſtiũ, merito cœleſtis cõfirmat autoritas, quia caro mea vere eſt cibus, et ſanguis meus vere eſt potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidẽ quia qui dator eſt muneris, ipſe eſt teſtis veritatis: nam viſibilis ſacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiã ſui corporis et ſanguinis ſui, verbi ſui ſecreta poteſtate, conuertit, dicens: Accipite et bibite, hic eſt ſanguis et corpus meum. Ergo ſicut ad initium pręcipientis Domini repente ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, pro- Euſebius Emyſenus

funda fluctuum, vaſta terrarum, pari potētia in ſpiritualibus ſacramentis, verbi præcipit virtus, & rei ſeruit effectus. Ecce habes ibi non ſolum Ieſu Chriſti realem præſentiam in ſacramēto altaris, ſed quod in corpus eius benedictum, panis & vinum tranſmutentur.

Chryſo. Peruulgatus etiam eſt libellus de ſacroſancta Miſſa, quem D. Chryſoſtomus compoſuit, qua tota Græcia vtitur, in quo centies fit mentio de hoc ſacrificio, & reali corporis Chriſti præſentia, & legentibus paſſim obuia eſt: qui de vera tranſmutatione in myſterijs altaris, hæc habet verba, loquens de Chriſti cœna: Non ſunt humanæ virtutis hæc opera, quę in illa cœna Chriſtus effecit, ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit, miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui vero hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. hęc Chryſoſtomus. Nil reſtat quod deſiderari poſſit ab hoc ſancto patre, nam tranſmutationem panis & vini in corpus & ſanguinem, & veritatem Chriſti corporis & ſanguinis, miniſterium ſacerdotis, & mirabilem Dei virtutem in eo clara voce patefecit.

Ephren. Venerabilis Ephren magno Baſilio olim familiaris, idemque ſanctiſſimus, et Ediſcnæ eccleſiæ archidiaconus, etiam in libello de natura Dei minime ſcrutanda, haud obſcurum huic rei exhibet teſtimonium, capite quinto: Eſto (inquit) fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui, fide pleniſſima, certus quod agnum ipſum integrum comedis: ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli temere ea perſcrutari, ne in ipſorum participatione comburaris. Et infra: Hoc ſane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod fecit nobis vnigenitus filius Chriſtus ſaluator noſter, ignem & ſpiritū manducandum ac bibendum præſtitit nobis, carne veſtitis, corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum. hæc ille. Quorſum tanta admiratio, quorſum tanta exaggeratio miraculi, ſi in altaris ſacramento ſolum ibi ſignificatur et repręſentatur Chriſtus, & non eſt? Certe non eſſet quod admiraretur iſte ſanctiſſimus, ſi fide cordis non intueretur dominicam maieſtatem, ſub accidentibus Euchariſtiæ latere, nec eſſet magis admiratiōe dignum hoc ſacrificium, quam agnus ille paſchalis, quem carnaliter occidebant Iudæi, qui typus et repręſentatio erat Chriſti paſſionis, pro libertate hominum Deo offerendæ.

Cyrillꝰ Non ſilet hanc etiam cœleſtem veritatem ſanctus pater Cyrillus, imo apertis eam verbis prædicat, quoties Euchariſtiæ materiam obuiam habet, maxime ſecundo libro ſuper Leuiticum, tractans illud, Ego ſum panis vitæ: Quid igitur (inquit) pollicetur? Quid credentibus affert? Corruptibile certe nullum, ſed benedictionem, quam communicatione corporis & ſanguinis Chriſti aſſequimur. Vnde ad eam corruptionē integre reducemur, vt cibo et potu corporali nō indigeamus. Viuificat enim corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit:

non

non enim alterius cuiuſdam,ſed ipſius vitæ corpus eſt, virtutem incarnati verbi retinens,& plenũ poteſtate illius,quo vniuerſa fiunt & ſunt. Neſcio quid clarius dici potuit ad probandam realem pręſentiã dominici corporis in altaris ſacramento,nã dixit ibi eſſe corpus vitæ, retinens virtutem incarnati verbi. Idem loquens de decẽ panibus propoſitionis, libro decimo tertio in Leuiticũ,quantum differant a pane cœleſti, qui eſt corpus Chriſti,in euangelio,aurea verba habet de ſacroſancta altaris cõmemoratione,ſi referantur: Hæc(inquit)ad myſterij magnitudinem inuenies cõmemorationem iſtam habere ingentem propitiationis effectũ:ſi redeas enim ad illum panẽ,qui de cœlo deſcendit, & dat huic mundo vitam,illum panem propoſitionis,quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine eius, et ſi reſpicias illam cõmemorationem,de qua dicit Deus:Hoc facite in meam cõmemorationem , inuenies quod iſta eſt cõmemoratio ſola,quæ propitium facit hominibus Deum. Aperte ſatis explicuit hic ſanctus per cõmemorationem huius ſacrificij reddi Deum nobis propitiũ, & realem Chriſti in myſtica benedictione pręſentiã,& verba etiã quibus freti, iſta conficiant ſacerdotes,iſtuc ipſum apertioribus verbis in expoſitione vi. capitis euangelij Iohannis, tractans illa verba, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnẽ filij hominis &c. exprimit:Non poſſunt cũ ſanctificatione beatę vitæ eſſe participes,qui per myſticam benedictionẽ Ieſum non ſuſceperint: vita enim ſecũdũ naturam ille eſt , qui ex viuo patre genitus eſt. Sed non minus corpus ſuũ viuificat, coniunctum enim eſt ineffabiliter filio Dei,a quo vniuerſa viuificantur. Et paulo poſt:Quoniã igitur ſaluatoris caro,verbo Deo quod naturaliter vita eſt,coniuncta eſt, viuifica effecta eſt:quando eam comedimus,tunc vitã habemus in nobis,illi coniuncti,quæ vita effecta eſt.hac de cauſa in exuſcitandis mortuis non ſolum verbo & imperio,ſed carne ſua velut cooperatrice Deus vtebatur,vt re ipſa oſtenderet carnem quocꝫ ſuã , quoniam ſibi coniuncta eſt,viuificã eſſe. Et paucis interpoſitis,aſſignans differentiã inter manna & iſtud ſanctum cibarium,ait:Non erat ille cibus verus,qui famis breue remediũ tantum erat,ſed iſta caro, quæ immortalitatem donat: nec ille potus aquarum verus,ſed potus ſanguinis Chriſti, quo radicitus mors euertitur: nõ enim hominis ſimpliciter ſanguis eſt,ſed eius qui naturaliter vitæ coniunctus,vita effectus eſt : propterea corpus & mẽbra Chriſti ſumus,quia per hanc benedictionem myſterij ipſum filium Dei ſuſcipimus. Iam nihil eſt hic quod ſubterfugere poſſint refractarij,nam vere et realiter dicit per myſticam benedictionẽ Chriſtũ ſumi.et ne aliquis intelligeret hanc coniunctionẽ hominis cõmunicantis & recipientis Chriſtum,tantũ fide & charitate fieri:audi quid dicat ſuper illud, Ego ſum vitis vera:Conſiderandum eſt,non habitatione ſolũ

quæ per charitatem intelligitur, Chriſtum in nobis eſſe, verumetiam & participatione naturali: nam quemadmodũ ſi quis igne liquefactam ceram, alij ceræ ſimiliter liquefactæ ita miſcuerit, vt vnum quid ex vtriſq; factum videatur, ſic cõmunicatione corporis & ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis, & nos in ipſo: non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis ad incorruptibilitatem & vitam traduci, niſi naturalis ei vita coniungeretur. Nulla confuſione aut ambage verborum ſaſſus eſt catholicas veritates circa diuinum altaris ſacramentum, hic ſanctus pater Theophilactus Vulgarorum epiſcopus, exponens illud, Panis quẽ ego dabo, caro mea eſt: Attende (inquit) quod panis, qui a nobis in myſterijs manducatur, non eſt figuratio quædam carnis Domini, ſed ipſa caro Domini: non enim dixit figura eſt, ſed caro mea eſt: transformatur enim archanis verbis panis ille per myſticã benedictionẽ, & acceſſionem ſpiritus ſancti, in carnem Domini. Audi ſacramentarie hunc venerabilem Pontificem aperte cum alijs fatentem, & tuam ſententiam clara voce damnantem, dixit enim non eſſe in myſterijs figura duntaxat corpus Domini, ſed per veram & realem præſentiam, in quod ſine fuco aliquo affirmauit panem tranſmutatum eſſe. De eccleſia Latina non eſt quod multum immoremur in producendis huius ætatis teſtibus, cum tot ſunt & tanti vt aduerſarijs Eccleſiæ videantur ſuſpecti. Paucos afferemus, qui ante mille & centũ annos fuerunt, & hos quidem præcipuos Latinæ eccleſiæ proceres: Vidimus Irenęũ, Tertullianũ, Cyprianum, & Patres alios apoſtolorũ diſcipulos, nunc recenſemus alios.

Beatus Hilarius ix. de Trinitate tractans illud, Qui manducat meã carnẽ, et bibit meũ ſanguinẽ, in me manet, et ego in eo: De veritate (inqt) carnis et ſanguinis, nõ eſt relictus ambigẽdi locus. Nunc enim et ipſius Domini profeſſione et fide noſtra, vere caro eſt et vere ſanguis eſt: et hęc accepta atq; hauſta, id efficiũt, vt et nos in Chriſto, et Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas non eſt? Eſt ergo in nobis ipſe per carnem, et ſumus in eo, dum ſuum hoc q̃d nos ſumus in Deo eſt. Et poſt pauca: Hęc ergo vitæ noſtrę cauſa eſt, quod in nobis carnalibus per carnem Chriſtum manentem habemus, victuris nobis per eum, ea conditione, qua viuit ille per patrem. hæc Hilarius.

Ambroſ Diuus Ambroſius, in cõmentarijs epiſt. ad Hebręos: Semel (inquit) oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens, quid ergo nos, nõne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius, et vna eſt hoſtia, non multæ. iam hic habes per hunc beatum, Eccleſiam quotidie offerre, non aliud, quam quod in cruce oblatum eſt, vnde habes q̃d licet Chriſtus ſemel introierit Pontifex factus in ſancta (vt inqt Apoſtolus) hoc intelligi debet de oblatione illa, qua per acceptationem mortis voluntarię, ſe obtulit Deo patri pro noſtra reconciliatione: in altari vero

quoti-

quotidie,ad illud beneficium ingens repræſentandum,prout ipſe præcepit,mortem enim Domini iuxta Apoſtolum annunciamus, donec veniat. Quare non multiplicamus ſacrificia,vt aduerſarij falſo putant, ſed vnum & idem eſſe dicimus, quantum ad rem oblatam: quãuis non ſit idem modus offerendi. id quod apertius non multo poſt dicit: Quod nos facimus in cõmemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc facite (inquit)in meam cõmemorationem. Non aliud ſacrificium, ſed ipſum ſemper offerimus. Magis autem ſacrificij recordationẽ operamur. Poſt vero de eadem altaris oblatione loquens,ſubiungit:In iſta carne & ſanguine nil cruentum, nihil corruptibile mens humana concipiat,ſed viuificatricem ſubſtantiã in pane et vino credat,per quæ ſi digne ſumantur,nobis eſt peccatorum remiſſio collata. hæc ille. Et ne ex ijs verbis ſuſpicetur aliquis Lutheranus panis & vini ſubſtantiam, cum Chriſti corpore & ſanguine ſimul ibi manere, videat quid de tranſubſtantiatione intellexerit iſte pater ſanctiſſimus in libro de ſacramentis, quem librum agnoſcit Auguſtinus eſſe Ambroſij: Panis (inquit) eſt vſitatus ante verba, vbi acceſſit cõſecratio, de pane fit caro Chriſti. quibus verbis? his: Accipite,comedite,hoc eſt corpus meum. Idem fere habet in ſermone ad Neophitos, & in libro officiorum. Idem etiam ad Theodoſiũ inquit: Si indignus ſum qui a te audiar, indignus etiã ſum qui pro te Domino offeram. vbi oblationem hãc pro peccatis applicari etiã intelligis. Meminit etiam ſanctæ oblationis altaris vt a Domino inſtitutæ tertia ſynodus Carthaginenſis, quæ viuentibus his ſanctis coacta eſt, in hunc modum: In ſacramentis corporis et ſanguinis Domini nihil amplius offeratur quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panem & vinum aqua mixtum, neq; amplius in ſacrificijs offeratur, quam de vino & frumentis, canone xxiiij.

Trãſubſtãtiatio

Synod. 3.Catha.

Idem Auguſtinus ſentit in expoſitione pſalmi liiij, vbi dicit: Non hoc corpus quod videtis, manducaturi eſtis, nec ſicut carnem quæ in macello venit corporaliter eſtis manducaturi, ſed ſpiritualiter. Nam ſi videritis aſcendentem me in cœlum, colligetis non eſſe corpus meum dilacerandum, ſed ſpiritualiter eſtis manducaturi. Hic clare vides Auguſtinum quando dicit ſpiritualiter Chriſtum eſſe in ſacramento, non negare præſentiam corporis Chriſti, ſed tantum vult vt non carnaliter intelligamus eius præſentiã, ita vt ibi ſit eodem modo ſicut fuit in cruce, aut vixit in terris, & illis hoſtiæ accidentibus coextenſus: ſed modo quodam ſpirituali, vt ſepius dictum eſt: dicit enim quod manducaturi ſumus ipſum, et nõ ipſum: ipſum quia ſubſtantialiter et ſpiritualiter, non ipſum. i. non corporaliter. Nam in pſal. xcviij. magis hoc exponit, adijciens illis verbis ſuprapoſitis, Sacramentum (inquit) vobis cõmendaui ſpiritualiter intellectum, quod ſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari,

Auguſtini ſentẽtia.

oportet tamen illud inuiſibiliter intelligi. Quod autem ſecundũ verita-tẽ intelligat ibi eſſe corpus Chriſti Auguſt.& non σημαντικῶς, audi quid ſuper pſal.cxi.dicat: Vnuſquiſq; autem corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti accipiat,& ſe ipſum probet, & ſecundũ apoſtolũ ſic de illo pane edat. Vbi vides corpus & ſanguis Domini in cõmunione ſacramentaliter & veraciter accipi:id quod magis ac magis confirmat in pſal. xxxiij. Manibus(inquit)aliorũ poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur,ferebatur autem Chriſtus in manibus ſuis, cõmen-dans ipſum corpus ſuũ, ait: hoc eſt corpus meum. ferebat enim illud corpus in manibus ſuis. Obſecro quomodo ſe ferebat in manibus,niſi ipſe ſubſtantialiter ſub panis accidentibus contineretur: ſed ferebat ſe ſpiritualiter.eadem prorſus affirmat ſuper hunc eundem pſalmum.

Auguſti ni ſenſus quod ve re et non figuratè corpus Chriſti ſit in ſa-cramẽto

Rurſus ipſe lib.de verbis Domini,haud obſcure in proprio ſenſu atq; reali intelligit exiſtentiã corporis Chriſti in altaris ſacramẽto,modo ta-men ſpirituali,loquens de Capernaitis,qui de verbo Chriſti ſcãdalizati ſunt: Ne ergo(inquit)vt iſti diſcipuli putabant per fruſta diſcerptus et crudus vel coctus mãducari crederet̃,ipſe ſummus ſacerdos,ſeipſum ꝓ nobis patri offerẽs,ſacramentũ quo vere & ſalubriter manducari poſſet ac bibi,cõfecit,tradensq; diſcipulis: qui ne in myſterio myſtice, et non proprie vel vere loqui putaret̃,ait:Nõ futurũ prędico,non abſens aliqd denuncio,ſed hoc q̃d pręſentialiter do,eſt corpus meũ:non figuratũ,ſed verũ,ipſum q̃d pro vobis trader̃. Hic eſt ſanguis idẽ ipſe qui pro vobis effunder̃. Addẽs etiã proprie propriũ ſuę carnis et ſanguinis effectũ.ſ.in remiſſionẽ peccatorũ. Et poſt pauca: Cum igit̃ certiſſimo ſui ſanguinis priuilegio veritatẽ carnis et ſanguinis ſui aſtruxerit in myſterio,ille cu-ius obediẽtia nobis iniuncta eſt patris edicto,reſtat vt ſcandalizatorum ſtultitiã vitantes,ipſum vt pater de cœlo iuſſit,audiamus. Tã clara ſunt hęc Auguſt. verba,vt nullã impiã tergiuerſationẽ admittant. Nõ enim ſolũ Auguſtinus pręſentiã realẽ Chriſti in ſacramento altaris faſſus eſt, ſed et oẽm figurã et myſticum eſſendi modũ, quem impij ſacramẽtarij contendũt,clariſſimis verbis excluſit.Et lib.x.de ciuitate Dei,loquẽs de Chriſto:Sacerdos(inqt)eſt ipſe offerẽs,ipſe et oblatio, cuius rei ſacramẽ-tum,quotidianũ voluit eſſe ſacrificiũ Eccleſię. in quo notandũ eſt,in ſa-cramẽto vere Dei carnẽ eſſe,quę tãtæ dignitatis eſt,vt eã et angelicę vir-tutes honorẽt miniſtrãdo,& homines adorãdo. Attende ſacramentarie, vere dixit in ſacrificio altaris carnẽ eſſe,nõ ſymbolicẽ. Nullo ergo mo-do ad te ptinet Auguſt. etſi mẽte maligna ad tuã impietatẽ ipſum nitaris torquere. Nec ſolũ in ijs locis tuã incredulitatẽ dãnat,ſed multis in alijs, vt ſermone de iiij.feria: Tu(inqt)aĩa Chriſtiana,vide ne deſeras mẽſam ſpõſi tui,vt pulchra ꝑmaneas, Carnes eius quotidie mãducabis, vt vitã æternã habeas,& ſanguinẽ eius potabis. Itẽ ſuper pſal.xxxiij, et ſermone de paſſio-

Auguſt.

Lib. 10 de ciui-tate Dei.

Sermo.4 feria

Pſal. 33.

de paſſione Dñi, et ſermo.xxxi. ſup Ioannẽ,expreſſe affirmat in ſacra-
mento altaris veraciter corpus Chriſti edi,& ſanguinem eius potari. Et
epiſt.ad Bonifaciũ,aptis verbis dicit,Chriſtũ in altari offerri et immolari Epiſto-
q̃tidie: Nõne(inqt)ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſe ipſo,&iamẽ in ſa la ad Bo
cramento nõ ſolum p oẽs Paſchę ſolẽnitates, ſed omi die populis immo nifaciũ.
lať.Nec vtiq; mentiť,qui interrogatus,reſponderit eum immolari.hęc
Auguſtinus.Itẽ ſuper Ioannẽ cap. v. Caro nõ prodeſt quicq̃,ſed q̃modo
illi intellexerunť.carnẽ q̃ppe ſic intellexerunt, quomodo in cadauere di-
laniať, aut in macello vẽditur,nõ q̃modo ſpiritu vegetať.Et paulo poſt:
Hoc ergo ad nos nobis valeat dilectiſſ. vt carnem Chriſti &ſanguinem
Chriſti edamus,non tantũ in ſacramento,q̃d & multi mali faciunt, ſed
vſq; ad ſpiritus participationẽ manducemus et bibamus, vt in Chriſti
corpore,tanq̃ mẽbra maneamus,et eius ſpiritu vegetemur.Et in ſermo-
ne ad recẽs baptizatos,qui accipit myſteriũ vnitatis,& non ſeruat vin-
culum pacis,nõ myſteriũ accipit pro ſe,ſed teſtimoniũ cõtra ſe.Et ſub dit:
Nulli eſt aliquatenus ambigendũ, tunc vnumquemq; fideliũ corporis
ſanguinisq; dñici participẽ fieri,cũ in baptiſmate mẽbrũ Chriſti efficiť,
nec alienari ab illius panis calicisq; cõſortio,etiãſi anteq̃ panẽ illũ come
dat,& calicẽ bibat, & de hoc ſeculo in vnitate corporis Chri cõſtitutus
abſcedat etc. Ex q̃bus locis manifeſte habes triplicẽ eſſe modũ(ſecundũ
Auguſtinũ)cõmunionis. Primus eſt ſacramẽtalis tantũ,q malis et bonis
cõmunis eſſe poteſt, cũ caro Chriſti ediť, et ſanguis eius bibiť in altaris
ſacramẽto. Secundus eſt ſpiritualis tantũ,q ĳs qui in fide et charitate pſe
uerãt peculiaris eſt,de q̃ intelligiť vulgatũ illud Auguſt.dictũ ſup Ioan.
tractatu xxv. Vt qd paras dentẽ et ventrẽ crede et mãducaſti. Tertius ẽ
ſpũalis ſimul & ſacramẽtalis,de q̃ intelligiť illud eiuſdẽ Auguſt.de ver-
bis Apoſtoli,ſermo.ĳ. Manduca vitã, bibe vitã,habebis vitã,& integra
eſt vita.tunc aũt hoc erit,ſi q̃d in ſacramẽto viſibiliter ſumiť,in ipſa ve-
ritate ſpũaliter manduceť et ſpũaliter bibať. Audiuimus enim Dñm di-
centẽ: Spũs eſt q viuificat,caro aũt nõ pdeſt quicq̃. Quos modos q a nõ Ioan. 6.
diſtinxerũt nouatores iſti, putarunt Auguſt.ſenſiſſe,fide tantũ et cordis
affectu,huiuſmodi manducationẽ ſacramẽtalẽ fieri. Intelligiť etiã ex his
Auguſt.verbis,q̃d ipſe cũ loqtur de Chri p̃ſentia in hoc ſacramẽto bifa
riã vult intelligi,aut p vera aut reali p̃ſentia corporali & exteſiua,ſcdm
quã negandũ eſt, vt ipſe negat Chriſtũ in alio loco q̃ in cœlo eſſe,et vere
eſſe illud Chriſti dictũ,me aũt nõ ſemp habebitis:aut de vera et reali p̃-
ſentia modo ſpirituali, & hoc modo dicit vere eſſe in ſacramento: ſicut
Cyprianus, Tertullianus, Athanaſius,Epiphanius,et alĳ Patres in locis
a nobis adductis ſenſerunt. Si ad hęc aduertiſſent Eccleſiæ aduerſarĳ,
non incidiſſent in tot impietates, nec hunc ſanctum virum de blaſphe-
mia infamaſſent. Cuius locos tam prolixe citauimus, vt lector intelligat

hunc ſanctum virum Eccleſiæ partes in hoc dogmate tenere, et hæreticis factionibus plane contradicere.

Suffragatur his quoque ſanctus pater Hieronymus in epiſtola ad Edibiam: Nos(inquit) audiamus panem quem fregit Dominus, deditque diſcipulis, eſſe corpus ſaluatoris, ipſo dicente ad eos: Hoc eſt corpus meũ. Et calicem illum eſſe de quo loquutus eſt iterum: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Si ergo panis qui de cœlo deſcendit, corpus eſt Domini, et vinũ quod diſcipulis dedit, ſanguis eſt illius, qui effuſus eſt in remiſſionẽ peccatorum, non Moyſes dedit nobis panem verũ, ſed Dominus Ieſus: ipſe conuiua, ipſe conuiuiũ, ipſe comedens, et qui comeditur, illius bibimus ſanguinẽ, ſine ipſo potari non poſſumus, et quotidie in ſacrificijs eius de germine vitis veræ et vineæ Soreth, quod interpretatur electa, nouum vinum bibimus in regno patris, id eſt, in regno Eccleſiæ, nõ in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus. Quid ad hæc nil mutire poteſt perfidus ſacramentarius? Ecce Chriſti verba tractans hic Beatus, quibus Chriſti præſentia realis in ſacramento datur intelligi, myſticam & figuratiuam intelligentiã illorum verborum reijcit: Idemque in ſacramento altaris adeſſe corpus quod tradendũ erat, eundemque ſanguinẽ qui fundẽdus pro nobis erat, clara voce affirmat. Neque id vno in loco ab eo aſſertũ putes. Nam in regula quam de vita religioſorum ædidit hic ſanctus in gratiã diuę Euſtochij, cap. xxxiiij. inter alia ſalubria inſtituta, hũc de ſacroſancta Miſſa canonem intertexuit: Laudibus horæ primæ expletis, ſacræ Miſſæ myſteria fiant, vt ſponſi præſentiam ſponſarum corda lętificet, quã iubet quotidie celebrari. nec facit hic de cõmunione adſtantium memoriam, ſed in alio ſtatuto ſingulis menſibus bis vt cõmunicarent, præcipit. quare per iſtum ſanctum doctorem, aliud eſt Miſſa quam cõmunio, nec ſemper quando Miſſa celebratur antiquitus circumſtantes cõmunicabant. Sed audi, ſi placet, huius ſancti doctoris fidem et integrã ſententiam, quam de hoc venerabili altaris ſacramento iam morti proximus expoſuit, cum viaticũ ſibi offerretur, & veluti teſtamentum poſteritati reliquit, vt refert Euſebius dilectiſſimus eius diſcipulus, & in præſidentia monaſterij ſucceſſor, qui Hieronymi vitã et mortẽ, tanquã vnicum quoddã virtutis & religionis exemplar nobis reliquit: inquit ergo, quod cũ diuo Hieronymo iam morituro ſacrum viaticum offerretur, in terrã pronus deuotiſſimo animo in hæc verba prorupit: Quis ego vt ſim dignus qui ſub tectum meũ intres? diſcede a me Domine, quia homo vilis & peccator ſum: noluiſti te Moyſi pręſentare, & venis ad me? tu es ille Deus, qui cum ſine principio genitus eſſes a patre, in mundum veniſti tẽporaliter naſcens, vere Deus & homo, non horruiſti virginis vterum. Vides Chriſtum verum Deum in Euchariſtia eſſe confitetur

tetur hic ſanctus, & ſubiungit: O ineffabilis admiratio omnium noui-tatum nouitas, oculi in te vident albedinem, ſaporē ſentit guſtus, odo-rem olfactus, ſed auditus cordi repræſentat, non eſſe hæc tua accidētia, hic certe per ſe ſola exiſtunt accidētia ſine ſubiecto, quia non vt huma-nis videtur ſenſibus panis eſt, ſed Ieſus omnipotens ad dexterā patris re-ſidens Deus et homo. Aue panis vitę, qui de cœlo deſcendiſti, dans te digne ſumentibus vitā, & non ſicut manna tu panis angelorū homines dignaris reficere, tu eſca es animę, non corporis, impinguas mentem, non ventrē, qui in te non impinguatur, æger eſt in virtutibus, & iacet in flā-gitijs: te manducantem, in te tranſmutas, ſed ve his, qui te indigne ſu-munt. hæc et multa alia ad cœlum iam euolaturus diuus Hieronymus de diuina Euchariſtia expoſuit poſteritati ſuæ, quibus fidem præſentis Eccleſiæ ſatis aperte confirmauit: et ſiue hæc verba ſint ipſius Hierony-mi, ſiue ipſius Euſebij, non multum refert: ſatis eſt quod ipſe diuus Eu-ſebius a diuo Hieronymo edoctus, hanc fidem de veritate præſentię cor-poris Chriſti in ſacramento & tranſmutatione panis in ipſum, tenuerit ante mille & centum annos.

Diuus & magnus Leo de quibuſdam hæreticis loquens, qui non cre-debant veritatem humanæ naturæ in Chriſto, & ideo ſub ſpecie panis tantum cōmunicabant, ſermone iiij, de quadrageſima, veritatē corporis & ſanguinis Domini in hoc ſacramēto aperte fatetur: Cum ad tegendū infidelitatem ſuam (inquit) noſtris interſint ſacris, in ſacramētorum cō-munione ita ſe temperant, vt ore indigno Chriſti corpus accipiant, ſan-guinem aūt redemptionis noſtræ haurire, omnino declinant. Et in epiſto-la ad Anatholium de Chriſto Domino huius ſacramenti inſtitutore loquens, realem Chriſti corporis pręſentiam aperte ſatis docet: Chriſtus (inquit) licet in patris ſit dextera conſtitutus, in eadem tamen carne, quā ſumpſit ex virgine, ſacramentum propitiationis exequitur. Leo

Quid quod concilia Orientis et Occidentis eccleſiæ illa ætate cele-brata, ſacrificij et oblationis altaris honorificam mentionē faciunt, in quibus totius Eccleſiæ ſenſus exprimitur et repręſentatur. Nā in ſynodo Ancirana, quæ ante Conſtantinum magnū celebrata fuit, in primo ca-none eius, ſacerdotibus q metu tormentorū idolis litaſſent, interdicitur ne offerāt ſacrificiū, et alijs etiā ſacerdotalibus officijs fungi. Et canone vi. et vij. cōmunicare illis permittitur abſq; oblatione. Canon ſic habet: Hi qui minis cedentes ſacrificauerint, et tempore huius ſynodi ſe obtu-lerint, placuit eos vſq; ad magnū diem inter audientes ſuſcipi, & pœni-tentiam triennio agere, & poſt duos alios annos ſine oblatione cōmu-nicare, & ita demum ſex annis completis ad perfectum venire. Vbi vi-des ſacerdotibus conceſſam eſſe cōmunionem, & inhibitam oblationē: ſaltem ex primo canone hoc conſtat, qui cum ſacerdotibus loquitur.

In ſyno-

Neocæſarien. In ſynodo Neocæſarienſi circa hæc tempora celebrata, criminoſo preſbytero qui ante ordinationē ſuā criminoſus inuentus fuerit, oblatio altaris prohibetur, relictis illi alijs officijs ſacerdotalibus, & nulla ei alia pœnitentia iniuncta. Item canone xvij. peregrinis presbyteris altaris oblatio inhibetur, et dare etiā panem ſanctum, et calicem porrigere. hæc enim ſunt verba ſynodi. Synodus quoq; Gangrenſis circa annum Domini tricenteſimū & triceſimū, de ſacrificio altaris facit mentionē canone ix. contra quendam Euſtachium, qui loca ſanctorum & Baſilicas martyrum, & quod illic conueniebant & ſacramenta conficiebant, repræhendebat. Eſt etiam percelebris de ſacrificio altaris & Chriſti in eo præſentia memoria in magna ſynodo Nicena canone decimo quarto, quæ ſic habet: Peruenit ad ſanctum conciliū, quod in locis quibuſdam & ciuitatibus, presbyteris Euchariſtiā diaconi porrigant, hoc neq; regula neq; conſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificium poteſtatem non habent, his qui offerunt Chriſti corpus porrigant.

Gangreſis

Synodꝰ Nicena.

Synodꝰ Epheſi. Magnificum tamen eſt in Epheſiana ſynodo (quæ de numero quatuor illarum ſynodorum percelebrium eſt, quorū ſtatuta diuus & magnus Gregorius ſicut ſancta euāgelia ſe venerari affirmat) de ſacroſancto altaris ſacrificio præconium, quo veritas præſentiæ corporis Chriſti apertis verbis manifeſtatur, & ſub nomine incruenti ſacrificii toti Eccleſiæ cōmendatur, hoc pacto: Incruentam celebremus in Eccleſiis ſacrificii ſeruitutem, ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus, & ſanctificamur, participes facti corporis Chriſti & precioſi ſanguinis Chriſti, omniū noſtrum ac redemptoris effecti, nō vt cōmunem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati, et verbo coniuncti, ſecundum dignitatis vnitatem, ſicut diuinā poſſidentis habitationem, ſed vere viuificatricem, & ipſius verbi propriam factā: vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, quia proprie carni vnitus eſt, viuificatricem eā eſſe profeſſus eſt, & ideo quāuis dicat ad nos, Amen dico vobis, niſi manducauerimus carnē etc. non tamen eam vt hominis vnius ex nobis exiſtimare debemus: quomodo enim iuxta naturā ſuam viuificatrix eſſe caro hominis poterit? ſed vt vere propriā eius factā, qui propter nos filius hominis factus eſt, & vocatus. Vbi non ſolum realem Chriſti præſentiā vides affirmari, ſed modum etiā, quo caro illa Chriſti ſanctiſſima animas viuificet, puta per coniunctionē illam arctiſſimā, quam cum verbo diuino habet. Omitto hic damnationē illam quæ in ſynodo Vercellenſi, & a Leone nono, magno conſenſu Patrum aduerſus Berengariū Andegauenſem decreta eſt, qui has impietates poſt nongentos annos a Chriſto in cœlum ſublato, de Euchariſtia diſſeminauit. Item Bedā, Bernardum, Haymonem, Hugonem, Richardum de ſancto Victore, D. Thomam, ſanctū Bonauenturam, & alios omnes poſterioris ætatis viros

Leo no- [redacted]

ros doctiſſimos,pios & grauiſſimos, qui huic noſtræ cōſiderationi abunde ſubſcripſerunt, quos breuitatis gratia relinquo: quorum et aliorū præcedentium conſenſum ſancta et generaliſſima ſynodus Lateranenſis, in qua vtriuſq; Eccleſiæ, orientalis et occidentalis Patres conuenere, vnanimiter nemine diſcrepante complexa eſt, his verbis: Vna fideliū vniueſalis Eccleſia eſt, extra quam nemo ſaluatur: in qua idem ipſe ſacerdos & ſacrificium: vbi corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina. Prætereo quod ipſum vocabulum Miſſa iuxta hebræorum idioma, oblationem videtur ſignificare, quæ tam antiqua eſt, vt ipſa ſacramenti Traditio, prout monſtrauimus. Omitto etiam multa & ſtupenda miracula, quæ in omnibus mundi partibus, in confirmationem huius arduæ veritatis Deus benedictus mirabiliter efficere dignatus eſt, quæ vel lapides ipſos poſſunt ad credendum mouere: profecto qui tot & tantis teſtificationibus refragatur, ab Apoſtaſiæ ſpiritu ſe eſſe poſſeſſum plane declarat, vtpote qui cū ſanctis apoſtolis et martyribus non colligat, ſed eis aperte repugnet. Nec video qd poſſit aduerſarios remorari ne cū Eccleſia venerentur, et adorent tantum beneficiū, niſi mera impietas et infidelitas: cum tā clare conſtet vetuſtiſſimam Eccleſiam apoſtolorū, & eos quos ipſi docuerūt, & quotquot illis ſucceſſerunt martyres & confeſſores Deo dignos per ſeptingentos annos continuos ab euāgelio diuulgato, hanc veritatem conſtanter & vnanimiter prædicaſſe, vſq; ad tēpora Caroli magni & Paſchalis papæ, quando primo cœptū eſt a nōnullis vanis & curioſis, de hoc altaris myſterio non ſolū diſputare, ſed dubitare. Extat Bertrami cuiuſdam qui illo tēpore vixit, libellus merito damnandus, in quo contentionū harum ſit mentio, vbi ipſe aperiens mentē ſuam, minime certe eccleſiaſticā, circa exiſtentiā realem corporis Chriſti in ſacramento, plus tenebrarum quàm lucis affert controuerſiæ. Interpoſuit credo tūc temporis ſuam autoritatē Paſchalis ille primus, vere apoſtolicus, vt patet ex ipſius quodam decreto, de conſecratione, diſtinct. ij. cuius verba ſunt, tractās illud, Accipite & comedite, hoc eſt corpus meū: Audiant qui volūt extenuare hoc verbum corporis, quod nō ſit vera caro Chriſti, neq; verus ſanguis eius, neſcio quid volentes fingere, quaſi quedā virtus ſit carnis & ſanguinis in illo ſacramento, vt Dominus mentiatur, vt non ſit vera caro in qbus vera mors Chriſti annūciatur, ait em̄ nō ficte, ſed verè hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: vnde veritas cū porrigit illud corpus, dicit quod pro vobis tradetur, et cum potum dat, qui pro vobis effundetē, erat qdem iam in calice, q adhuc tandē fundendus erat in precium, & ideo idem ipſe ſanguis iam erat in calice, qui in corpore, ſicut adhuc hodie integerrimum eſt, ſed datur in remiſſionem peccatorum: alioqui

Synodus Lateranenſis

Paſchal.

Bertramus

alioqui in aliquo alio eſſet remiſſio ꝙ in Chriſto. hæc ille tẽpore Lodo-
Lothar. Berengarius uici primi, et Lotharij imperatoris. Poſt ccc. autẽ fere annos ſurrexit Be-
rengarius, qui aperte auſus eſt aduerſus hoc ſacramentum latrare, affir-
mans ibi eſſe panis ſubſtantiam: qui damnatus merito eſt a Leone no-
no Vercellis, & a ſynodo Patrum, circa annũ Domini M.D. Quare
catholicę origo veritatis, a Chriſto et apoſtolis protracta eſt, erroris ve-
ro a ſeptingentis annis. Pernicioſe ergo et impudenter mentitur impius
Bulling. Bullingerus, cum Origines errorum corruptiſſime recenſet in magnũ
eccleſiæ Apoſtolicæ contemptũ. Et qui fieri poteſt vt verum poſſint di-
cere, qui verba illa Chriſti quibus hæc tremenda conficiuntur myſteria
tam nefarię torquent, vt figura dicant eſſe quod ipſe Chriſtus veraciter
affirmauit, ipſam veritatem ſubinde de mendacio arguentes? Clara cer-
te ſunt & fixa verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum: nõ eſt quod in illis
hæſitetur aut quod curioſe ſcrutetur, agnoſcamus humilitatẽ conditio-
nis noſtrę: mortales ſumus, terreni ex terra, qui vix ea quæ facimus, intel
ligimus, neq; ea quæ ante pedes noſtros ſunt valemus intueri: viuum eſt
Damaſ. verbũ Dei et efficax. Et vt recte dicit Damaſcenus lib. iiij. Omnia quę-
cunq; voluit, fecit. Si dixit fiat lux, facta eſt lux, et ipſe Deus verbũ fa-
ctus eſt homo, ex ſanctæ virginis puriſſimis ſanguinibus, non poteſt
ſuum panem ipſius corpus facere, & vinum atq; aquam ſanguinem? Si
ergo poteſt, & ſe promiſit facturum, proculdubio facit, id enim demon-
ſtrat Chriſtus pro nomine illo τοῦτο quod tradendum & crucifigendũ
dicebat: panis autem materialis non erat tradendus nec crucifigendus:
nec ſi panis illic demõſtraretur, per articulum τοῦτο exprimeretur aut de-
monſtraretur, cum ἄρτος .i. panis, maſculini generis ſit: quare metapho-
rice intelligere verba illa ipſe orationis cõtextus prohibet: vbicunq; eñ
Chriſtus figuraliter loquitur, ipſe ſe ipſum ſolet exponere: quod hic nõ
facit. Et certe ſi hoc modo liceret ſcripturam corrumpere, æqua ratione
poſſent dicere Sacramentarij, quod omnia Dei opera, quæ in ſcripturis
continentur, et a nobis minime intelliguntur, vt æterna generatio, per-
ſonarum diuinarum trinitas, cum eſſentiæ vnitate, incarnatio, natiui-
tas, paſſio, reſurrectio Chriſti, in ſigno & figura facta ſunt, et nõ in ve-
ritate. Facile enim eſſet dicere, ei qui vellet iſta aſſerere, quod accipitur
eſt pro ſignificat. Et quorſum D. Clemens, & omnes alij ſancti, tantam
munditiem & cautelam commendant in ſeruãdo, in recipiendo, in tra-
ctãdo hoc ſacroſancto myſterio, ſi ibi Chriſtus veraciter non cõtinetur?
Quorſum omnes appellãt vno ore corpus Domini, ſanguis Chriſti? nũ-
quid omnes iſti figurate etiam loquuntur? quis hoc dicet niſi inſenſatus?
Si enim cõmunio cum Chriſto, & Chriſtus ipſe in his ſacris myſterijs
duntaxat repræſentaretur, non videtur in quo agni paſchalis occiſionẽ,
aut manna de cœlo exhibitionem, aut ſacrificia veteris legis excederet:

nam

nam illa etiam ſignificabant Chriſti paſſionem ex voluntaria ordinatione Dei, quæ ſi in fide morituri Meſſiæ offerentur, quis dubitet non fieri participes ſecundum aliquem modum paſſionis Chriſti iam iam exhibendæ? Prætereo quod ſi fide creditum hoc myſterium ſolummodo manducatur, & fit quod Deus vult fieri, ſequitur, quod quoties aliquis recordatur paſſionis Chriſti, & credit ſe ſaluum factum per illam, ſacramentaliter cõmunicat, & quidem ſine ſigni ſenſibilis applicatione aut voluntate recipiendi: quid igitur opus erat huiuſmodi inſtitutione ſacramenti? Quod ſi dicant ſe non credere ea quæ de hoc ſacramento dicunt, quia minime videtur poſſibile quod vnum & idem corpus ſit in diuerſis locis, multum falſi etiam ſunt in hoc: nam Chriſtus in ſacramento altaris non eſt localiter, nec circũſcriptiue, nec coextenſus hoſtiæ accidentibus, ſed ſacramentaliter, & modo quodam ſpirituali, nobis prorſus ignoto: ſecundum quem modum nullam includit repugnãtiam quod ſit ſub pluribus accidentibus: Non em̃ eſt impoſſibile apud Deum omne verbum. Quid iſti volunt digito Dei omnipotentiã metiri? quæ inexhauſtum pelagus profectionis eſt, quæ dixit & facta ſunt, quæ mandat & creata ſunt. Nam quid obſecro non credemus de corpore tam glorioſo, tam excellenter & mirabiliter dotato, & omnipotẽti diuinitati tã coniuncto? Si autem credere non volunt, quia non intelligunt: certe hac ratione omnes fidei articulos poſſunt negare, omnes em̃ ſupra captum noſtræ conditionis ſunt. An putant apoſtolos & eorum diſcipulos, & ſanctos omnes, qui ætate illis proximi fuerunt, fuiſſe tam vecordes, tã truncos, vt hanc tam arduã veritatẽ negligerent, et in tantum ignorarent, vt non agnoſcerent, quod ſibi credendum erat, & alijs prædicandum? qualiter ve Chriſtus Deus noſter hoc ſacramentũ inſtituerit, quod quotidie reuerenter tractabant, & vt ipſum digne reciperent inuitabant? Quos tamen oſtendimus non ſolum contrariũ & multo diuerſum ab eo quod iſti prædicant præſenſiſſe, verum & ſcripſiſſe et prædicaſſe. Nec minus verba iſta Chriſti Lutheranicam factionẽ vrgent: nam pronomen illud demonſtratiuum in verbis iſtis, Hoc eſt corpus meum, non videtur quid poſſit demonſtrare, niſi cum eccleſia Catholica fateantur corpus Chriſti ſub accidentibus panis fuiſſe demonſtratum. Si enim corpus ſuum demonſtrabat Chriſtus, & ſimul cum eo erat panis ſubſtantia, non vere demonſtrabat per pronomen ſingulare, aggregatum duarum ſubſtantiarum non conſtituentium quodam modo vnum, nec etiam prædicatum enunciationis illius poterat illis vere cõuenire: et quamuis vere fingeret Luther dominicum corpus eſſe cum pane eo modo quo ignis eſt in ferro quãdo eſt ignitum, dicti Chriſti veritas ſaluari non poteſt, eo quod ſimplex prædicatũ ſubſtantiæ, de re quæ duas ſubſtantias includit, non reddentes quodammodo vnum,

Q vere

vere prædicari nequit. Nam neq; de ferro ignito verũ eſt dicere, quod ſit ignis, quanquam vere dicatur eſſe ignitum. Quare fatendum illis etiam eſt, ſi cum eccleſia Apoſtolica apoſtolorum & martyrum volunt conſentire, & dictis Chriſti non repugnare, quod ſancta eccleſia Vniuerſalis de ſacramento altaris hodie fatetur et prædicat: alioqui ab Apoſtolica eccleſia ſunt excluſi, apoſtolos damnant, martyres infamant, ſanctos et antiquos patres truncos et ſtipites faciunt, et quod magis ſacrilegum eſt, ſuo corrupto dogmate Chriſto repugnant, aduerſantur, et mendacem faciunt. Hanc conſiderationem dedita opera tam prolixe tractauimus, cum propter rei dignitatem, tum etiam, quia impudentes iſti nouatores nulla in re magis inſaniunt, adeo vt diabolico furore perciti, probroſis et execrandis titulis ſacrificium hoc redemptionis noſtræ, pignus et memoriale precioſiſſimum, publicis ſcriptis et cõcionibus dehoneſtent. Nouerint ergo Chriſtiani inſtitutum hoc venerandum, nõ errore, aut auaritia ſacerdotum fuiſſe in Eccleſia introductum (id quod non pudet aduerſarios affirmare) ſed diuina autoritate, ſanctis apoſtolis hoc prædicantibus, martyribus et alijs ſanctis Patribus per ſeptingentos a Chriſti paſſione annos, idipſum (nemine in Eccleſia diſcrepante) aſſerentibus.

COROLLARIVM DE Purgatorio.

CVm ex conſenſu omnium ſanctorum antiquæ Eccleſiæ Patrum, altaris tremendum ſacrificium ad remiſſionem peccatorum, tam pro viuis quam pro defunctis valere demonſtrauerimus, nec hoc de remiſſione, quo ad culpã poſſit intelligi, vt ex ipſis etiam dictis ſanctorum abunde demonſtrauimus, quid ſupereſt, niſi vt dominica etiam Traditione fateamur eſſe poſt hãc vitam aliquem medium animarũ ſtatũm, qui neq; ad ſtatum ſimpliciter bonorum, aut ad ſtatum ſimpliciter malorum pertineat, quæ poſſint huiuſmodi ſacrificijs expiari, & alijs ſuffragijs Eccleſiæ & piorum hominum iuuari? Nam pro bonis atq; beatis animabus, nemo ſanctorum iuſſit orare, aut ſacrificium offerre, quippe quæ cum Deo iam regnant, & nullius rei prorſus egent: nec pro ſimpliciter malis atque damnatis, hæ enim ſicut ſemper iræ Dei ſunt obnoxiæ, ita neq; capaces ſunt alicuius adiutorij, quia quantum in ſe fuit, nunquam peccato carere voluerunt: reſtat igitur vt medius iſte animarum ſtatus aſſignetur, cui altaris ſacrificia ad leuamen & refrigerium earum applicari poſſit. Quare ſi ſacrificium altaris diuina Traditione conſtat defunctis prodeſſe, conſequitur ſtatum iſtum animarum purgandarum debere aſſignari. Quantum vero illis proſit, & quantum non, ſolus Deus nouit, qui ſacrificium iſtud inſtituit, licet non improbabiliter dici poſſit eis prodeſſe

tantum

tantum,quantum ipſi in hac vita meruerunt vt prodeſſet; id quod Deus ſolus nouit. Vnum tamen non ignoramus, quod cum myſteriũ hoc in memoriã Chriſti paſſionis per repræſentationem recolatur, et per miniſterium ſacerdotis applicetur,ad certam eis menſuram valere,quamuis infiniti valoris ſit id quod applicatur. Significauit hunc ſtatũ Chriſtus redemptor noſter,quando de peccato in ſpiritum ſanctum dixit remitti nõ poſſe in hoc ſeculo,neq; in futuro. Quod Origenes & D. Gregorius quarto dialogorum ex hoc loco etiam intellexerunt. Matthæi quoq; v. Non egredieris ibi donec reddas nouiſſimum quadrantem. quod exponens beatus Hieronymus,dicit: Non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata perſoluas. Rurſus illud Pauli Corinthiorum ſecundo,de igne temporali probatorio,qui manet opera mala,leuiter tamen facta,quæ dicit a die Domini debere declarari, & in igne reuelari aut probari. Hic locus quanquam ab Auguſtino varie exponatur,nunc pro purgatorio ſtatu,de quo nobis eſt ſermo,nunc pro purgatione,quę per tribulationes in hac vita fit, diuina hoc diſponente prouidentia, vehementiſſima tamen eſt apparẽtia,quod Paulus in eo loco de ſtatu hoc medio animarum ibi loquatur: nam dies Domini, cuius illic meminit Paulus,vix aut nunquam in ſcriptura ſignificat niſi vel diẽ mortis, vel diem iudicij, quare non de tribulationibus huius mundi intelligi poteſt locus ille: ad quam expoſitionem magis videtur inclinare Auguſtinus, quatuor in locis eam plane cõfirmans, ſermone de cõmemoratione animarum,de fide et operibus,in Enchiridion ad Laurentium,& in Pſalterium,quamuis alio loco ad purgationem, quæ fit per tribulationes,recurrat. Nec ſecus intellexit locum illum Origenes, homilia ſexta in Exodum,cuius verba ſunt: Qui ſaluus fit,per ignem ſaluus fit, vt ſi quid forte de ſpecie plumbi habuerit admixtũ, id ignis decoquat et reſoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum. Si quis multa opera bona,& parũ iniquitatis obtulerit,illud parum tanquã plumbum igne reſoluitur & purgatur, & totum remanet aurum purũ, & ſi quis illic plus plũbi detulerit,plus exuritur,vt amplius decoquatur,vt etſi purum aliquid ſit auri purgatũ,tandem reſideat: quod ſi aliquis illic totus plumbeus deuenerit,fiet de illo quod ſcriptum eſt: Demergetur in profundum tanquã plumbum in aqua validiſſima. hæc ille. Ambroſius quoq; in cõmentarijs illius epiſtolæ,et Chryſoſtomus homilia lxix. & Gregorius quarto dialogorum,in eodẽ ſenſu intelligunt iſta verba, & diuus Anſhelmus. Nec parum debet mouere illud Apocalypſis quinto, de creaturis quæ ſubtus terram ſunt, quas dicit dare gloriam & benedictionem Deo ſedenti in throno,& quod Chriſtus ad inferos deſcenderit & eduxerit ſanctas illas animas ibi detentas: quæ argumentum cla-

Matt. 12 · Origen. · Gregor. · Matt. 5 · Hieron. · Apoſtol · Dies domini q̃d · Auguſt. · Origen. · Ambroſ · Gregor. · Anſhelmus

rum exhibent eſſe locum in ſubterraneis locis huic rei deputatum: & ſi crediderim cũ diuo Gregorio multas animas alias, alijs in locis purgari. Inſuper illud Machabęorum ij. vbi dicitur ſanctam et ſalubrẽ eſſe cogitationẽ pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluãtur, id enim quod fideles et probi et pręcipui homines in lege veteri olim credebant, valde veriſimile eſt, etſi alia nõ extaret probatio, a doctrina Moyſi et ſanctorum prophetarũ fuiſſe deriuatum. Quem locum D. Auguſtinus lib. de cura agenda pro mortuis ad iſtud idem propoſitum affert. Adde quod alij antiquiſſimi doctores de huiuſmodi ſtatu animarum medio, quodãmodo meminerunt: nã præter id quod D. Clemens ex Petri mente, et alij viri apoſtolici de ſubleuandis animabus defunctorum per orationes et ſacrificia prædicarunt et diffinierunt, vt iam vidimus, ſpeciatim tamen huius ſtatus mentionẽ (quamuis non ſub huius nomine purgatorij) fecerunt. Dicit enim Tertullianus libro de reſurrectione carnis, Animas torqueri fouerique penes inferos, licet adhuc exules carnis, probauit Lazari exemplũ. Item lib. de Trinitate: Locus eſt (inquit) quo piorum animæ impiorumque ducuntur futuri iudicij præiudicia ſentientes. Cyprianus quoque lib. iiij. epiſt. ij. ſuadens vt libellatici et hi qui idolis metu mortis ſacrificauerant, ad pœnitentiã et pacem, nondũ completa pœnitentia, reciperentur, plenam horum iuſtificationẽ Dei iudicio reſeruat: quod plane ſignificat, poſt admiſſum peccatorẽ ad pacem et reconciliationem, aliquid in eo manere quod Dei iudicio repurgetur, ac ſubinde animã illius qui ſic decedit ad iſtum ſtatũ medium pertinere. verba Cypriani in duobus locis illius epiſtolæ hæc ſunt: Placuit frater chariſſime examinatis cauſis ſingulorum libellaticos interim admitti, et ſacrificatis in exitu ſubuenire (erant autẽ libellatici) niſi me fallit opinio illi, q ad libellum eorum, qui Chriſtianos recenſebant, cõparebant, redimentes pecunijs ſuam vexationem ne accuſarentur quod Chriſtiani eſſent) quoniam Exomologeſis apud inferos non eſt, nec ad pœnitentiã quis a nobis compelli poteſt, ſi fructus pœnitentiæ ſubtrahat. Et addit Cyprianus: Nec enim pręiudicamus Domino iudicaturo, quo minus ſi pœnitentiam plenam et iuſtã peccatoris inuenerit, tunc ratũ faciet quod a nobis fuerit hic ſtatutũ. Ac paulo poſt, de eiſdem qui ſine plena pœnitentia recipiebãtur, vt ſacerdotes (inquit) Dei & Chriſti, quod & Chriſtus fecit & docuit imitantes, vulneratum de aduerſarij faucibus rapiamus, vt curatũ Deo iudici reſeruemus. Obſecro quorſum hic reſeruat D. Cyprianus eos, q ſine pœnitẽtia pfecta decedũt diuino iudicio, ſi nõ crediſſet in alia vita diuinã iuſtitiam de huiuſmodi imperfecte pœnitentibus ad vnguẽ, quod aiunt, debere cõpenſari? Et alius locus Cypriani de purgatorio, cęteris omnibus illuſtrior, ij. epiſtola lib. iiij. ad Anthonianum, vbi lo-

Mach. Auguſt. Tertull. Cypria.

Libellatici · Confeſſio apud inferos nõ eſt.

vbi loquitur de differentia lapſorum, & recipiendi eos diuerſitate, vbi tres ſtatus eorum qui ad veniam recipiuntur, aſſignat: Aliud (inquit) eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem: aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo dolore cruciatus emēdari & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſſione purgaſſe, aliud deniq; pendere in die iudicij ad ſententiam Domini, aliud ſtatim a Domino coronari. Vides tres differentias ponit decedentium: lapſorum quorundam, qui per paſſionem martyrij purgati prorſus ad Deum veniūt, aliorum qui poſt mortem purgandi detinētur, vſq; ad ſolutionem nouiſſimi quadrātis, aliorum vero de quibus ratio certa haberi non poteſt ſtatus ſui. vbi ſatis clare expreſſit hic ſanctus pater purgatorium.

D. Hieronymus epiſtola xiiij. apertis verbis hūc ſtatūm quoq; fatetur: Si Origines omnes rationales creaturas dicit non eſſe perdēdas, et diabolo pœnitentiā tribuit, quid ad nos qui diabolum & ſatellites eius, omneſq; impios & præuaricatores dicimus eſſe perdendos perpetuo, et Chriſtianos ſi in peccato præuenti fuerint, ſaluandos eſſe poſt pœnas? hæc ille. Cum igitur multi frigidi ſint, & in ſatisfactione pœnitētiali valde remiſſi, inſuper multi qui in hoc mundo tribulationibus, & aduerſitatibus pro æqualitate peccatorū minime vexantur, certe diuinæ iuſtitiæ ſatis cōgruit, vt ſtatus iſte medius pro huiuſmodi hominibus aſſignetur: nam dicere quod per mortem naturalem omnes reliquiæ peccatorum in omnibus purgantur, minime diuinæ iuſtitiæ videtur cōgruere, quæ pro menſura peccatorum infert & plagarum modum: contingit enim eodem genere mortis, homines qui inęqualiter peccauerunt & inæqualiter pœnituerunt, decedere. Adde quod diuus Ambroſius, in oratione funebri pro imperatore Theodoſio defuncto, requiem petit ei a Domino: Da (inquit) requiem perfectam ſeruo tuo Theodoſio, quam præparaſti ſanctis tuis, illo conuertatur anima eius, vnde deſcendit, vbi mortis aculeum ſentire nō poſſit, vbi cognoſcat mortem hanc non hominis finem eſſe, ſed culpæ. Idipſum etiam confirmat ad Fauſtinum, de ſororis obitu dolentē. Item Gregorius Nazianzenus in oratione funebri fratris ſui. Athanaſius quęſtio. xxxiiij. ad Antiochum principē expreſſe dicit animas fidelium percipere beneficia viuentium, quādo propter eas fiunt conuentus in Eccleſia. Chryſoſtomus 1. Corinth. homilia. xli. Sacerdotum preces magno auxilio defunctis eſſe affirmat. Epiphanius contra Aerianos prodeſſe animabus defunctorum preces quæ pro ipſis fiunt, etiam clara voce docet, confirmante hoc beato Auguſtino in multis ſuæ doctrinæ locis, lib. confeſſionum ix. cap. xiij. et in lib. Ad quod vult Deum, contra Aerianos, & lib. xx, de ciuitate Dei cap. ix.

Ambroſ. Nazianzenus. Chryſo. Epipha.

Anſhelmus. Mitto hic Ioannem Damaſcenum, qui ſermone de his qui ex hac vita migrarunt, Traditionem apoſtolicam dicit eſſe, ſubuenire defunctis. quæ omnia ſatis arguunt hunc medium ſtatum animarum, quæ ſuffragijs viuentium magnopere releuantur, fateri debere: quam quidem releuationem ipſę dum in corporibus viuerent, apud Deum meruerunt, ne putēt ſcioli & argutuli ſcrutatores, aut quod illæ animæ in eo ſtatu promereri poſſunt, aut nos diuinam ſententiā noſtris ſuffragijs variare: redditur enim illis iuxta opera ſua, cum Deus ſtatuerit per opera, quæ in hac vita fecerunt, quod hæc in alia vita eis poſſunt prodeſſe. id quod Auguſt. Auguſtinus ſentire videtur in Enchiridion cap. cix. Et licet vnuſquiſq; quo ad culpā onus ſuū portet, ita vt alius pro eo nō poſſit Deo ſatisfacere, tamen rationi valde conſonum eſt, nec in aliquo diuinæ iuſtitiæ derogatur, quando ſatisfactio non fit pro delicto alterius, ſed pro temporali pœna debita, vt alius pro alio poſſit ſatisfacere, maxime Ieſu Chriſti merito inexhauſto interueniente, & cum eis qui Chriſtiana charitate, in vno Chriſti corpore nobiſcum ſunt coadunati: ſicut enim vnum mēbrum cōpatitur alio mēbro, ipſumq; per cōpaſſionem quandam adiuuat & releuat, cum male habet, ita etiam fit per charitatem in Chriſti corpore & membris eius, iuxta illud Pſalmi: Particeps ſum ego omniū timentium te.

SEXTA CONSIDERATIO.

De extremę vnctionis Sacramento.

Marc. 6 DE extrema vnctione fit quodammodo apud Marcum mentio cap. vi. vbi dicitur, quod exeuntes apoſtoli prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebāt, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabantur. Expreſſius tamen Iacobus diuus Iacobus hoc ipſum ſacramentum promulgauit, ſeu per ſpiritum ſanctum inſtituit, de quo ſic loquitur in ſua canonica, capite quinto: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, et orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. vbi vides ſignum practicū et ſenſibile ab Apoſtolo promulgatum eſſe, cū promiſſione gratiæ et remiſſionis peccatorum, quæ ſunt propria et vera ratio ſacramenti. Quod et Auguſt. Auguſtinus valde cōmendat ſermone nono partis quartę: Quoties (inquit) aliqua infirmitas ſuperuenerit, corpus et ſanguinem Chriſti, ille qui ægrotat, accipiat, oleumq; benedictum humiliter a presbyteris fidelibus petat, & inde corpuſculum ſuum vngat, vt illud quod ſcriptum eſt, impleatur in eo: Infirmatur quis in vobis, et reliqua verba Iacobi recēſet. Cuius ſacramenti duo ſunt (vt ex hoc loco Iacobi patet) ſalubres effectus: alter primus et præcipuus, quem nunquā non cōſequitur infirmus fide-

lis, qui

lis,qui gratiæ Dei impedimentum non ponit,et ſacramentum hoc di‑gne ſuſcipit,ſicut necꝙ cum alia recipit: atꝙ is eſt,animam infirmi con‑fortare per gratiam et remiſſionem peccatorum: alter vero minus prin‑cipalis.ſ.alleuiare infirmum ab ægritudine qua laborat, quo multoties caret iſtud ſacramentum.Quare Lutheri ratio qua ſacramentum hoc a numero aliorum excludere tentauit, non ſolum inefficax, ſed ridicula eſt.Putauit enim ille, primarium huius ſacroſancti inſtituti effectum a ſanctis & eccleſiaſticis viris aſſignari ad conſecutionem corporalis ſalu‑tis,quam quia raro vnctus infirmus cōſequitur per ſacram vnctionem, fruſtratum iam ſalubre hoc inſtitutum ſuo præcipuo effectu falſus ipſe putauit,ac ſubinde veram rationem ſacramenti in eo non eſſe impie aſ‑firmauit:ſed longe aliter res ſe habet,vt diximus. Curationis infirmorum per oleum ſanctificatum meminit Tertullianus in libro de precatorio ad ſcapulam Carthaginenſium præſidentem, vbi refert Seuerum Impe‑ratorem per Proculum Chriſtianum oleo illinitum atꝙ curatum.

Luther

Tertull.

AD PERMAGNIFICVM ET INTEGERRI‑mum virum,dominum Ioannem de Figueroa, inuictiſſimi Ca‑roli quinti Cæſaris intimum Conſiliarium, De vene‑ratione ſanctorum, autoris Præfatio.

ETſi in omnibus controuerſijs,quæ nunc male uexant Eccleſiam Dei,permagnifice Domine, impugnatores ueritatis pro ſua uirili ueritatem pro ſe ſtare nitantur oſtendere, in hac tamen potiſſimum uanis clamoribus petulātius iactant triumphū ante uictoriam. Non quod hic habeant ſolidiora fundamenta quam in alijs,quorum illud eſt præcipuum,& quod nunquam non in ore illorū uer‑ſatur, huiuſmodi cultum & uenerationem quæ Eccleſia exhibet ſanctis & electis Dei,in ſacris literis minime contineri: cuius fundamenti falſitas,ſa‑tis abunde in ſuperioribus a nobis demonſtrata eſt. ſed quia magnū ſe Deo putant præſtare obſequium noui iſti Dei cultores, & Ieſu Chriſto redem‑ptori noſtro,ſi cum ipſo aliquam aliam rem uenerari,aut aduocari non pati‑antur,quod in cauſa eſt,ut uanos & ambitioſos titulos ſibi arrogantes,apud ſe ſolos regnare ueram doctrinam,caſtamꝙ morum diſciplinam, & purum euangelium affirment, ac ſubinde ſanctam Eccleſiam apud uulgus magna irreuerentia traducant, affirmantes cum impio Porphyrio, Vigilantio & Pigardis, Valdenſibus progenitoribus ſuis, in ea regnare ethniciſ‑mum & abominandam idolomaniam, quod Sanctos inuocet, eorundemꝙ reliquias & imagines religioſe ueneretur. Et quo rem uulgi irriſioni‑bus magis exponant, nonnullos abuſus intermiſcent, quos indocti for‑ſan, & ſuperſtitioſi homines, in huiuſmodi cultum introduxerunt.

Hoc enim ſemper fuit hæreticorum ingenium, abuſus hominum cum dogmatibus ueritatis, quaſi emblemata quædam interſerere, quo facilius nomen ueritatis cui obſiſtunt, apud ſimplices magis odioſum reddat. Ego uero relictis abuſibus, quos magnopere deſidero in Eccleſia non regnare (imo ipſos cum ſuis inuentoribus & fautoribus niſi reſipiſcant ad Sarmatas relegari cupiā, tantum abeſt, ut uelim ſtatuere) ad demonſtrandum circa hanc controuerſiā, id quod purum, caſtum, ſelectum & apoſtolicum eſt, contra aduerſarios pietatis Deo duce in hac conſideratione accingar. Quam ad tuam integritatē mittendam duxi, quippe qui eiuſmodi rerum graui diſcuſſione ſoleas delectari, & cui tam eſt integra uirtus atq; religio, ut nihil prorſus placeat quam quod uere eccleſiaſticum eſt. Vale uir permagnifice, & in omnibus quæ feceris & cogitaueris Chriſtum Ieſum mente habeto.

SEPTIMA CONSIDERATIO.

De cultu, veneratione, & interceſſione ſanctorum.

IN duo membra partietur breuiter noſtra conſideratio. In primo, ratione & ſcripturis apertis demōſtrabimus, id quod aduerſarij velint nolint circa honorem ſanctorum debent concedere, et quod credo non negabunt, quamuis contrarium in cōuenticulis eorum apud ſeductos ab eis videamus eſſe in vſu. In ſecundo tractabimus ea, quæ ipſi aperto Marte impugnant circa venerationem ſanctorum, tum ratione in ſcripturis fundata, tum etiam diuina Traditione, vſu antiquæ et apoſtolicæ eccleſiæ cōſirmata eo enim tendit ſemper in hoc argumento ſcopus noſter, vt omnes cuniculos occludamus, quibus euadere tentant lubrici iſti angues, ne dicant per errorem hunc cultum in Eccleſia fuiſſe introductum. Sed ſtatuamus prius cum philoſophis nonnulla, veluti principia eorum quę dicenda ſunt, quæ naturali lumine videntur conſtare. Primo, quod honor et reuerentia quæ dictante ratione alicui defertur, non niſi ob virtutem aut dignitatem ad virtutis exercitium ordinatam, quam in eo quem honoramus, agnoſcimus, impendi debet. Recte enim dixerunt ſapientes honorem prēmium, atq; vmbram eſſe virtutis & excellentiæ: etſi Ariſtoteles aſſerens honorem præmium tantum eſſe virtutis, neſcio an ſatis docte viſus fuerit affirmare,

4 Ethicorum.

Secundo, quod honor externus ad hoc vt verus ſit procedere debet de recta exiſtimatione interiori, affectum ipſum ad honorem externum exhibendum inuitante, qua credimus perſonam quam externe colimus dignam eſſe cui talis honor a nobis deferatur, ſit vera ſpeculatiue exiſtimatio, ſiue falſa, modo recta & vera ſit, practice & moraliter, perinde eſt, non ob id vitioſa reddetur huiuſmodi honoris exhibitio, exercitatus in

tus in morali Philoſophia me intelliget, alias honor ille externus exhibitus, ſine hac interna exiſtimatione et affectu, magis eſt irriſio quam reuerentia, nec a ſapientibus officium iſtiuſmodi externum, verus honor reputatus eſt, quorum iudicio circa ea quæ virtutem concernunt, teſte Ariſtotele ſtandum eſt.

Tertio quod propria ratio honoris magis conſiſtit in recta hac exiſtimatione & affectu honorandi, quam in externis actionibus quibus honor exprimi ſolet atq; deferri: quod minime etiã obſcurum eſt, nam cũ afficere aliquem honore dignus eſt, ſit actio quodãmodo iuſtitiæ (redditur enim per iuſtum honorem illi cui exhibetur, quod iure conuenit) omniſq; virtutis ratio potiſſimũ in actionibus interioribus animæ iudicio & libertate præuijs cõſiſtat tanquam in fonte et radice, a quibus quicquid laudis & vituperij habent actiones externæ deriuatur, & non ecõuerſo: ſtat firmiter a ſſumptũ noſtrũ, præcipue reſpectu Dei optimi maximi, cuius præcipuus cultus (vt Auguſtinus in Enchiridion, & decimo quarto de Trinitate capite primo recte docet) in actionibus fidei, ſpei & charitatis, quæ & iſtam virtutem honorificam latriæ moderantur, conſiſtit. Spiritus enim eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Adde quod ſola hac recta exiſtimatione & affectu interiori, quando non adeſt, aut ſe non offert facultas externum honorem exhibendi, aliquis vere & proprie honoratur. Vnde ſapientes pro magno honore ducunt, quod aliquis vt dignus magnis externis honoribus recte exiſtimetur, quamuis nullis externis honoribus afficiatur: & multo pluris faciunt honores promereri quam habere. Exhibitionem autem honoris duntaxat per exteriores ceremonias abſque interiori affectu, & recta exiſtimatione nemo cordatus verum honorem eſſe dixerit, imo Deus ipſe magno ſtomacho execratur: Quo mihi (inquit) multitudo victimarum veſtrarum? ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra, incenſum abominatio eſt mihi. Rurſus cum diuerſitate exiſtimationis & affectus diuerſarum rationum, plerumque exhiberi ſolent externi honores omnino quantum ad ſubſtantiam eiuſdem rationis. Detegimus enim caput, genu flectimus, Imperatori, epiſcopo, patri, magiſtratui, mercatori & ciui, hominibus nempe de quibus multũ differentem exiſtimationẽ rectam oportet habere, & in quibus longe diuerſa ratio honoris exhibendi reperitur. Nõ ergo ſubſtantialiter cõſiſtit honor in his exterioribus ceremonijs, quippe quæ non tot poſſunt eſſe, quot recte exiſtimationes, & quod magis eſt, manẽte aliquando vna et eadẽ ratione honoris quantũ ad exiſtimationẽ, variantur hi exteriores cultus ſecundum varietatem prouinciarum & regionum. Vnde emergit, quod nonnunquam Deus et creatura quantum ad externum cultum attinet, ijſdem fere ſecundum ſpeciem

Auguſt.

Ioan. 4

actio-

actionibus honorentur, flectimus enim genua Deo, & flectimus Pontificibus: ſed Deo cum recognitione vniuerſalis dominij & creationis, reputando illum omni laude & obſequio maiorem, prout Raphael angelus dixit Thobiæ: De Pontificibus autem, aut de creatura aliqua hoc exiſtimare non licet. Nontanter dixi, fere, quia vt recte docet Auguſti-
August. nus x. de ciuitate Dei, capite quarto, aliqua actio honoris externa eſt, quæ ſic diuino cultui eſt annexa, vt nulli creaturæ abſq; idololatriæ crimine accõmodari poſſit, vt eſt ſacrificare. Cæterum, offerre, iurare, promittere, auxilium petere, geniculari, laudare, recte ſentire, hæ actiones ſubſtantialiter deſumptę, creaturis etiã (ita tamen, vt debito modo fiãt) impendi poſſunt. Quare qui propter hæc ſolum externa obſequia, quæ videt creaturis impẽdi, proximos ſuos de vitio idololatriæ notat, temere et pernitioſe iudicat: quippe quæ recta et obliqua exiſtimatione poſſunt impendi, & de cuius rectitudine, & obliquitate, per exteriores illas ceremonias, minime poteſt conſtare. Et hæc eſt cauſa, quare nomen adorationis varie & multipliciter in ſcriptura accipiatur, nunc pro cultu ſoli
Deute. 6 Deo debito, vt Deuteron. Dominum Deum tuum adorabis, et illi ſoli
Gene. 23 ſeruies: nunc pro cõmuni veneratione, quæ creaturis debetur, ſicut de
Gene. 50 Duplex adoratio Abraham dicitur, quod adorauerit coram populo terræ ſubmiſſus. Et
2. Reg. 9 de fratribus etiã Ioſeph, qui ipſum etiam proni in terram adorauerunt. Rurſus de Nathan propheta et Miphiboſeth, quod adorauerint quoq; regem Dauid, & alter horum etiã pronus in terram: qui tamen non fuerunt idololatriæ vitio notati, etſi profunda illa ſubmiſſio vultus, maximam repræſentet reuerentiam, quæ ab homine exteriori corporis ceremonia exhiberi poteſt: quam ſancti viri ideo non prohibuerunt aut damnauerunt, quia non fiebat cũ illa exiſtimatione, qua ipſa eadẽ actio
Iudic. 13 ſolet fieri cum Deo exhibetur: Angelus enim qui nunciauit natiuitatem Samſonis, cum ei Manue pater naſcituri ducis voluiſſet honorem exhibere, non recuſauit, ſed tantum inhibuit ne illi offerret ſacrificium, ſed
Gene. 18 domino. Sed neq; angeli qui apparuerunt Abrahæ in conualle Manbre, adorationẽ ſibi ab Abraham exhibitam renuerunt, cum quibus in terram proſtratus loquebatur Abraham. Alij vero angeli, de quibus legitur quod adorationem recuſauerint, & adorantes repræhenderint, fortaſſis id fecerunt, quod homines illi quibus apparebant, viſione vltra mundanæ ſubſtantiæ perterriti, attoniti, & extra ſe quaſi poſiti, honores illos exhibebãt, exiſtimatione aut tali corporis demiſſione, qualem crearuræ forte impendere non conueniebat. Hanc confuſionẽ vt euitarent Theologi, duplicem modũ orationis aſſignarunt: alterum latriæ, quæ ſoli Deo debetur, cũ hac recognitione & exiſtimatione vniuerſalis poteſtatis, prouidentiæ & dominij: alterum vero duliæ, quæ ab hac latria potiſſimũ differt, per exiſtimationẽ et recognitionem, et id genus officij, quod

cij,quod præſtamus alicui propter virtutis excellentiam aut dignitatẽ, quam in eo eſſe credimus, quanq̃ neſcio an proprie dulia huiuſmodi officium debuiſſet appellari:cum veneratio illa, quæ cõmuniter ſanctis debetur,minime in ſignũ ſeruitutis exhibeatur. Omnes enim ſerui Dei ſumus,quanquã meritis & ſanctitate multum diſpares:id quod ſignifi- cauit angelus ille, cui ſe Ioannes apoſtolus proſtrabat, dicens: Vide ne *Apoca- lyp.19.* feceris,conſeruus enim tuus ego ſum & fratrum tuorũ. Dixi cõmuniter ſanctis,quia non ignoro virgini deiparæ ſacroſanctæ propter diuinitus ſibi datum maternitatis priuilegium, quo mater Dei dicitur & eſt, & alias ſibi diuinitus collatas prærogatiuas, multa officia ei quaſi ſerui- tutis deberi,quæ alijs ſanctis minime debentur, niſi metaphorice ſerui- tutis velis ſumere, & non proprie. Quod ſi in tantum arridebant græca vocabula,rectius forte poſſit explicari differentia hæc adorationis, per hæc nomina λατρεία κ δουλεία. Abſcedat tamen moroſitas in nominibus, quando conuenimus de re. Priorem adorationis modum ſignificauit *Duplex adoratio* Deus,quando Iſrahelitis præcepit Exodi vigeſimo: Non facietis mecũ *Exod.20* deos argenteos,quaſi diceret, non faciatis rem vt colatis eam exiſtima- tione & honore,quæ mihi ſoli debẽtur. & alibi prohibuit ne fieret ſculp- tile ad adorandum. Vnde Auguſtinus libro primo de Trinitate capite *Auguſt.* ſexto:Idololatræ dicuntur, qui ſimulachris eam ſeruitutem exhibent, *Qui ido lolatræ* quæ debetur Deo.ſecundum hanc enim ſeruitutem dictum eſt: Domi- num Deum tuum adorabis. Et infra dicit, quod prohibemur ſeruire creaturæ huiuſmodi ſeruitute & cultu.

Ex prædictis clare colligitur id, quod per doctrinam iſtam præcipue uenari conamur: quod ſi aliquando idem honor externus exhibeatur creaturis(recta tamen & debita illis exiſtimatiõe ſeruata) qui multoties ſolet exhiberi Deo,modo maneat in veneratore recta illa exiſtimatio & affectus,qui ſoli Deo debetur,non præuaricatur neq; ſpiritualiter for nicatur,ſed cum Abel iuſto Deo offerens meliora,recte diuidit. Vnde diluitur clare ſacramentariorum & anabaptiſtarum calumnia pernitio- ſa,qua nos idololatricos faciunt,quaſi cum ſanctos veneramur, diuinũ cultum qui Deo debetur,illis impendamus. Non enim aliter ſentit pręſentis temporis Eccleſia,quam quod olim in prima illa ætate martyrum ſenſit eccleſia Smyrnenſis,cum deſcribit mortem diui Polycarpi Ioan- *Eccleſia Smyr- nenſis* nis apoſtoli diſcipuli,quam citat Euſebius lib.iiij. vbi obuiatur ſimili ca lumniæ,a perfidis Iudæis contra ſanctos viros tunc intentatæ: Ignorãt *Euſebio* (inquit)miſerrimi,quod Chriſtum non poſſumus derelinquere,nec em alium quenq̃ colimus,q̃ verum Deum,qui ſolus colẽdus eſt: martyres vero tanq̃ diſcipulos Domini diligimus & veneramur, quaſi integre fidẽ ſeruãtes magiſtro et Domino,quorũ nos quoq; in fide et pſeuerãtia optamus eſſe participes. Quæ verba nobis duplicem cultũ denunciant

Hieron. in Eccleſia illa apoſtolorum vſitatum. Eandem diſtinctionem ponit diuus Hieronymus epiſtola vndecima ad Riparium: vbi dicit Chriſtianos ſolum Deum adorare, ſed martyres & reliquias eorum venerari: quorum honor (inquit) ad Dominum redundat, qui dixit: qui vos ſuſcipit me ſuſcipit. Idem atteſtante Epiphanio in ſecta Collirīdianorum, vbi virgini matri denegat adorationem in rigore ſumptam, tribuit autem illi venerationem, dicens: Veneretur Maria, adoretur Dominus. & Auguſt. Auguſtino libro tertio contra epiſtolam Pelagij ad Bonifacium. Itaque diſtinguendo vocabula adorationis & venerationis, vt iſti ſancti diſtinguunt, nemo in Eccleſia dicit, qui recte ſentiat, ſanctos debere adorari, ſed venerari. Hanc doctrinam præcedentem qui recte et ſyncere perpēderit, non ſolum ad intelligentiam materiæ plurimū iuuabitur, ſed aduerſariorum calumnias facile refellet, & argumenta a ſcripturis ſuperficietenus petita diſſoluet: quippe quæ ex mera ignorantia aut potius malitia & odio, quo in Eccleſiam ſunt male animati, videantur eſſe conficta.

Eſt & aliud ſcripturis compertū, & ratione quodammodo naturali notum, voluntatē Dei eſſe, quod ſancti viri & amici eius honorentur et reuereantur: quod tam certū eſt, quam ipſa fides qua ſaluamur. Nam quos ipſe honorat, et in tanto precio habet, vt æternos eis honores conferat & promittat, qui fieri poteſt, vt ab alijs ſeruis ſuis honorari etiam non debeant? Dixit enim Chriſtus Ieſus, omniū verorum honorum le-
Matt. 19 gittimus diſtributor, apoſtolis ſuis: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrahel. Et ali-
Lucæ 22 bi: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnū, vt edatis et bibatis ſuper menſam meā in regno meo. Rurſus in alio loco: Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus, qui eſt in cœlo.
1. Reg. 2 Et alibi: Vbi ego ſum, illic et miniſter meus erit. Et primo Regū capite ſecundo: Qui honorificauerit me, dicit Dominus, glorificabo eum, qui
Pſal. 132 autē contemnunt me, erūt ignobiles. Et Pſalmus: Nimis honorati ſunt amici tui Deus etc. Apoſtolus etiam: Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni ſunt: æterno ſcilicet a Deo conferendo, et temporali a nobis exhibendo, vt antiqua gloſa habet. Quod ſi vt paulo ante tractabamus, honor et reuerentia dignitati & meritis virtutū debetur, obſecro, qui magis digni, qui magis ſtudioſi et heroicarum virtutū ſectatores fuerunt, quam hi quos infallibile iudiciū Dei approbauit, vt de ſeruis faceret amicos, transferens illos in admirabile lumen filij ſui, apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines et ſancti alij, qui charitate eximia quæ omnium virtutū ſumma eſt, et virtute ſpiritus accenſi, ceruices ſuas pro Dei honore expoſuerunt, et omnia temporalia tanquā ſtercora reputauerunt, et nomen Dei, verbo et exemplo dilatauerunt, et de mun-

do, dia-

do,diabolo, & adhuc de ſeipſis tam glorioſe triumpharunt, hoc ipſum oſtendente Deo ſtupendis ſignis & mirabilibus prodigijs, quæ imitari a diabolica potentia non poſſunt. Et quamuis hoc de omnibus ſanctis, quos Eccleſia colit, non oſtendiſſet,modo probabilitate morali hęc de illis exiſtimemus & credamus, nullum eſt periculum, imo magna laus eſt tales nomine Dei honorare. Nemo em̃ culpatur,imo laudatur,quod hominem in Republica probatæ opinionis, etiam ſi euidenter vera non ſit exiſtimatio de eius eximia virtute, honore aliquo afficiat, & obſe- Cenſura quijs officioſis proſequatur. Hoc dico propter ſciolos quoſdam ſuper- regulæ vulgaris ciliosos,qui honorem debitum multis ſanctis denegant,freti illo dun- de vene- taxat vulgari dicto, quod multa corpora ſanctorum venerantur in ter- ratiõe re ra,quorum animæ ſepultæ ſunt in inferno: quod non vellem ſic intelli- liquiarũ gi, vt nonnullos quos Eccleſia inter ſanctos merito recolit, temere pu- tent eſſe damnatos, etſi interdum falſum poſſit eſſe iudicium de eorum ſanctitate, ſed quod multoties contingat aut errore aut nebulonũ im- poſturis, vt ſuppoſititiæ reliquiæ nomine ſanctorum obtruſæ, honoren tur pro veris. Nec obſtat quod corporaliter mortui ſint ſancti, & in vi- ta hac non ſuperſint, quia cum mors hominis vere non ſit niſi ſeparatio animæ a corpore, & præcipuæ partes eorum, puta rationales ſpiritus, cũ Deo in perpetuum viuant, et cum Chriſto regnẽt,(cupiebat enim Apo- ſtolus diſſolui & eſſe cum Chriſto, & Chriſtus dixit Deum Abraham, & Iſaac non eſſe Deum mortuorum, ſed viuorum) quanto firmior & ſecurior eſt eorum virtus, dignitas, fœlicitas & charitas erga nos, tan- to eos magis honore & laude & obſequijs proſequi debemus: vtpote qui iam ſunt Deo cõiuncti, in portu ſalutis repoſiti, vndoſo iam et pro- celloſo mari huius vitę tanta cum laude traiecto. Lauda (inquit Am- Ambroſ broſius) nauigantis fœlicitatem, ſed cum venerit ad portum, lauda du- cis virtutem, ſed cum perductus eſt ad triumphũ. Et ſapiens ille Solon Solon. veras laudes & honores defunctis, et qui vitam hanc laudabiliter tranſ- egerunt, potiſſimum cenſet deferendas. Quod et Deus ipſe benedictus facit, cum iuſtorũ animas in manu ſua tenet, vbi non tangit eos tormen- tum malitiæ, quas ſecum facit in menſa cœleſti accubare, et in loco vbi ipſe eſt eſſe: Agnũ enim illum ſequuntur ſpiritus illi iuſtorũ quocunq; Apoc. 14 ierit, et tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrunt, fulgentes pluſquã ſol in meridie, in perpetuas æternitates collocati. Igitur cum partes ho- noris ſint de ſanctis recte ſentire, eos & res ipſorũ venerari, viua eorum exempla imitari & admirari, Deum in ipſis laudare, & vice verſa ipſos in Deo: negare non poſſunt aduerſarij, (ſi Deo et naturę non volunt re- pugnare) ſanctis et electis Dei huiuſmodi obſequia debere impẽdi. Hoc enim Deus vult, et ipſa ratio naturalis poſtulat: cui nõ credo contradi- cent, quãuis male decepti, cupientes aliquos cultus tanquã periculoſam

Charybdin.i.ſuperſtitionẽ euitare,in Scyllam incidũt impietatis, nullos cultus ſanctis Dei exhibẽtes.Idipſum fere faciẽtis in omnibus:docẽt ſemper ieiunandũ eſſe,& nunquam ieiunant: docent ex dono Dei aliquos cœlibes poſſe eſſe,& nemo inter eos eſt qui cœlibatum amet, aut prędicet:imo quibuſdam artibus diabolicis ab huiuſmodi laudabilibus officiis populos ſuos detrahunt,& ad barathrum diſſolutionis & impietatis ducunt. Officia vero præcipua quæ ſanctis exhiberi denegant, hæc ſunt:quod ſcilicet per eos aliquid a Deo petamus aut ſperemus: quod eorum reliquias & ſepulchra veneremur:quod credamus nos per eorũ interceſſiones a Deo exaudiri,& potiſſimũ quod eos in noſtris orationibus inuocemus. Videtur enim illis quod officio mediatoris, quod Domini noſtri Ieſu Chriſti propriũ eſt,multum derogetur,ſi alios interceſſores & aduocatos noſtros eſſe concedamus. Inſuper putant honores diuinos(non ſine blaſphemia)ſanctis tribui, quod a tam diuerſis locis, et ad tantam diſtantiam dicamus ſanctos noſtras orationes audire,& quod magis eſt,ſecreta noſtra deſideria intelligere, & alia nonnulla exaggerantes accumulant,quæ a Pygardorũ libris et naufragio illo Eraſmiano decerpſerunt.O craſſum ſenſum et vere carnalem:Velle leges imponere Dei largitati qua vult ſanctos ſuos omnibus modis glorioſos efficere,et Dei omnipotentiam ſuo modo intelligendi velle metiri, tã puerilibus argumentis ductos,contra Traditionem Eccleſiæ et diuinã ſcripturam.Quod certe demonſtrare non erit difficile, licet paucis verbis id nequeamus efficere.Ante omnia tamen nouerit candidus lector,meram eſſe calumniam & impoſturam, qua affirmant nos prærogatiuas Dei proprias ſanctis tribuere, quaſi illis ſua propria virtute conueniant:ſcit enim Eccleſia Dei, nec opus habet, vt a craſſis iſtis magiſtris moneatur,ſolius Dei eſſe virtute propria, occulta cordiũ deſideria cognoſcere,vbiq; eſſe & intelligere,& auxilia his qui ad eum confugiunt in momento præſtare:quæ ſi creaturis, quantumlibet excellentibus tribueremus,aut ſuapte virtute conuenire diceremus, multos procul dubio Deos faceremus,& plane in Deum blaſphemi inueniremur.Cæterũ cũ ea quæ ſanctis ſpiritibus, in hac parte tribuimus,per Dei gratiã et amicitiã,qua Deo ſunt valde cõiuncti, illis cõuenire affirmemus,tam ſalua eſt a blaſphemia noſtra ſentẽtia,quã dicere quod Petrus apoſtolus diuina virtute vmbra ſui corporis male habẽtes in grabatis,in momẽto ſanauerit,peccata dimiſerit,et alia ſtupẽda miracula ꝑpetrauerit:quę cũ Deo ſoli propria virtute conueniant,ſcriptura tamẽ prędicat feciſſe gratia et virtute Dei cooperantibus,apoſtolos et ſanctos viros, quæ certe non minoris momenti et prærogatiuæ ſunt,quam aliorũ ſecretas actiones cognoſcere, in diuerſis quantumlibet locis exiſtẽtium. Quid enim ex his quæ ad fœlicitatẽ conducere videntur negari poteſt illis, qui cum

Quę denegant ſanctis nouatores.

Deo regnant, & ipſi gratia & amicitia valde coniuncti ſunt: certe nō recte ſentit de Sanctis, neq; de Dei amicitia, & ſumma eius liberalitate, imo eos magnopere inhonorat qui hęc illis non concedit: quandoquidē quod per amicos poſſumus, per nos etiam quodā modo poſſumus. Hoc Ariſtot. ſi verum eſt de ijs qui humana amicitia ſunt deuincti, caduca, terrena, & plerumq; falſa, atq; mutabili: cur non idem ſentiemus de diuina, quæ perpetua, fixa, vera, & ſuper hæc inenarrabilis eſt: Oculus non vidit, neque in cor hominis aſcendit quę pręparauit Deus diligentibus ſe. Et alibi hæc promittit Chriſtus ſuis ſequacibus: Menſuram bonam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Cōmunicat enim Lucæ 6 ſuas prærogatiuas Deus electis ſuis, vt Baſilius recte docuit, abſq; ſuæ Baſilius dignitatis diſpendio: vt facere miracula, peccata diſſoluere: et chariſmata alia per creaturas quaſi per inſtrumenta cōfert: cū tamen ſolius Dei ſit propria virtute huiuſmodi effectus producere. nec tamen propter hoc facimus creaturas deos, neq; blaſphemat Eccleſia iſta credēdo. Sed iam videamus per capita, quid illis diuina gratia & virtute tribuendum ſit: nam neq; omnia quæ aduerſarij dicunt a nobis illis tribui, re ipſa tribuimus.

QVOD SANCTORVM SPIRITVS agnoſcant vota noſtra.

Qvod vero ſanctis ſpiritibus cum Deo regnantibus re ipſa per gratiam & virtutem Dei orationes & deſideria noſtra cognoſcere conueniat, ratione & ſcripturæ teſtimonijs, & Traditione ſancta confirmemus.

Nam vel repugnaret ſanctorum ſpiritibus agnoſcere vota noſtra, ea ratione qua ſpiritus ſunt, aut ea ratione qua ſunt creaturæ: neutrum aūt verum eſt. nam & angelis qui creaturæ ſpirituales ſunt, hoc tribuunt ſcripturæ & ſancti. Dixit Chriſtus redemptor noſter Lucæ xv. Dico vobis gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Lucę 15 ex quo loco duo habes: Alterum, quod gaudent angeli de pœnitentia peccatorum in terra exiſtentium: Alterum, quod gaudent ipſi exiſtentes in cœlo. Cum ergo gaudium ſit paſſio, quæ ex conſecutione rei deſideratæ in appetitu rationali gignitur, nemo enim proprie gaudet niſi quando rem deſideratā agnoſcit ſe conſecutum, cognoſcunt ergo creaturæ cœleſtes in cœlo pœnitentiā, quam faciunt peccatores in terra, quę cū in diſplicentia peccatorū, et actionibus interioribus animæ potiſſimū conſiſtat, conſequitur beneficio Dei ipſos agnoſcere intima cordis hominū, non in vno loco duntaxat exiſtentiū, ſed in quibuſcunq; locis: nā & ibi de nonaginta nouem iuſtis, aut qui ſe pro talibus reputant, facit mentionem, quos præſupponit a ſanctis ſpiritibus cognoſci, de quorum vita non tantum gaudent, quantum de pœnitentia & conuerſione

peccatorum. Quid hic obſecro obgannire poſſunt aduerſarij? Nũquid Chriſtus Deus noſter tribuendo iſtud angelis faciebat illos Deos? Abſit a nobis tanta blaſphemia. Quare igitur quod angelis tribuit Chriſtus, non tribuetur etiam animabus ſanctis, cum ſint ſpiritualis ſubſtantiæ, & Chriſtiana charitate, qua ſunt præditæ, noſtram ſalutem deſiderent? Certe non video rationem: præſertim cũ tanto maiori deſiderio noſtros profectus exoptēt, quãto arctiore nobiſcũ vinculo charitatis & naturæ neceſſitudine in gratia iã confirmati ſint coniunctæ. Quare ſi noſtram ſalutē deſiderant, cũ oratio ſanctorum ſpirituũ in feruenti deſiderio conſiſtat, cõuincitur ſubinde eos & pro nobis orare, & deſideria noſtra particulariter cognoſcere. Nam vnde obſecro angelus ille ad beatum Danielem miſſus, nouerat ipſum eſſe virũ deſideriorum, & pœnitentiã qua ſe afflixerat, ob quod dicit ſe ad eum miſſum eſſe, niſi ſpiritus cœleſtes beneficio Dei actiones intimas cognoſcerent, et ad noſtrã vtilitatem? Dicit enim angelus Gabriel, qui ei apparuit: Ex exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego aũt veni vt indicarē tibi, quia vir deſideriorum es. Et in ſequēti capite: Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuũ ad intelligendũ vt te affligeres in cõſpectu Dei tui, ecce audita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos. Vides ſanctũ angelũ cordis cogitatiões & pœnitentiã quę corã Deo in ſecreto fit intelligentē, & ad preces Danielis inclinatũ, vt veniret ad reuelandũ ea, quæ agenda erant in poſtremo tempore. Angelus quoq; ille Thobię manifeſto ſe dicit agnouiſſe opera bona, & orationes eius: Quãdo orabas (inquit) cũ lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuũ, & mortuos abſcõdebas, ego obtuli orationem tuã Domino. Qui certe non obtuliſſet, niſi eã cognoſceret. Vnde Auguſt. in lib. ſoliloquiorũ: Quoties (inquit) recte agimus, lætantur angeli. Cyrillus etiam lib. ix. ſuper Leuit. Angelos dicit ſemper attentos ad noſtras actiones, vt videãt ſi eſt aliquid in nobis, q̃d poſſint Deo offerre, nã hæc ipſa ſunt eius verba: Et quid ſibi vult illud Lucæ xvi. quod de anima diuitis epulonis in inferno ſepulti, Chriſtus Deus noſter affirmat, non quidē parabolicos, nã quando in parabolis loquitur ipſe ſe ſolet explicare, aut ſimilitudinem ad res de quibus ſunt applicare, quod non facit in propoſito, ſed vere & realiter dicit diuitē illũ fuiſſe in inferno ſepultũ, de cuius miſera anima refert, quod viderit patrē Abraham a longe, & pauperculum Lazarum in ſinu eius, quem deprecabatur, vt ſui miſereretur. Vnde huic tam perſpicax cognitio, quod cum magnum & ingens chaos eſſet inter animam ſancti Abrahæ et ipſum, tam longe ipſum cognoſceret, & deprecaretur? Et vnde animæ Abrahæ tam viuax & potens auditus, vt epulonis animã poſſit audire, et cum eo colloqui, inſuper quod quinque fratrum ſuorum in terra viuentium recordaretur damnata

Margin notes: Danielis capite 9 & 10 — Thob. 12 — Auguſt. — Cyrillus — Lucę 16

illa

illa anima, adeo, vt illos viuentes tunc intelligeret ipſa in inferno ſepultaꝰ Profecto hic locus manifeſtam cognitionem eorũ quæ ad nos pertinent, in ſeparatis animabus clare oſtendit, & tantã quidem, quanta ſufficit ad earum beatitudinem vel miſeriam pro qualitate ſuorum operũ ſtatuendã, quod erat a nobis aſſumptum propoſitũ. Id quod D. Augu- August.
ſtinus etiam epiſtola ſexta ad Italicã, expreſſe affirmat, beatos ſpiritus poſt mortem ſe inuicẽ cognoſcere vſq; ad mentis penetralia. Iſtuc ipſum Esaiæ 15
tribuit Deus benedictus Moyſi & Samueli in Domino dormientibus, quando dicit, Quod ſi ſteterint Moyſes & Samuel corã eo, non placabitur ſuper populum Iſrael. quod non diceret, ſi illorum animæ flagella populi ſui agnoſcere non poſſent. Rurſus dicant nobis aduerſarij: Chriſtus orat pro nobis, nec ne? Si negent, quomodo ergo aduocatus eſt noſter apud Patremꝰ quod Paulus & Iohannes apoſtoli teſtantur. ſi autẽ Apostol. Ioannes
orat, vt re vera orat, orat ne in quantum Deus, an in quantum homo? Primum dicere non poſſunt, niſi inſaniant: reſtat ergo vt oret pro nobis in eo quod homo eſt, & frater, & caput noſtrum. ſi ergo orat pro ſingulis nobis, neceſſe eſt quod agnoſcat deſideria noſtra, & audiat preces omnium membrorũ ſuorum, quæ per totum mundũ ſunt diſperſa: hęc autẽ qui fieri poſſunt a creatura vt eſt Chriſti humanitasꝰ Scio reſpondere poſſunt hæc Chriſto ſecundum quod homo eſt conuenire, propter ineffabilem coniunctionem, quã natura illa humanitatis benedicta habet cum diuino verbo, a quo in vnitate ſuppoſiti ſuſtẽtatur & illuſtratur. Quid ad me, ſatis eſt me habere quod hanc facultatem cõmunicat Deus creaturis, & cum potentia diuina non ſit ſic limitata, vt per hunc ſolum modum coniunctionis hanc virtutẽ ſuis mẽbris cõmunicet. Sequitur quod poteſt alijs modis ſibi placitis eam cõmunicare, maxime beatis illis ſpiritibus, qui tam ſunt Chriſto indiſſolubili nexu coniuncti, vt vita & prærogatiuæ Chriſti ſint illis per Dei gratiam quodãmodo cõmunes, id quod Chriſtus a patre impetrauit, Ioannis xvij. cum dixit: Ioan. 17
Rogo te pater, vt omnes vnum ſint ſicut tu pater in me, et ego in te. Et ſubdit: Claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnũ, ſicut & nos vnũ ſumus. Quæ verba declarãs beatus Hilarius viij. de Trinitate, per Hilarius
claritatem illam, honorem vult intelligi, affirmans ſanctos Dei non voluntate mentis tantum vnum eſſe in Chriſto, verum naturali quadam per gratiam impartita vnione, vt ſicut ipſe viuit per patrem, ita ipſi viuant vita Chriſti, & impleatur dictũ illud diui Petri, quo dicit ſanctos Pet. 2
conſortes eſſe diuinæ naturæ. et illud Ioannis: Ego ſum vitis & vos pal- Ioan. 15
mites. vnius autem naturæ ſunt palmes et vitis, vt Auguſtinus exponit: August.
propter quod cũ eſſet Deus, factus eſt homo: vt in illo eſſet vitis humanæ naturæ, cuius nos palmites eſſe poſſemus.

Fortaſſis dicent aduerſarij nõ eſt ſimilis ratio de ſpiritibus ſanctorũ,

& Chriſto redemptore noſtro, nam Chriſtus deſignatus eſt a Deo inuocatus & mediator noſter, ſancti autem non ita: eſſet enim hoc multũ derogare officio mediatoris, per quod Deus diſpoſuit reconciliare ſibi omnia, idcirco ad id muneris ſubeundũ, neceſſe eſt vt ille audiat et cognoſcat orationes & deſideria noſtra: in ſanctis vero nõ ſic ſe res habet. Rideo cum iſtos nouatores audio toties inculcare gloriam hanc vnici mediatoris, quaſi nos a Chriſto Ieſu hanc gloriam adimamus, propterea quod ſanctos pro nobis orare affirmemus. Agnoſcimus et confitemur, tum ex ſcripturis, tum ex ſanctis omnibus, per vnicum dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, & meritum obedientiæ eius, qua obediuit patri vſq; ad mortem, mundum eſſe reconciliatum Deo patri, & redemptum a ſeruitute peccati, neminemq; poſſe ei placere, niſi per Chriſtum filium eius benedictũ, qui oſtium eſt, quo ad Patrem ducimur, via, veritas et vita ſanctorum, per quem diſpoſuit idem æternus pater pacificare omnia, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt: cuius meritum in tantũ magnifacimus, vt quicquid ſancti pro ſe, & pro nobis faciunt, fecerunt, & a Deo impetrauerunt, in virtute eius a Deo putemus & confidamus exaudiri: in cuius confirmationem ſancta Eccleſia cũ merita et interceſſiones ſanctorum apud Deum repræſentat, in fine orationis ſemper adijcit, per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum: nihil validum, nihil preciosum, per hoc apud Deum eſſe reputans, niſi quod in Ieſu Chriſti merito inexhauſto fuerit Deo patri repræſentatũ: quare licet multi interceſſores ſint & mediatores, in virtute tamen vnius, qui proprie mediator eſt, hæc faciunt ſanctorum animæ, At vbi multa propter vnum, vt regula topica habet, ibi tantum vnum. Si enim paſſiones ſanctorum (vt Paulus ait ad Colloſſenſes) Chriſti quodammodo paſſiones ſunt, quare non ſubinde interceſſiones ſanctorũ in Chriſti virtute eidẽ Chriſto imputabuntur? nunquid non cœleſtis illa Hieruſalem, iuſtorũ vxor eſt, & Chriſtus maritus eius? Ioannes dixit Apocaly. xxi. Quod ſi vxor & maritus ſunt, erit inter eos alterna bonorum cõmunio: myſteriũ hoc magnum eſt (inquit) Paulus in Chriſto & Eccleſia. Admirabilis eſt cõiunctio illa ſponſi Chriſti & Eccleſiæ triumphantis, ita vt quæ Chriſti ſunt, ſanctarum animarũ etiam ſint, quæ ſequuntur agnũ ſponſum ſuũ, quocunq; ierit. Hæc connubia ſacroſancta, quia ante Chriſti aduentum non fuerunt ſecundum hanc arctiſſimam coniunctionem, in cauſa fuit, quod in antiqua lege rariſſime per ſanctorum merita, a Deo tanta ſubſidia expectarentur, eo quod tantus theſaurus non erat Deo patri oblatus, nec tantus aduocatus ad eius dexteram poſitus: cuius rei certos nos facit veritas ipſa, cum apud Ioannẽ dicit, vſq; modo non petiſtis quicq; in nomine meo, petite et accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenũ. Et alibi: Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo, dabit vobis. Itẽ ſi manſeritis

[Margin: In qua virtute intercedant ſancti.]

[Margin: Colloſ. 1]

[Margin: Apoc. 21]

[Margin: Ioan. 16]

ſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, pe- tetis, et fiet vobis. Qui autē Chriſto tenacius adhærent et vniuntur, quā ſanctorum ſpiritus cum eo iam regnantes? Itaque quicquid ſancti impe- trant, in meritum mediatoris vltimo deducitur: & hoc eſt magis ma- gnificare prærogatiuā mediatoris, quam dicere quod illi ſoli competat hoc munus pro nobis intercedendi: nam etſi ad merita ſanctorum ſpe- cialiter Deus attendat, illa tamen accepta habet, ſecundū quod virtutē meriti mediatoris Ieſu Chriſti participant. Adde quod ſi ſecundum ri- gorem velimus loqui, qui interceſſores multiplicat, non ſubinde ſequi- tur vt plures mediatores faciat: ratio enim mediatoris non ſolum inclu- dit in ſe interceſſoris officiū, ſed quod medius quodāmodo ſtet natura et officio inter extrema quæ reconciliantur: quod ſoli Chriſto (qui De- us et homo eſt) proprie et per ſeipſum conuenit, vt recte docet Augu- Auguſt. ſtinus ix. de ciuitate Dei, capite decimo quinto. Orationes autē ſancto- rum, ſicut in hac vita non derogant Chriſti merito & dignitati, ita nec in alia: ſi enim derogarent, nunquā Chriſtus diceret quod oportet ſem- per orare & non deficere, non pro ſe ſolum, ſed pro amicis & perſecuto- ribus, vt iubere videtur Matthæi quinto. Matth. 5 Nec Paulus oraret pro Ro- manis & Epheſijs. Roma. 1 cum tamen dicat: Teſtis mihi eſt Deus, quod ſine in- termiſſione memoriā veſtri faciā in orationibus meis. Nec viciſſim ab Epheſijs peteret vt vigilarent in obſecrationibus pro omnibus ſanctis, & pro me (inquit) vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cū fiducia, notum facere myſteriū euangelij. Iacobi 5 Neque cōmendaſſet Iacobus vt omnes pro inuicem orationes ad Deum funderemus, multū enim (inquit) va- let deprecatio iuſti aſſidua. Tandem omnes ſcripturæ nihil aliud cla- mant, quam ſanctorum orationes eſſe valde efficaces apud Deū. Quid igitur? neſciebant apoſtoli Chriſtū eſſe aduocatum et mediatorē inter Deum et homines? ſciebant certe: nam per illos Eccleſia hoc ſacroſan- ctum myſterium nouit, & tamen cum hoc ſuadebant orationes fieri, quibus & placabatur Deus, & beneficia conſequebantur fideles, ſed in nomine et merito Ieſu Chriſti. Quare ſi in hac vita nihil derogant in- terceſſiones ſanctorum Chriſti priuilegio, vt monſtratū eſt, quin potius tanto ipſum magis ampliāt et illuſtrant, quāto in plures Ieſu Chriſti me- rito impartitur hæc prærogatiua, nec in alia etiā vita derogabit ei, pro hoc quod ſpiritus ſanctorum pro nobis orent, qui in eadē virtute et merito hęc faciūt, et tanto veracius et ſecurius, quanto certior eſt et permanentior cōiunctio eorū cum capite Chriſto ſuo, imo non ob aliud videtur eis conceſſum a Deo, vt noſtras orationes audiant, et neceſſitates agno- ſcant, quod iam probauimus, niſi vt pro nobis apud ipſum cum fructu interpellent: alias plus in infœlicitatem eorum redundaret huiuſmodi cognitio, quam in complementum beatitudinis, ſi non poſſent hæc

cognoſcentes nobis interceſſionibus ſuis ſubuenire. Quod indignum eſſet de tam beato & fœlici ſtatu ſentire: quo fit, vt vanum & inefficax ſit aduerſariorum argumentum, quo explodere nitũtur efficaciam orationis ſanctorum, per hoc quod merita illorum atq; labores Deus iam abunde rependerit, tum quia ad præmium iſtud quod vltra condignũ eſt, etiam hæ prærogatiuæ pertinent, vt proximis ſuis & pie affectis prodeſſe poſſint ſuis interceſſionibus, tum etiã quia cum Deus per illorũ orationes noſtris votis et deſiderijs condeſcendit, nõ reſpicit ad nudos tantũ labores & ſanctorum opera, ſed ad amicitiã & coniunctionem, quam habent indiſſolubilem cum Chriſto filio ſuo vnigenito: amat enĩ pater nimium eos, qui filium ſuum vnice amant, ipſe enim pater amat vos dixit ipſa veritas, quia vos me amaſtis. et hoc eſt potiſſimũ quod Deus reſpicit, propter meritũ filij ſui: ſed neq; nos quando precibus valde dilectorum inclinamur ad aliquid largiendũ, rationem ſolum habemus ad amicorum deprecantiũ merita, vt ipſa experientia docet, ſed ad mutuum amorem, quo nos illos amamus, & illi viciſſim nos, cuius amoris partes præcipuæ ſunt, acquieſcere his quæ ab amicis petuntur & deſiderantur: ſed quia in hunc ſtatum fœlicẽ non deueniſſent ſancti ſine ſudoribus, laboribus et operibus (ſemper ſuppono Dei gratiã) hinc eorum merita repræſentantur Deo in orationibus, ſemper tamen adiuncto merito Chriſti, ſine quo neq; ſibi neq; nobis prodeſſe poſſent. Sed neq; in eis confidimus, aut vltimo collocamus ſpem noſtrã, ſed in liberalitate et magnificentia eius qui ſic voluit ſeruos ſuos honorare & illuſtres reddere, vt per eos deſtinauerit nobis multos et eximios fauores concedere, qui quia bonus et ſumme liberalis eſt, non ob id oculus noſter nequam eſſe debet, dicendo Deũ nihil iam illis debere: vt inſipienter dicunt aduerſarij. ſic enim honorantur quos Deus opt. maximus voluit honorare. Habes ergo ex his, ſpiritus ſanctorũ agnoſcere deſideria & vota noſtra, & cauſam valoris meritorũ & interceſſionis eorum, quæ magis declarabit cõſenſus omniũ antiquorum ſanctorũ, vt iam iam videbimus. Quomodo autẽ illa agnoſcunt, ſiue hoc ſit mira celeritate percipiendi ea, quæ eos vult Deus percipere, vt beatus Hieronymus cõtra Vigilantium videtur ſentire: ſiue per miniſteriũ angelorũ, qui omnia ſecundum Baſiliũ perluſtrant: ſiue per hoc quod in verbo diuino, in quo omnes creaturæ tanquã in ſpeculo relucent & repræſentantur, vident ea quę ad ſe attinent, et ad ſuæ gloriæ perfectionẽ, vt noſtro Fulgentio & D. Gregorio placet. quid enim eſt quod non vident ad ſe pertinens, qui videntem omnia vident? id quod mihi etiã magis arridet. perinde eſt, nõ oportet curioſe ſcrutari quod Deus non voluit reuelare, ſatis eſt quod de re ipſa conſtat nobis, de modo autẽ quo fit, illic videbimus, vbi cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus. Et valde conſonum rationi eſt illis ſanctis ſpiriti-

Hieron. Baſilius Fulgẽtio Gregor.

ſpiritibus tribuere cum Chriſto iam regnantibus, quod ſanctus Atha- naſius de beato Anthonio affirmat inter mortales agēte: dicit enim in vita ipſius, quod tantā fuerit conſecutus a Domino gratiam, vt ſi cuius rei ignarus fuiſſet, et eius ſecum inquireret notionem, orante ei a Domino reuelabatur: quod multis exemplis comprobat diuus Athanaſius, quæ longum eſſet recenſere. Athanaſ.

QVOD SPIRITVS SANCTORVM orent pro nobis, non in genere ſolum, ſed particulariter, et quod inuocari debeant.

DIcitur Hieremiæ xv. Si ſteterit Moyſes et Samuel coram me non eſt anima mea ad populum iſtum. Qui locus ſatis indicat curam eſſe ſanctis particularem de rebus noſtris: præſupponit enim, quod ſpiritus illorum poſſint orare pro ciuitate Hieruſalem et peccatis eius. Quarto etiam Regum cap. xix. hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Nō ingredietur ciuitatē hanc, et ſaluabo eam propter me, et propter Dauid ſeruū meū: quod nō diceret, niſi ſanctorum merita poſt mortē ſanctorum Deū inclinarent, vt ciuitatis illius miſereretur. Nec hic locus torqueri poteſt, vt torquere videntur aduerſarij, ad repromiſſiones, quæ factæ fuerant Dauid de Meſſia naſcituro, ita vt propter has nolit Deus perdere ciuitatem, et non propter ipſius orationē et merita: non eñ dependebat promiſſionis diuinæ executio a liberatione et defenſione ciuitatis Hieruſalē, quę tunc obſidebatur, nam poſtmodū fuit capta: nec ꝓpter hoc promiſſio Dei, de vero Meſſia Dauid facta, fuit impedita: loqtur ergo plane de liberatione ab imminēti periculo ex obſidione regis Aſſyriorum, quę minime ſancto Dauid fuerat repromiſſa, meritis tamē eius tunc cōceſſa. Quę verba tractat D. Chryſoſtomus homilia ij. in Pſal. l. noſtrum propoſitū ſatis confirmans: O rem (inquit) admirandam, o ineffabilem clementiam Dei. Dauid mortuus eſt, et Ezechiæ viuo patrocinatur. O iuſtorum etiam poſt conſummationem impugnabilis pugna virorum. Dauid mortuus eſt, et poſt mortem ſuam inuenitur viuentibus tam grande præſtitiſſe ſolatium. Dauid mortuus eſt, et merita eius vigent. Tres quoq; illi pueri in fornace, propter Abraham petunt a Deo liberari. Et ſecundo Machabęorū refertur, Iudam illum Machabęum in viſione vidiſſe Oniam ſacerdotem magnum, de ſancto Ieremia dicentem: Hic eſt fratrum amator et populi Iſrael, hic eſt qui multū orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias propheta Dei: a quo Machabęus gladiū accepit, hæc verba dicēte Ieremia: Accipe ſanctū gladiū, munus a deo, in quo deijcies aduerſarios populi mei Iſrael. Quod ipſum rei euētus cōprobauit: nā ſequēti die Nicanorum proſtrauit Iudas, & triginta quinq; millia hominum fuſa

Hiere. 4. Re. 19 Chryſo. Cap. 15

ſuſa & cæſa ſunt. Vbi ſatis clare oſtenditur cura & oratio particularis
Origen. ſanctorum pro nobis. Hæc verba tractans Origenes homilia iij. in Canticis, cum in ſanctorum memoriam incidit, ait: Omnes ſancti qui de hac vita diſceſſerunt, habētes charitatem erga omnes eos qui in hoc mūdo ſunt, ſi dicantur curam ſalutis gerere eorum, & iuuare eos precibus ſuis atq; interuentu ſuo apud Deum, non erit inconueniēs, ſcriptum namq; eſt in Machabæorum libro: Hic eſt Ieremias propheta Dei, qui ſemper orat pro populo. Hunc eundem locum Machabæorum citat idem Ori-
Origen. genes homilia iij. in Geneſim, affirmans hoc idem de Ieremia, quod pro
Epipha. Aegyptijs etiam oraſſet. Quos Epiphanius et Euſebius in hiſtoria Tri-
Euſebius
Apocal. partita affirmant ſæpe liberatos fuiſſe, oratiōe et meritis Ieremiæ, a morſibus aſpidum & crocodilorum. Eſt etiam illuſtris locus Apocalypſis octauo, vbi dicitur: Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu angeli coram Deo. qui tam clarus eſt, vt expoſitione alia non indigeat.

Intellexerunt iſtud omnes ſancti, non poſt tempora D. Gregorij, vt mentitur Luther, ſed a mille trecentis annis vſq; nunc: non minus, imo magis tribuentes in hac parte ſpiritibus ſanctorum, qui cū Deo regnāt, quam electis Dei, qui in hac vita militant: quippe qui charitatem habeant, qua nos diligant, cognitionem noſtrarum neceſſitatum & deſideriorum, per quam noſtris ſupplicationibus poſſint cōdeſcendere, vt pro nobis intercedant ad Deum, qui in tantum eos diligit et honorat, et cui tam indiuulſe adhærent: non enim habent deteriorem ſtatum, quantū ad hoc, propterea quod cum Deo regnant, imo multo meliorē, vt recte arguit diuus Hieronymus contra Vigilantium: quem non tantum inſe-
Philip. quitur, vt Philippus putat, quia honorem ſanctis impēdere prohibebat, ſed quia negabat nos eorū interceſſionibus adiuuari poſt mortē. Quor-
Hieron. ſum enim diceret diuus Hieronymus, & nimiū inſiſteret in probando ſanctos intelligere noſtras orationes? Dicit enim Vigilantio: Tu Deo leges ponis? Si agnus vbiq; eſt, ſancti cum eo vbiq; erunt: & cum diabolus & dæmones toto vagentur in orbe, & celeritate intima vbiq; præſentes ſint, martyres poſt effuſionē ſanguinis ſui arca inuenientur incluſi? Dicis enim in libello tuo: dū viuimus pro nobis poſſumus orare, ſed poſt mortem nullius eſt exaudienda ratio, nam martyres ſuam vltionē orant, nec impetrant. Vnus homo Moyſes, ſexcētorum milliū armatorum impetrat a Deo veniam: & Stephanus pro perſecutoribus veniam precatur: et quorſum cum Chriſto tunc ora clauſurus eſt? hucuſq; Hieronymus. Et beatus Chryſoſtomus ſerm. xxvi. de pœnitentia: Quicunque
Chryſo. (inquit) ſanctos vocauerit luminaria mundi, non peccabit, non ſolum dum eſſent in corpore, ſed etiam magis nunc, quando de hac vita migrarunt: gratia enim & merita ſanctorum, morte nō minuuntur, nec retardan-

tardantur die,& ſequitur: tunc quidem piſces capiebant ad mortẽ, nũc capiunt homines ad ſalutẽ: claudos facientes currere, cœcos illuminantes, leproſos mundantes, dęmones effugantes, vt teſtatur multitudo credentium diuturna. Et ibi appellat eos columnas, fundamenta, portus, gubernatores, paſtores, autores, vnitores & medicos Eccleſię.

Diuus Cornelius martyr,& Eccleſiæ pontifex, Hieronymo & Chryſoſtomo multo antiquior (tempore enim Decij fuit) ij. epiſt. ad omnes fideles de translatione corporum Petri et Pauli a Catechumbis, ſic de beato Petro loquitur: Accepimus corpus beati apoſtolorum principis Petri,& condecenter poſuimus illud iuxta locum vbi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorum epiſcoporum, in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano palatio Neronis. iij. Calend. Iulij die, orantes Deum et Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt intercedentibus ſuis ſanctis apoſtolis, maculas veſtrorum peccatorum purget,& in ſua vos conſeruet voluntate, omnibus diebus vitæ veſtræ, et in fructu boni operis vos perſeuerantes reddat. Ecce non ſolum dicit ſanctos orare pro illis,& ſupplicandũ Deum, vt eorum adiuuemur interceſſiõibus, ſed ad quid proſunt orationes ſanctorum declarat, puta ad tollendas peccatorum maculas atq; reliquias, nam ſolus Chriſtus mereri potuit nobis primam gratiam, non homo quantũuis ſanctus: licet proſint orationes ad tollenda peccatorum impedimenta et occaſiones, et ad pœnas temporaliter illis debitas amouendas, et recte diſponendum, idem affirmante Stephano martyre et pontifice eius ſucceſſore, atq; eiſdem verbis.

Diuus Cyprianus epiſtola ad hunc Cornelium idipſum cõfirmat: Si quis(inquit) noſtrũ prior diuina dignationis celeritate pręceſſerit, perſeueret apud Deũ noſtra dilectio: pro fratribus et ſororibus noſtris apud miſericordiam patris non ceſſet oratio. Clare hic ſanctus pater dicit animas ſanctorum ex charitate, pro ſuis deuotis & fratribus orare,& id quidem particulariter. Idem tractatu de habitu virginum cum virginibus loquens: Durate(inquit) fortiter, ſpiritualiter pergite, peruenite fœliciter, tantum mementote tunc noſtri, cum incipiat in vobis virginitas honorari: id ipſum confirmante in ſermone Epiphaniæ, loquens de ſanctorum Innocentium nece, Hi (inquit) a cunabulis in cœlum tranſlati, facti ſunt ſuperni capitolij ſenatores & iudices, nonnullis etiam veniam obtinẽtes immeritis, aſſiſtunt miſeratiõibus et vltiõibus diuinis. Quid clarius dici potuit, ad exprimendas ſanctorum interceſſiones & earum fructus? nil eſt quod optari a Cypriano poſſit: nam pręter hoc quod interceſſiones ſanctorum aſſiſtere diuinis vltionibus dicit, per eaſdem veniam impetrari a Deo pro peccatis etiam affirmat.

Narrat Euſebius lib. vi. ſuæ hiſtoriæ exemplum illuſtre de beata Pothamiena virgine celeberrima, quæ ſub Seuero Imperatore paſſa eſt, in quo

Cornel.

Vtilitas oratiõis ſanctorũ

Stepha.

Cypria.

Cypria.

in quo ſatis confirmatur dogma hoc Catholicum de interceſſione Sanctorum. Illa ergo virgo ſanctiſſima, poſtquam piſcis balneum ardens nuda in artubus ſuſtuliſſet pro Chriſti nomine, ad vltimū tradita fuit leonibus irridenda, quam quia carnifex quidā nomine Baſilides ſeruauit, ne illuderetur eius honeſtas, præfato Baſilidi hoc pacto pollicetur ſacrata virgo: Certo ſcito Baſilides, pro hac re quam facis, cum ad Dominum meū perrexero, boni aliquid tibi parabo: quæ rurſus tertia die poſt mortē ei viſibiliter apparuit, cum corona, dicens: Qui martyrem recipit, coronā martyris accipiat: Ipſe vero ſpiritu inde cōfortatus, faſſus ſe Chriſtianū eſſe, pro Chriſti nomine capite plexus eſt. Hic clare vides a martyre ſanctiſſima impetratū alteri martyrij donum poſt mortem a Deo. Nec eſt leue argumentū fidei, quæ ſuper hoc dogmate in ipſis initijs imperij Conſtantini magni in Eccleſia vigebat, eiuſdem Imperatoris edictum publicum ſuper veneratione apoſtolorum principis ad totum orbem miſſum, poſtquā carcer in quo diuus Petrus vinculatus fuerat, per diuū Syluestrum fuit in templū conſecratus. quod diuus Hieronymus ad verbum citat, epiſt. lvij. ad Euſtochiū, in hunc modū: Notum eſſe volumus omnibus Chriſtū pie colentibus, beatum Petrum apoſtolum a Deo nobis datum paſtorē et principem, ſummoq; ſtudio eum venerari velle aſſidue, maxime in hac die Calend. Auguſt. vt ipſe pius paſtor precibus Deo fuſis, vos ac imperiū noſtrum adiuuare dignetur, valete. Nemo non videt quod hoc edictum publicari non poterat ab Imperatore recens baptizato, niſi cōſenſu & conſilio maturo ſacerdotū, & maxime diui Syluestri, qui tum tēporis Romæ agebat: ex quo ſatis clare colligitur, fidem illius tēporis circa honorem, venerationē et interceſſionem ſanctorū, contraria omnino ſentire his quæ ab iſtis nouatoribus diuulgantur. Inſignis ille quoq; monachorum pater Anthonius, epiſt. v. ad Arſenoitas, loquens de ſpiritibus ſanctorum, propter quorū deſideria & gemitus deſinit Deus iraſci ſuper opera noſtra maligna, non ſolū eos orare pro nobis affirmat, ſed & noſtros actus cognoſcere, apetta voce prædicat: Profectus (inquit) & emendatio noſtrorum animorū, alacritatem præbet ſpiritibus ſanctorum, et vtuntur prece multa atq; lætitia in exultatione coram creatore noſtro. hæc ille. Quid hic referam magnum Baſilium, qui in ſuis tractatibus nihil habet frequentius, quā ſanctorum interceſſiones, et ſanctorum martyrum obſequia: quorum ſanctis cineribus tantum tribuit, vt illis ineſſe diuinam virtutem audeat affirmare, ad ſanandas infirmitates, & profliganda dæmonia, in expoſitione ſuper Pſalm. cxv. tractans illud, Preciosa in cōſpectu Domini mors ſanctorum eius: Antea (inquit) dicebatur de ſacerdotibus et Deo dicatis, ſi quis contigerit mortuum immundus erit, nunc autem qui contingit oſſa martyris, quandam ſanctificationis ſocietatem aſſumit, ex gratia

Hieron.

Decretū Conſtantini de feſto vinculorum Petri

Antho.

Baſilius

tia corporis inſidente. Sed potiſſimus locus eſt ſermone de xl. martyribus, vbi omnem veram doctrinam, quam modo circa ſanctos tenet Eccleſia, apertis verbis prædicat: Ipſi (inquit) quadraginta omnes ſunt, & omnes apud ſingulos ſunt: quantũ laboris fuit vt vnum aliquẽ reperias, qui pro te Dominũ placaret, xl. iam ſunt, concordium orationes iam ſurſum mittentes: ſi vbi duo aut tres congregati ſunt in nomine Domini illic eſt in medio eorum, vbi autem quadraginta, quis de Dei præſentia dubitat? Qui tribulatur, ad quadraginta confugit; qui lætatur ad ipſos decurrit. illi, vt moleſtiarum conſolationem reperiant: hi, vt res ſecundæ conſeruentur: hic, mulier pia pro liberis orans deprehenditur. Itẽ peregrinanti marito reditum, atq; infirmo ſalutẽ petens. Et conuertens ſe ad martyres, dicit: O chorus ſanctorum, o ſacer ordo, o conſtipatum & infractum agmen, o communes generis humani cuſtodes, o boni curarum ſocij, orationis cooperatores, legati potentiſſimi, hæc ille. Vides vt faciat ſanctos hic vir percelebris prouocatores miſericordiæ Dei ad particulares effectus & vtilitates, tam animæ quam corporis, meritis et orationibus ſuis impetrandas? neque id ſolum audiuiſti ab hoc beato, ſed quod ſuo tempore ſancti etiam inuocabantur, vt illa a Deo impetrarent. Putabis forte hoc martyribus ſolum poſſe tribui, audi Gregorium Nazianzenum poſt mortem diui Baſilij cum ipſo in oratione colloquentem in monodia ſua, et quibus verbis deprecatur: Tu (inquit) obiter e cœlo nos reſpice, et dará mihi debilitatem et articulorum dolorem, vel iube diſcedere, vel adiuua me ita æquo animo ferre, vt hinc demum diſcedentem me in æterna tabernacula recipias. Venerabilis Ephrem magni Baſilij diſcipulus, non ſolum ſanctos pro nobis orare docet, ſed et ipſos clara voce inuocat, ſermone de laudibus martyrum: Precamur vos (inquit) beatiſſimi martyres, qui pro Domino ſaluatore, proq; illius charitate ſponte & impigre tormenta ſubiſtis, atque ideo familiarius Domino coniuncti eſtis, vt pro nobis miſeris et peccatoribus et negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini: vt ſuperueniat in nos gratia Chriſti: qui corda noſtra radio ſanctæ charitatis illuſtret. Et paulo poſt: Nunc igitur o viri beatiſſimi, o glorioſiſſimi martyres Dei, me miſerum veſtris iuuate precibus, vt in illa hora miſericordiam conſequar, quando manifeſta erunt occulta hominũ. Et in fine cum ipſis ijſdem martyribus loquens, Ego imbecillis, accepto veſtris meritis ac precibus robore, cecini tota deuotione animi ante ſanctas reliquias veſtras, hymnũ veſtræ laudis & gloriæ: pro me igitur miſero, ante thronum maieſtatis adſiſtite, vt veſtris precibus ſaluari merear. In fine autem horum operũ longam texit orationẽ ad ſanctam & deiparam virginem Mariã, appellans ipſam mediatricem & conciliatricem. in cuius orationis fine, vniuerſos ſanctos compellans, ſic

Nizianzenus

Ephrem

S oratio-

orationem concludit:Precibus Dei genitricis ſemper virginis, & exercitus cœleſtium angelorum, Cherubin & Seraphin, prophetarum & martyrum,& ſanctorum interceſſionibus, & omnium beatorum ſupplicationibus, miſerere tuæ creaturæ Deus mi clementiſſime. Diuus Chryſoſtomus non ſemel in ordine Miſſæ quem compoſuit, mentionem facit interceſſionis virginis intemeratę,et aliorum ſanctorum:Precibus (inquit) ſanctiſſimæ Deiparæ virginis ſeruator ſerua nos, item dirige viam:confirma nos in timore tuo:cuſtodi vitam noſtram: ſtabili greſſus noſtros,precibus & ſupplicationibus ſanctæ Deiparæ virginis & omnium ſanctorum,qui tibi placuerunt ab initio mūdi. Ambroſius item in ſecunda oratione præparante ad Miſſam,hoc modo orat: Et vt efficax ſit hæc mea deprecatio, beatæ Mariæ virginis ſuffragia peto, & apoſtolorum interceſſionem imploro,martyrum preces depoſco, cōfeſſorumq́ orationes expoſtulo: Talium Domine Deus preces nunquā ſpernis,ſi vt pro me exorent,ipſe inſpiraueris.Idipſum confirmāte lib.1.de viduis:Obſecrandi(inquit)ſunt angeli pro nobis,qui nobis ad pręſidiū dati ſunt. Martyres obſecrandi ſunt,qui poſſunt pro peccatis orare noſtris:qui proprio ſanguine,ſi quæ habuerint peccata, lauarunt. Iſti ſunt enim martyres,noſtri pręſules,ſpeculatores vitę actuumq́ noſtrorum, nō erubeſcamus eos interceſſores noſtrę infirmitatis adhibere,quia ipſi infirmitatem cordis,& cum vincerent cognouerunt.

Chryſo. Ambroſ.

Hieron. Sanctus pater Hieronymus huic dogmati Catholico,epiſtola de laudibus Paulæ defunctæ ſubſcribit,in fine illius hanc adijciens coronidē: Valeq Paula,& cultoris tui vltimam ſenectutē tuis orationibus iuua.

Auguſt. Atteſtatur hoc idem diuus Auguſtinus in pleriſq́ ſuæ doctrinæ locis, quorum potiores breui referam,lib.ij.queſtionū Exodi, cap.cviij.Peccata dicit condonari hominibus per ſanctorum martyrū orationes:Deus(inquit)propitiatur peccatis populi ſui, orationibus ſanctorum martyrum. Et ſuper lib.præfa.ca. cxlix.Per hoc quod de Moyſe ſcriptū eſt Exod.xxxij.admonemur,cum merita noſtra nos grauaſſent,ne diligamur a Deo,releuari nos poſſe apud eū illorū meritis, quos ipſe diligit. Et in ſermone Petri & Pauli:Nunc ad memoriā piſcatoris flectūtur genua Imperatoris,ibi reſplendent gēmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piſcatoris,q eius auxilia,& apud Deū pro patrocinio inuocat. Extant ipſius familiares preces ad beatam Mariā:O beata Maria,quis digne tibi valeat? &c. Admitte piiſſima Dei genitrix noſtras preces &c. Vbi deuote ſatis implorat eiuſdē virginis auxiliū.Lib.quoq́ meditationū,ca.xxiiij.hoc modo cōcludit orationē:Orate oīa agmina ſanctorum, & vniuerſi cœtus beatorū,vt veſtris pcibus meritiſq́ adiuti,ſalua naue et integris mercibus,peruenire mereamur ad portum perpetuę ſalutis. Et ſerm.S. Laurentij,granum appellat Dominū Ieſum & arborem,ramos

Oratio Auguſtini ad ſanctos

autem

autem eius(inquit)ſi requires, inuenies. Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, ramus eſt Laurentius, rami omnes apoſtoli & martyres ſaluatoris, ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſeculi minime mergitur, ſub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem. ſecuruſq; de diabolicæ poteſtatis procella erit. hæc ille.

Prudentius. Prudentius quoq; noſter, diuo Auguſtino paulo vetuſtior, libro περὶ στεφάνων ſanctorum martyrum interceſſiones pro his, qui ſe illis deuote cōmendant, eleganter explicat, cū in Emetheriū & Chelidoniū martyres Calagurritanos incidit. Præcucurrit fama, proditrix hic (ſcilicet Calagurrĳ) patronos eſſe mundi: quos precantes ambiant. Nemo puras hic rogando fruſtra cōgeſſit preces. Lętus hinc terſis reuertit ſupplicator fletibus: omne quod iuſtum popoſcit impetratū ſentiens. Tanta pro noſtris periclis cura ſuffragantium eſt, non ſinant inane vt vllus voce murmur fuderit. Audiunt, ſtatimq; ad aurem regis æterni ferūt. Inde larga fonte ab ipſo dona terris influunt. Item in eodem cum diuo Laurentio martyre loquens, ait: O Chriſti decus, audi poetā ruſticū, cordis fatentē crimina, et facta prodentē ſua. Indignus agnoſco et ſcio, quē Chriſtus ipſe exaudiat, ſed per patronos martyres poteſt medelam cōſequi.

Quid dicā de D.Bernardo, qui totus eſt oratio ad virginem matrē. Vnum duntaxat referam locū in ſermone de aſſumptione eiuſdē virginis intemeratæ contentū: in quo ad eius patrocinia implorāda deuote ſatis inuitat fideles. locus ſic habet: Pręceſſit Regina noſtra, pręceſſit et tam glorioſe ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur Dominā ſeruuli, clamantes: Trahe nos poſt te, in odorē vnguentorū tuorum curremus. Aduocatam pręmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquā iudicis mater, & mater miſericordiæ ſuppliciter & efficaciter negocia ſalutis noſtræ pertractabit. Precioſum hodie munus terra noſtra direxit in cœlum: vt dando et accipiendo fœlici amicitiarum fœdere, copulētur humana diuinis, terrena cœleſtibus, ima ſummis. Illo enim aſcendit fructus terræ ſublimis, vnde data optima et dona perfecta deſcendunt. Aſcendens ergo in altum virgo beata, dabit ipſa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterit. hæc Bernardus.

Bernard. Magnus etiā Leo primus, multis in locis ſuarum concionū interceſſionē ſanctorū inculcat, et vigilias apud corpora eorū magna deuotiōe ſua tēpeſtate fieri manifeſtat, ſermo.ĳ.de ieiunio feſtiuitatis principis apoſtolorū populū ſic docens: Sabbato apud beatiſſimum Petrū apoſtolū pariter vigilemus, cuius ſuffragantibus meritis, quę poſcimus, impetrare poſſimus. Idē eandē ſententiā repetit, ſermo.vi.de eodē ieiunio. In concione quoq; quā habuit de natali eorundē apoſtolorū, expreſſe meminit ſe expertū fuiſſe Dei auxiliū propter orationes iſtorum ſanctorum: Sic autem(inquit) et nos experti ſumus et noſtri probauerunt maiores,

credimus atq; confidimus inter omnes labores ipſius vitæ ad obtinendam miſericordiā Dei ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs meritis deprimimur, tantum apoſto-
Platina licis meritis erigamur. Et ſermone etiam de eorum octaua quaſi explicare videtur illud quod hiſtoriographi de ipſo referunt, Atilam regem ferociſſimū, manſuetiſſimum Leonis eloquio reddi, & vrbem a Gothorum incurſionibus liberatam: qua nouitate attoniti milites Atilæ, cum ipſum interrogarent de cauſa inconſuetæ clementiæ (erat enim vere flagellum Dei) reſpondit ſe vidiſſe iuxta hunc beatū, duos viros cum gladio ſibi minitantes, niſi acquieſceret: ob idq; aſſenſum præbuiſſe D. Leoni. Refert ergo idem D. Leo auxilio principū apoſtolorū vrbem liberatam fuiſſe. Hæc ſunt verba eius: Pudet dicere, plus impenditur dæmonijs quam apoſtolis, & maiore obtinēt ſpectacula frequentiā, quā beata martyria. Quis hanc vrbē reformauit ſaluti? Quis a cęde defendit? Iuſus Circenſiū, an cura ſanctorū? quorū vtiq; precibus diuinæ cenſuræ flexa ſententia eſt, vt qui merebatur irā, ſeruetur ad veniā. Vtamur ad emendationem noſtrā lenitate parcētis, vt B. Petrus & oēs ſancti, qui nobis in multis tribulationibus adfuerūt, obſecrationes noſtras pro nobis apud miſericordem Deum iuuare dignentur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Clariora verba ſunt hæc, quam quæ dilatatione egeant. Approbarunt etiam hanc Catholicam veritatē ſynodi genera-
6. ſynod. les: ſancta enim œcumenica ſynodus ſexta, vtriuſq; eccleſiæ Orientis & Occidentis circa hoc ſenſum manifeſtans, clara ſic voce diffinit: Vnuſquiſq; Chriſtianus ſolo Deo creatore ſuo adorato, inuocet ſanctos, vt p
2. Nicęn. ſe intercedere apud maieſtatē diuinam dignenť. Et ij. Nicęna ſic ſtatuit: Credentes in vnum Deū in Trinitate laudatū, ei denicq; ſoli latriā exhibentes, poſcimus interceſſionē intemeratę ſanctæ deiparæ, ſanctorum item angelorum, omniumq; diuorum, et patrum noſtrorum.

Vidiſti lector Chriſtiane circa inuocationem et interceſſionem ſpirituum ſanctorum vnanimem patrum & vtriuſque eccleſiæ Orientis & Occidentis conſenſum, ab ipſis fere apoſtolis vſq; ad tempora Caroli magni: nam ætate illius celebrata fuit ſecunda illa ſynodus Nicęna, a quo tempore ſi recte ſupputes, fluxerunt anni ſeptingenti quinquaginta: quos non ob aliud tibi ob oculos poſui, quam vt intelligeres, aduerſarios non nos, ſed Dei ſanctos, qui cum Deo regnāt de idolomania blaſphemo ore notare: eos eñ ſequiť præſens Eccleſia in hoc dogmate ſicut in alijs. Et licet a tēpore Cornelij martyris ſcriptis ſanctorum videas interceſſiones ſanctorū cōmendatas, et a tēpore Baſilij inuocationes ſanctorum in ſcriptis patrū memoratas, cū non appareat illos iſta dogmata primos docuiſſe, ſed quaſi iam vetuſtate quadam firmata ipſa recē ſuiſſe, & exemplis cōmendaſſe, nulli tamen dubiū, quin de diuino magiſterio

deſcen

deſcenderit, quod vniuerſalis eccleſia martyrum & ſanctorum doctorũ circa hæc docebat. Recte dicit diuus præfatus Leo ad hoc propoſitum, ſermone ij. de ieiunio Pentecoſtes: Dubitãdum (inquit) non eſt, quicqd ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis retentum, de Traditione apoſtolica, & de ſancti ſpiritus prodire doctrina. Diuus etiam Auguſtinus hoc idem manifeſtat xxij. de ciuitate Dei, oſtendens quod in memorijs martyrum non ſacrificatur illis, ſed Deo: Hunc vſum (inquit) ab initio traditũ tenemus, vt extra orationes quæ in altari fiunt, etiam Deo dilectos ſanctos contemplatione vnionis & cõmunionis, quam cũ Chriſto & nobiſcum habent, cum timore et deuotione erga Deum compellemus, atq; vt pro nobis intercedant inuocemus. Et quod ante Cornelium martyrem nulla extet mentio (quod ego viderim) inuocationis & interceſſionis ſanctorum, in cauſa forte fuit, modeſtia & humilitas apoſtolica. Quid enim dicerent, qui eos hęc docentes audirent, niſi quod de ſe magna præſumerent, & ſe quaſi deos facerent? Cũ ergo toti intenti eſſent prædicationi & diuulgationi euangelij & aliarum rerum, quæ magis ad ſubſtantiam ſalutis attinebant, & captũ etiam hominũ excedebant, expectabant circa hæc apertam Dei voluntatem, frequentia miraculorum non multo poſt declaratam: quam forte Deus vſq; ad illa tempora diſtulit manifeſtare, in quibus poſt exploſam idololatriam hęretici erant, qui carnis reſurrectionem negabant, vel idem corpus quod mortuum fuerat, ſuſcitandum eſſe non credebant, quo magis fidem reſurrectionis carnis aſtruerent; cum viderent ab ipſo tanti fieri cineres ſuorum ſanctorũ, vt dęmonia & infirmitates per interceſſionẽ eorum expelleret, & alia ſupernaturalia Deus ipſe faceret. Nec enim omnia ſimul voluit Deus omnibus eſſe manifeſta, nec cuncta dogmata ſtatim prædicarunt & docuerunt apoſtoli: ſed paulatim & ſucceſſiue: Chriſti enim & ſpiritus ſancti diuinitas, eorum deniq; cum patre conſubſtantialitas, non paſſim neq; omnibus in principio prædicabantur ab apoſtolis, ſed ſeorſum, veluti ſolidus cibus, cum alijs multis, tradebantur perfectis. Quod ſi quæras quare inuocatio ſanctorum in publica venerandæ Miſſæ actione vbi collectæ recitantur in ſanctorum celebritatibus, adhuc non obtinuerit, vt ad ſanctos dirigatur oratio; eadem ratio tibi dabitur, quam Auguſtinus aſſignauit, ſimili quęſtioni xxij. de ciuitate Dei, reddens cauſam quare ad Chriſtum non dirigatur oratio in Miſſa (imo cautum eſt in Synodo Carthaginenſi tertio, Cano. xxiij. vt cum ad altare aſſiſtitur, ſemper ad Patrem dirigatur oratio) reſpondet, quia actio illa & ſacrificium ad Patrem dirigitur, & Chriſtus eſt qui offertur. Eadem ratio, imo multo vrgentior procedit in ſanctis. Cęterum inuocandus eſt Chriſtus, inuocandus eſt ſpiritus ſanctus, ſicut & Pater, vtpote qui eiuſdem eſſentiæ ſunt: niſi velimus cum impio Arrio & Ma-

Leo

Auguſt.

Quare ante tẽpora Cornelij inuocatio ſanctorũ nõ fuerit in vſu

Auguſt.

Synodus 3. Carthaginenſis.

cedonio ſentire. Quod vero arguunt aduerſarij, inuocationem propriè eſſe cultum Dei, nec vllo modo ad ſanctos poſſe transferri ſine blaſphemia, iuxta illud Apoſtoli, Quomodo inuocabunt in quem nõ crediderunt? Ex quo videtur poſſe colligi, illum ſolum debere inuocari, quem colere licet fide: hic autem cũ Deus ſolus ſit, ſolus inuocandus videtur. Falluntur, non reſpicientes neq; intelligentes ſcripturas: nam ſicut cultus eſt duplex, qui Deo, et qui creaturis ſanctis debetur: ita etiam inuocatio biſariam partitur. Eſt enim inuocatio qua inuocamus Deũ: a quo ſperamus vltimo tãquam a datore omnium bonorũ munificentiſſimo, auxiliũ in noſtris miſerijs & tentationibus, cui ſoli fidendum eſt, et in quo ſolo ſperandũ: & hæc ſoli Deo debetur. Eſt & inuocatio, qua inuocamus ſanctos, vt ſuis precibus impetrent nobis, ea quæ iuſte deſideramus a Deo, propter merita & amicitiam qua ſunt Deo valde chari & coniuncti: & hæc debite impenditur ſanctis Dei. Et de hoc vellem certe populares & ſimplices admoneri, ne errantes alios deos per ſe fingerent, & quaſi ſine dependentia aliqua ad ipſos ſanctos cõfugerent: ſed vt in Deum potiſſimũ mentẽ figerent, cum a ſanctis aliquid petunt: Nã offendi ego multos in hac parte non ſatis Chriſtiane inſtitutos. Inuocationem autem non ad ſolum Deum pertinere, ſed ad rationales creaturas, imo figura quadam locutionis ad irrationales, Geneſis cap. xlviij. ſanctus patriarcha Iacob clare oſtendit, cum Manaſſen & Neptalin benedicit: Angelus (inquit) qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meũ. Et Moſes Deuteron. xxx. Teſtes hodie inuoco cœlum & terram. Alius locus Apocalypſis, quem Vigilantius, vt ſuum errorẽ ſtatueret, multifaciebat, de ſpiritibus martyrum, qui ſub altare Dei orant pro vindicta ſuorum perſecutorum, & adhuc vt ſuperueſtiantur, plus facit contra illos quam pro illis: Nam ſi orant animæ ſanctorũ pro vindicta, & vt ſuperueſtiantur, cum illa oratio non ex affectione commodi inordinata procedat, ſed ex amore charitatis et iuſtitiæ, item cũ charitas ſe extendat ad alios, & ipſi agnoſcant orationes et vota noſtra, deſiderentq; mirum in modũ noſtrũ profectũ, ſintq; Deo valde amici & coniuncti, nihil prohibet quo minus pro nobis intercedant: imo plane ſequitur eos pro nobis orare. Nec ille locus aliud probat, quam quod ſancti aliquid deſiderant affectu naturali, quo deſideramus non ſpoliari, ſed ſuperueſtiri quod differtur, implendũ, quãdo cõplebitur numerus ſaluandorũ: quod hoc nõ reddit eorum orationes inefficaces apud Deum, tum quia ipſi non optant abſolute, ſed voluntati diuinæ ſubmiſſi: tum quia etſi ſic optarent, non ob id inefficax eſſet eorũ oratio circa alia: alioquin cũ Paulus aliquid etiã deſiderauerit quod nunquã impetrauit, inefficax fuiſſet ſemper eius oratio apud Deum, quod ſcriptura ipſa damnat. Nec omnino ex illo loco ſuſpicandũ eſt

Duplex inuocatio ſicut duplex cultus

Gene. 48

Apoca. 6

eſt animas iuſtorum, non eſſe ante corporum reſumptionē apud Deū in magno & ineffabili honore & gloria, quas Ioannes dicit ſequi agnū Chriſtum Ieſum quocunq; icrit. Nō enim propter ſolum latronem dictum eſt a Chriſto, Hodie mecum eris in paradyſo, ſed propter omnes iuſtos qui in fide eius erant finaliter ſaluãdi: a diebus enim Ioannis Baptiſtę regnum cœlorum vim patitur. Appoſite ſatis explicuit hunc modum Theophylactus in cōment. epiſtolæ ad Hebræos, dicens: Quod licet in die reſurrectionis ſancti perfecti apparebunt cū coronis et triumphis in corpore, interea tamen (inquit) habent honoris & gloriæ certiſſimum pignus. Quæret aliquis ſi nondum perfectionem ſunt adepti, & coronas promeritas conſecuti, vnde hoc illis vt alijs opem ferant inuocantibus, & opitulandi, tam prompta virtus vnde obuenit? vnde inqs? nimirum ex fiducia certiori quam habent apud Deum intercedendo. hæc Theophylactus. Et multo minus facit ad rem eorum, locus ille Eſaiæ lxiij. Vbi conqueritur Iſrael ſe eſſe ignoratum a Patriarchis Abraham neſciuit nos, et Iſrael ignorauit nos: nam non ſignificatur ill in loco Abraham prorſus & Iacob nihil de illorum ſtatu cognoſcere ſed quod tanta erat populi illius iniquitas, vt per ſanctorum orationes Deus non diſpoſuerit illis ignoſcere. Et tunc temporis quaſi nihil agnoſcerent reputandi ſunt: ſancti enim in patria tam ſunt diuinæ voluntati conformes, vt nihil velint, quam id quod Deus vult ipſos velle. Conſuetudo autem eſt eos ſurdos & non cognoſcentes appellare, qui noſtris precibus non inclinantur. Vnde in prouerbio datus locus eſt, ſurdo canis fabulam. Cauillantur inſuper nouatores, quod in locis peculiaribus & pro gratijs particularibus impetrandis, ſancti inuocentur: curioſæ certe & leues obiectiones: quaſi nos debeamus Deo & ſanctis eius regulas præſcribere. Legimus enim in Teſtamento veteri, certa & determinata loca a ſanctis Patribus ſpecialiter fuiſſe venerata, vt patet de loco vbi apparuit Dominus patriarchæ Iacob ſcalæ innixus, aſcendentibus & deſcendētibus angelis per gradus ſcalæ: poſt quam viſionem in verba admirationis erumpens ſanctus patriarcha, dixit: Quã terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. in cuius teſtimonium erexit lapidem, infundens oleum deſuper, appellauitq; nomen eius Bethel, id eſt, domus Dei. Vbi poſt cum rediret a Meſopotamia, viſitauit locum illum tanquam religionis ſacrum, ædificato ibi altari cum gratiarū actione. Nota eſt quoq; ſanctitas particularis illius loci, in quo apparuit Dominus Moyſi. Exod. iij. cui dixit Deus: Solue calciamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Nihil deniq; frequentius in Teſtamento veteri, quam deſignatio locorū, in quibus Deus fauores aliquos faciebat ſanctis patriarchis, quos maiore frequentia & religione ſolebant viſitare, ſiue in

Eſa. lxiij

Sancti in patria cō formes per omīa Dei voluntati

Geneſ. 28

Exod. 3

S iiij beneficí-

beneficiorum memoriam, ſiue quia intelligebant Deum in illis locis pe-
Pſal. 131 culiariter velle inuocari. Vnde Pſal. Adorabimus in loco vbi ſteterũt pedes eius. Quid ergo inconueniens eſt idẽ affirmare de locis vbi Deus benedictus, per merita ſanctorum ſuorũ beneficia exhibet mortalibus? Adde quod ſicut ſanctis angelis credimus diſtributas eſſe a Deo prouincias quibus præſint, & loca peculiaria quæ tueantur, vt patet ex Daniele, etiam dici rationabiliter poſſit de ſanctis & electis ſuis: aut propterea Deus illis in locis miraculis eos illuſtrat, et honorat, vbi antea in oculis gentium fuerunt deſpecti, et propter Chriſtum in vituperio habiti: aut quia illic maiore deuotione & fide concurritur: aut propter aliquos incredulos, qui miraculis quæ a Deo fiunt in ſepulchris aut baſilicis multoties ad eum ſunt conuerſi: vel propter alias cauſas nos latentes. Cum enim fecerit Chriſtus ſepulchrum ſuum glorioſum, & in locis ſanctis vbi ipſe conuerſatus eſt, particularia beneficia conceſſerit, non eſt quod multum diſcrucientur ſuper hac locorum acceptatione, nec nos Deo regulas temere præſcribamus, nec perſcrutemur voluntatem eius: magna enim ſunt opera Domini, & exquiſita in oẽs voluntates eius. Quod vero ad gratias illorum pertinet, retinẽda videtur Apoſtoli doctrina, quæ dicit omnes fideles eſſe Chriſti membra: quod non de ſola Eccleſia militante intellexit, cum ſancti qui cum Chriſto regnant, viuaciora membra eſſe videantur, quam nos qui in terra militamus: eſt autẽ vnicuiq; membro data gratia, vis, & facultas, ſecundum menſurã fidei, & pro voluntate capitis influẽtis, qui diuidit vnicuiq; prout vult. Quãquam nolim iſta tam exacte accipi, vt quod a Deo petitur per merita vnius ſancti, merito alterius petere fruſtraneum ſit, vt nonnulli ſimplices putant, de quo etiam monitos illos eſſe vellem: ſeruat tamen hunc ordinem Deus multoties, vt & per particularia ſanctorum merita, particularia etiam condonet beneficia: illuſtre teſtimonium poſuit Auguſtinus circa hæc in epiſtola ad Clerum loquens de his: Quis poteſt (inqt) Dei iudicium de his diſputare, quare in alijs miracula fiant, in alijs non? Multis notiſſima eſt ſanctitas loci vbi beati Fœlicis Nolenſis epiſcopi corpus conditũ eſt, ad quod volui vt pergerent quidam noſtri, vt inde facilius fideliuſq; ſcribi poſſit, quod in eorũ aliquo diuinitus fuiſſet propalatum. Vbi narrat etiam mirabilia, quæ particulariter ſuo tẽpore accidebant circa ſepulchra ſanctorum Mediolani ſepultorum, quæ dicit apud ſepulchra omnium martyrũ minime fieri, Domino hoc diſponẽte, qui dat vnicuiq; prout vult. Hic tamen Auguſtini locus, inferius magis opportune expẽdetur. Idem quoq; epiſtola clxxxviij. miraculũ narrat de Gudilla ſeruo comitis Bonifacij, qui in periculo maris poſitus, cũ iam pene mergeretur, per inuocationem tamen diui Stephani proto-
Cyrill. martyris fuit liberatus. Nota ſunt etiam miracula illa quæ ſcribit Cyrillus

rillus epiſcopus Hieroſolymitanus. Rurſus miraculum quod narratur in vita Ioãnis Damaſceni,cuius dextra manus abſciſſa Damaſci per regem Sarracenorum in gratiam Leonis Imperatoris, reſtituta in integrũ fuit per inuocationem virginis intemeratæ. Seleucus etiam diſcipulus beati Martini,multa narrat mirabilia, & beneficia collata his, qui ad Deum per merita & orationes beati Martini confugerũt. Item Bernardus: Et tota deniq; Eccleſia huiuſmodi eſt illuſtrata miraculis,quę paſſim in libris autenticis leguntur, quibus ſatis comprobatur huiuſmodi ſanctorum inuocationem Deo placere, quibus qui non credit, ſtultus plane et temerarius eſt. conſtat et de ijs, quæ Deus manifeſte operatus eſt cum his qui deuote diui Hieronymi corpus viſitabant, et eius orationibus ſe commendabant. Seleucus

Ex his omnibus ſi recte aduertiſti, habes ad multa prodeſſe ſanctorum interceſſiones: valent enim ad tollenda flagella, & placandam iram Dei,item ad augmentum bonorum: ad remiſſionem pœnarum, ad remouendas etiam occaſiones peccatorum,qui quidem valor atq; profectus variabitur iuxta diſpoſitionem eorum, quibus prodeſſe poſſunt: diſpoſitionem inquam ſecundum fidem & charitatem: Fide enim potentia Dei inuitatur ad beneficia ſupernaturaliter impendenda, charitate vero, ſanctorum gratiæ & meritorum ſumus participes.

DE VENERATIONE RELIQVIARVM, ſepulchrorum, & Baſilicarum ſanctorum.

Licet præcipuus honor & cultus ſanctorum in recta de eorũ gratia & virtutibus opinione,pariter & in morum & vitæ eorum imitatione conſiſtat,vt recte docent ſancti, maxime diuus Hieronymus & Auguſtinus. ille in ſermone de aſſumptione virginis intemeratæ: hic vero libro tertio contra epiſtolam Pelagij capite tertio. Tamen ipſa ratio naturalis ſuadet,vt eorum quorum ſanctitatem admiramur,& virtutes cum Dei auxilio imitari conamur,vt corpora etiam,oſſa & memorias,et quæ alia ipſorum ſanctorũ propria fuiſſe videntur,et adhuc erunt, Chriſtiana quadam modeſtia veneremur & honoremus: maxime cum tanta miraculorum frequẽtia, ob pietatem in ſanctos de Dei voluntate nobis conſtet: fuerunt enim corpora illorum dũ in terris agerent,habitacula ſpiritus ſancti, vt Apoſtolus dicit: Neſcitis (inquit) quia corpora veſtra templũ ſunt ſpiritus ſancti,& poſt diem iudicij cum mortale hoc induerit immortalitatẽ,iuxta meritorum ſanctorum menſuramq; a Deo ipſo beabuntur,magniſq; honoribus afficientur. Approbare videtur hunc pium cultum ſanctorũ Patriarcharũ diligentia, quam in honeſtam reconditionem corporum ſuorum adhibebant. Emit enim Abrahã pater noſter ſpeluncã duplicẽ, Honor ſanctorũ pręcipuus Hieron. Auguſt. 1. Cor. 6 Gene. 23

vbi

Gene. 47 vbi honorifice repoſitus eſt ipſe et Sara vxor ſua. Iacob quoq; patriarcha inſtante iam ſui corporis reſolutione, adiurauit filium ſuum Ioſeph, vt non ſepeliret eum in Aegypto, ſed conderet eum in ſepulchro maiorum ſuorum in terra Chanaan. Idem etiam poſteris ſuis iubet Ioſeph Geneſis vltimo moriens iureiurando præmiſſo: Deus (inquit) viſitabit vos, aſportate oſſa mea de loco iſto vobiſcū: mortuuſq; conditus eſt aromatibus, & in loculo honorifice repoſitus. Taceo hic alios patres veteris Teſtamēti, quorum corpora Deus voluit honorifice tractari atq; condiri. ſufficiat nobis Ieſu Chriſti redemptoris exemplum, qui affectum illius peccatricis, quæ ſuper corpus eius precioſiſſimum vnguentum effudit, in vaticinium honoris ſepulturæ eius, non ſolūm non damnauit aut permi Matt. 26 ſit, ſed excuſauit atq; laudauit: Bonum (inquit) opus operata eſt in me, mittēs enim hæc vnguentū hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. amen dico vobis, vbicunq; fuerit prædicatum hoc euangelium in toto mundo, dicetur, et quod hęc fecit in memoriam eius. Cuius vaticinium adimplens redemptor noſter poſt ignominioſam mortem ſuā, voluit a Nicodemo et Ioſeph corpus ſuum ſanctiſſimum honorifice tractari, aromatibuſq; pręcioſis condiri, et in monumēto nouo, in quo nōdum quiſquam poſitus fuerat, magna cum veneratione reponi, ſanctis illis mulieribus iſthuc ipſum in aurora diei reſurrectionis officioſe ſatis atq; deuote iterari volentibus, niſi gloria reſurrectionis pręuentæ fuiſſent: quibus Dominus Ieſus reſuſcitatus & glorioſus in ipſo itinere apparuit, et gratioſe ſalutauit. tantum abeſt vt pro impendendo corpori ſuo officio ſuccenſeret. Nec hoc ſolum vt in corpus ſuum fieret, permiſit et approbauit diuina ſapientia, ſed & vacuum ſepulchrū ſuum iuxta prophetam adeo glorioſum & illuſtre reddidit, vt totus orbis Chriſtianus ad ipſum magna cum reuerentia confluat, & magno in honore a fidelibus & infidelibus habeatur: ineffabilibus ibidem ad confirmationem fidei peractis mirabilibus, & conceſſis beneficijs. quod ipſum in ſanctis ſuis fieri probabiliſſimū eſt, de quibus dicit: Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.

Deſcendit etiam cultus iſte ex diuina Traditione, quippe ab ipſis primordijs naſcentis Eccleſiæ ſepulchra et corpora ſanctorum tanto in honore habita ſunt, vt templa etiam et altaria ad laudem Dei & in honore eorum erecta fuerint, quo mentes fideliū ad heroicas et diuinas virtutes ſanctorū, magis ac magis accenderentur, et Deus optimus laudaretur, qui in ſanctis ſuis tam mirabilis eſt: in ipſum enim redundat omnis honor, qui ſanctis ſuis exhibetur, cuius virtute et gratia ſancti tam mirabiles euaſerunt, vt in Deum quodāmodo tranſirent, quorū cultus tū ipſa antiquitas, tum etiam ſenſus vniuerſalitas in Eccleſia, ſatis oſtendunt ipſum a diuina Traditione deſcendiſſe, & a voluntate Dei promanaſſe,

manaſſe, quod vt demonſtremus, operæprecium erit ab exordijs Eccleſiæ rem ipſam deducere.

Clemens 1. recog: Legimus in libro primo recognitionũ D. Clementis, de ſepulchris duorum ſanctorum fratrũ, qui pro Chriſti nomine mortẽ perpeſſi ſunt, non longe ab Hieroſolymis, cum adhuc apoſtoli & Chriſti diſcipuli ibi agerent, quod diuina virtute in anniuerſaria die mortis eorum quotannis dealbata apparebant. Quo miraculo (inquit Clemens) multorum aduerſus nos repreſſus eſt furor, cum viderent noſtros in memoria haberi apud Deum.

Anaclets D. Anacletus in tertia epiſtola ſua ad omnes epiſcopos & ſacerdotes ordinem patriarchalium ſedium aſſignans, templum D. Petro erectũ a ſancto Marco euangeliſta diſcipulo eius cõmemorat. Quod clarum argumentum eſt ſanctorũ martyria, nomina & corpora, magna in veneratione tempore apoſtolorum fuiſſe. Secunda (inquit) ſedes apud Alexandriã eſt, beati Petri nomine a ſancto Marco diſcipulo eius atq; euangeliſta conſecrata: cuius Marci tempore vt refert Philon Iudæus, Chriſtiani in honeſtis cõuenticulis adunati, caſte cœleſtia myſteria celebrabant, ſed & Martialis Petri diſcipulus epiſtola ad Tholoſanos, memorans conuerſionem & profectum in pietate Chriſtiana cuiuſdam principis Aquitaniæ a ſe conuerſi, ait: Nec ſolum Chriſto, cui credidit Eccleſias per ſuum regnum, ſecundum quod ſpiritui ſancto & nobis viſum eſt diſponere, et fabricare gaudet, ſed antiqua templa dæmoniorum ſpurciſſima phana deſtruere, vt perfectus in fide videatur. Athanaſius quoque libro quæſtionũ ad Antiochum, apoſtolos dicit Eccleſias fabricaſſe verſus Orientem, vt memores ſimus paradyſi. Ignatius etiam epiſtola tertia ad Magneſianos, de templo etiã facit mentionem: Omnes (inquit) in idipſum ad adorationem ſimul cõuenite, omnes adunati, et ad templum Dei concurrite, ſicut ad vnum altare, ſicut ad vnum Chriſtum: vt obiter intelligant Taboritæ, Sciſcanij, Anabaptiſtæ, & peſtes aliæ, erectionem templorum in Dei et ſanctorum martyrum honorem, a diuina et apoſtolica autoritate effluxiſſe.

Antiqitas templorum

Philon

Martial:

Ignatius Quid quod B. Ignatius apoſtolorũ diſcipulus, feroces beſtias affirmat corpora martyrũ venerari, in epiſtola ad Trallianos, cuius teſtimoniũ citat Euſebius libro tertio: O ſalutares beſtię (inquit quando vinctus ad martyrium ducebatur) quę pręparantur mihi, quãdo venient? quando cõmittentur? quando illis frui licebit carnibus meis? Quas ego opto acriores parari, et inuitabo ad deuorationẽ mei, et deprecabor, ne forte, q̃d cũ nonnullis fecerũt, timeãt attingere corpus meũ. hęc ille. Immanibus ergo beſtijs ſe oſtendunt inferiores, qui quod bruta inſtinctu et voluntate Dei agunt, corpora ſanctorum reuerendo, non ſolum ipſi non faciunt, ſed et alios ad hęc pia officia impendenda deterrent. Quid

Euſebius

dico

dico bruta? Inſenſibiles creaturæ muta elementa, ſigna reuerentiæ ſanctis viris & eorum corporibus coram omni populo exhibuerunt. Narrat nanque præfatus Euſebius lib. iiij. quod cum diuus Policarpus in rogum ignis validiſſimũ mitteretur, ignis veluti in modũ cameræ ſacroſanctũ corpus eius abſque læſione continuerit. Et beatum Ioannẽ euangeliſtã Tertullianus affirmat, cum in feruentis olei dolio Romæ mitteretur illæſum exiuiſſe. Qualis autẽ honor martyrum corporibus antiquitus impenderetur, idem Euſebius præfato loco ex mente Eccleſiæ Smyrnenſis, quę Policarpi martyrio adfuit, declarat, Ita (inquit) nos poſt mortẽ eius cõbuſta oſſa precioſiſſimis gẽmis chariora, et omi auro probabiliora per ignẽ facta collegimus, ac ſicut conueniebat ex more condidimus, quo in loco etiam nunc præſtante Domino ſolennes agimus celebreſque conuentus, maxime quidem in die paſſionis eius, ſed & cũ eo, eorum memorias, qui prius paſſi fuerant, celebramus, vt ſequentiũ animi ad prædeceſſorum viam exemplis inſignibus ſuſcitentur. Hæc in epiſtola illa habentur, quã ſcripſit olim Smyrnenſis eccleſia ad eccleſiam Philomelij, & omes Eccleſias. ex qua duo clare conſtant: alterũ, quod tempore Policarpi, qui diſcipulus extitit Ioannis euangeliſtæ, iam erat mos vſitatus recondendi & venerandi corpora ſanctorum, & memorias anniuerſarias in locis martyriorũ celebrandi, quod euidentiſſimũ argumentum eſt ſub apoſtolis hæc in vſu fuiſſe: alterũ, quod finis præcipuus huiuſmodi honoris erat, ad exemplũ ſanctorũ ſtimulare fideles, quod idẽ Euſebius refert lib. vi. de illis martyribus, qui ſub Antonio vero circa Lugdunũ et Viennam Aquitaniæ prouinciæ paſſi ſunt, in quos in tantum ſęuierunt tortores illi maledicti, vt poſt beſtias et ignes & capitũ truncationes, carnes et oſſa ſanctorum exurerent, & in puluerẽ redacta in Rhodanũ mitterent, ne honorifice de more Eccleſiæ ſepulturæ mandarentur corpora ſanctorum martyrũ, a quibus nullo prętio potuerunt alij Chriſtiani obtinere, neque os quidẽ, tanta erat immanitas illorũ, & religio iſtorum. Nam oſſa martyrũ emere minime attentaſſent, niſi magno in prętio & pro religione apud illam martyrum Eccleſiam hoc inſtitutũ habitum fuiſſet. De cathedra quoque Iacobi fratris Domini narrat lib. vij. quę ſeruabatur vſque ad ſuum tẽpus magno cũ ſtudio: A maioribus (inquit) tradita memoria ſanctitatis, & cũ magna veneratione habetur, vel vetuſtatis, vel primi ſacerdotij ſanctificationis obtenta: quanto ergo maiore ratione in corpus ipſius diui Iacobi, quod pars ſubſtantialis eius fuit & adhuc erit, officiũ iſtud impendi poſſit, quod in lignum inſenſibile laudabiliter impendebatur? Cœcus prorſus eſt, qui iſta non videt.

Euſebius · *Tertull. lib. de præſcriptione hæretic.* · *Eccleſia Smyrn.* · *Euſebius*

Vidimus etiã quid diuus Cornelius martyr et pontifex (de quo tanta prædicat diuus Cyprianus) in translatione corporum Petri & Pauli

Cornel.

egerit,

egerit, quantumq; honoris ſanctis oſſibus præſtiterit, qualiterve orationibus eorū fideles iuuari ſignificauerit, cuius exemplum Deo dignus martyr Stephanus ſucceſſor eius, in ij. epiſtola quam ad afflictos ſacerdotes et epiſcopos ſcribit, imitatur, dicens: Continuo vobis cōpatimur, Deum orantes pro liberatione et ſubleuatione veſtræ afflictionis, quæ vobis ab iniquis indies irrogatur, et ante corpora apoſtolorum pro vobis preces fiunt quotidie, vt et vos liberemini ab importunis et malis hominibus Domini auxilio, et oues vobis cōmiſſæ, ad paſcua æternæ vitæ vobiſcum perueniant. Stepha. martyr.

Tertullianus libro de corona militis, martyrum natalitiorum celebritates inter alia diuinitus tradita recenſet, et in apologetico aduerſus gentes de ſanctæ crucis veneratione mentionem facit, quam licere Chriſtianis venerari affirmat, ſiquidē gentes vexilla ſua atq; trophea in magno habent precio. Tertul.

Sanctus martyr Cyprianus epiſtola v. lib. iiij. ad diaconos et plebem vniuerſam, loquens de Laurentio et Ignatio martyribus: Veri (inquit) & ſpirituales Dei milites, dum diabolum Chriſti profeſſione proſternunt, palmas a Domino, & coronas illuſtri paſſione meruerunt, ſacrificia pro eis, vt meminiſtis, offerimus, quoties martyrum paſſiones & dies anniuerſaria cōmemoratione celebramus. Vides ſacrificia et annuas celebritates agi pro martyrum natalitijs & memorijs eorum honorificis? Nec erat quod hic in dubium verteret Eraſmus, an orationes iſtæ fierent pro peccatis, aut neceſſitate aliqua martyrum ad Dominum, an potius pro eorū memorijs recolendis, & Dei gloriam dilatandam, cum expreſſe affirmet Cyprianus in hoc loco, ſanctos martyres palmas & coronas apud Deum obtinere. Quid ergo pro illis orandum cenſeret Cyprianus, cum in eo ſtatu eſſe fateatur, vbi fugit gemitus, egeſtas, & eſt ſumma ſacietas atq; beatitas? Id quod ex alijs etiam locis doctrinæ Cypriani magis ac magis conſtat: ſed placuit Eraſmo in omni fere eccleſiaſtico dogmate Pyrrhonica hæc Theologia. Apertius tamen de huiuſmodi celebritatibus et honoribus martyrum dat teſtimoniū hic vir ſanctiſſimus, epiſtola vi. cap. iij. de eiſdem martyribus faciens ſermonē ad presbyteros & diaconos: Dies (inquit) eorū (martyrum ſcilicet) quibus excedunt annotate, vt cōmemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus. Et Tertullo notario martyriorum fideliſſimo, ibidem dicit, vt ſignificet illi dies quibus in carcere beati martyres, ad immortalitatē glorioſæ mortis exitu tranſeunt: Vt celebrentur (inquit) hic a nobis oblationes & ſacrificia ob cōmemorationes eorum, quæ cito vobiſcum Domino proſperante celebrabimus. Cypria. Annuæ celebritates martyrum fiant. Eraſmus Tertullus not. martyriorum.

Fœlix quoq; primus martyr, idemq; Romanus pontifex, epiſtola ſecunda ad epiſcopos Galliæ, vbi celebritates & memorias ſanctorum Fœlix martyr

martyrum agentibus, prohibebantur publico edicto nomine ſuo & ſynodi ab ſe coactæ, miſſo, ſic de huiuſmodi memorijs decernit: Vobiſcum & omnibus Eccleſijs tenendum & agendũ mandamus, vt ſuper memorias martyrum Miſſæ celebrentur, ne memoriæ eorum a talibus extingui, aut veneratio poſſit prohiberi. Tradidit Euſebius libro octauo ſuę hiſtoriæ, quod cum tẽpore Diocletiani graſſaretur inaudita perſecutio Chriſtianorum, pagani idololatræ effodiebant corpora martyrum, & proijciebant in mare, dicentes: Ne forte dij efficiantur Chriſtianorum, et illi qui Deos adorare nolunt, ſeruos noſtros incipiant adorare: tanta erat religio et Chriſtiana deuotio circa venerationem corporum ſanctorum, vt gentiles externa honoris ſpecie decepti, putarent (vt inquit Euſebius) quod diuinus a noſtratibus honor martyribus deferret. Diuus Hieronymus refert beatum Antonium veſtem Pauli primi heremitæ geſtare ſolitum. Notum etiã omnibus eſt, quanta religione et deuotione ſuſceperit diuus Athanaſius pallium et melotem, quæ illi in Teſtamento legauerat inſignis ille et magnus Antonius: cuius legati meminit ipſe Athanaſius in vita, quam de eo ſcripſit, & qualiter ipſum receperit & ſeruauerit, ac poſteris manifeſtat de ſe loquens, hoc pacto: Legatarius (inquit) Antonij benedicti, qui tritum pallium cũ melote imperio eius meruerat excipere (dixerat enim diuus Antonius cum iam ad Deum migraret, melotem & pallium tritum cui ſuperiaceo, Athanaſio epiſcopo date, quod ipſe mihi nouum detulerat) Antonium, in Antonij muneribus amplectitur, & tanquã magna hæreditate ditatus, lætanter per veſtimentum recordatur imaginem ſanctitatis.

Miſſæ

Euſebius.

Hieron.

Athanaſ

Baſilius

Eximium tamen ſuper omnes ſanctos & illuſtre magnus Baſilius exhibet huic veritati teſtimonium, maxime in tribus ſuæ doctrinæ locis, primo, in ſermone de ſancto Barlaam martyre: Antea (inquit) flebant ſanctorum mortes, vt Ioſeph, Moyſes, Samuel: nũc nõ amplius lachrymis ſanctorum mortes proſequimur, ſed tripudijs diuinitus inſpiratis, ſuper ſepulchra eorũ choreas ducimus: ſomnus autẽ eſt iuſtorum mors ipſa, imo potius ad meliorem vitã progreſſio. Ecce honores martyrũ dicit diuinitus inſpiratos: qui quorſum ſanctis martyribus in Eccleſia exhibeantur, in concione quam habuit pro Gordio martyre, explicat his verbis: Qui vitas eorum, qui in pietate honeſte perſeuerauerunt, recenſemus, glorificamus primũ Dominũ per ſeruos, laudamus autem iuſtos per teſtimonium eorum quæ nouimus, populum vero per honeſtorum ſactorum narrationem exhilaramus. Nam exhortatio ad temperantiam eſt vita Ioſeph, et ad fortitudinem vita ipſius Samſonis. Aliud teſtimonium huius magni adducitur, a ſeptima ſynodo, quod in libris Baſilij qui ad nos deuenerunt offendere non potui, vnde ſuſpicor alia adhuc opera iſtius ſancti poſſe deſiderari. Teſtimonium ſic habet

Quare celebrentur natali tia martyrum.

habet:quemadmodum a Deo Chriſtianam & inculpabilem noſtram fidem, veluti hæreditario iure accepimus, ſic confiteor, & in ea maneo: credo autem in vnum Deum, patrẽ omnipotentem, Deum patrem, Deũ filiũ, Deum ſpiritum ſanctum, vnum Deum quem adoro et glorifico. Confiteor et fidei verbi incarnati diſpenſationem. Deinde ſanctam Mariam, quæ ſecundũ carnem illum peperit: hanc Deiparam vocans. Suſpicio etiam ſanctos apoſtolos, prophetas et martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant: vt per illorum mediationem propitiatus ſit Deus noſter benigniſſimus, et remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur. hæc Baſilius. Et homilia de xl. martyribus: Qui martyres amore proſequitur, beneuolentiæ erga cõmunem Dominum ſignificationẽ de ſe præbet. Et infra: Martyrum encomion, exhortatio eſt congregatorũ ad virtutem. In concione quoq; martyris Mametis, beneficia Dei per ipſum martyrem exhibita recenſet, quibus populi inuitabantur ad præſati martyris celebritatem: In hoc loco (inquit) conſtituti multi, ipſum martyrem auxiliarium in honoratione habuerunt, quibus nomine vocatus in operibus adſtitit, quos ex peregrinatione reduxit, quos ex infirmitate erexit, quibus liberos iam vita functos reſtituit, quibus præuentum vitæ tempus prorogauit: hæc ſunt martyris encomia, diuitiæ nimirum ſpiritualium gratiarum, aut beneficiorum. Hæc ibi Baſilius. qui apertis verbis teſtem ſe fecit ſanctorum miraculorũ, propter huius martyris merita a Deo perpetratorum, in auxilium fidelium, qui eum inuocabant, ſanctaſq; celebritates Chriſtiane venerabantur. In expoſitione tamen Pſalmi cxv. oſtendẽs quam ſit preciosa mors eorũ, qui pro Chriſti nomine occumbunt, oſſibus & cineribus ſanctorum magnam defert prærogatiuam hic vir ſanctiſſimus: Quando iudaice (inquit) moriebatur, abominabilia erant morticinia: cum pro Chriſto vero contingit mors, præcioſæ ſunt reliquiæ ſanctorum. Poſt vero dicebatur (inquit) de ſacerdotibus & Deo dicatis: non contaminabitur ex aliquo mortuo: nunc aũt qui contingit oſſa martyris, quandã ſanctificationis ſocietatem aſſumit ex gratia corpori inſidente. Tantũ tribuit hic magnus, ſanctorũ cineribus, vt peculiarem gratiã & virtutem in eis eſſe haud obſcure cõcedat, quæ deuote tractantibus cõmunicetur: & ſatis quidẽ meo iudicio videtur probabilis & pia exiſtimatio, quod virtus illa, quæ de benedictis membris Ieſu Chriſti redemptoris noſtri exibat, qua omnes eum tangentes ſanabat, per eius meritũ & Dei beneficiũ corporibus mẽbrorum ſuorũ dicatur quodãmodo cõmunicari. Hoc ipſum tribuere videt D. Chryſoſtomus ſanctorũ cineribus, ſerm. xxxv. de virtutibus et vitijs, vbi dicit: Quod ſicut virtus erat in veſte Pauli, & vmbra Petri, ad ſanandũ ægrotos, ita in ſanctorum cineribus ad expellendos dæmones. Et in ſermo. de S. Balaã martyre, affirmat dæmones fugere a virtute præ-

Synodus

Baſilius

Chryſo.

ſentiæ corporis S.martyris. Idem dicit homilia lxvi.ad populū Antiochiæ.
Epipha. D.Epiphanius Ieremiam prophetā dicit eſſe ſepultum in Pharaonis regia,& quod ſua ætate incolæ illius loci magna deuotione corpus
Damaſ. Prophetæ venerantes,magnis eos beneficijs per Prophetæ merita & interceſſionē a Deo affici. Et ſanctus Damaſcenus libro quarto de orthodoxa fide cap.xvi.ait: Fontes nobis ſalutares Deus præbuit,ſanctorum
Nazianzenus reliquias multis modis beneficijs ſcaturiētes. Gregorius Nazianzenus magnopere dolens conqueritur,ſcribens ad Gregoriū Niſenum, quod pulueres corporis D.Baſilij præſentes non habeat,dicit em̄ loquens de morte eius: Ego præter alia & hoc priuatus ſum , vt ſanctum puluerem
Hieron. amplectar. D.Hieronymus in regula,pluris ſe facere dicit tunicā D.Pauli hæremitæ,cū meritis eius,quam purpuram regū. Et alibi ad ſepulchrū D. Epiphanij dæmones terreri atq; torqueri affirmat. Quid dicā de miraculis & veneratione ſepulchri D.Hieronymi, quæ recenſet Augusti-
Cyrillus no Cyrillus archiepiſcopus Hieroſolymitanus. Itē quæ D. Ambroſius
Ambroſ. in ſermone beatæ Agnetis de reliquijs Hieruaſij & Prothaſij, itē etiam
Auguſt. Vitalis & Agricolæ. Ad Auguſtinum venio,qui epiſtola centeſima trigeſima ſeptima exactiſſime hunc cultum ſanctorum tetigit, et quomodo in particularibus locis,particularia beneficia ſanctos inuocantibus, Deus exhibeat: in præfata ergo epiſtola,cū Auguſtinus ſuper ordinatione cuiuſdā Bonifacij,de grauibus criminibus accuſati & infamati,quæ humano teſtimonio conſtare non poterant , hæſitaſſet, deſtinaſſetq; apud ſe, vt ad aliquod ſancti ſepulchrum deferrentur,tam Bonifacius reus quam accuſator eius, vbi terribilibus operibus Dei eorum conſcientiæ aperirentur, obijcit contra ſe hic Beatus , quod vbique ſit Deus, quod omnia repleat, & in occulto exaudiat et iuſtificet, et nōnulla alia, quæ indeuotio multorum ſibi & alijs ſolet obijcere , quibus reſpondit Auguſtinus: Verumtamen (inquit) ad iſta quæ viſibiliter nota ſunt, quis poteſt conſilium Dei perſcrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant,et non in omnibus? Multis notiſſima eſt ſanctitas loci vbi beati Fœlicis Nolenſis epiſcopi corpus conditum eſt: quo volui vt pergerent, quia inde nobis facilius ſcribi poteſt quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit probatum: nam et nos nouimus Mediolani apud memoriam ſanctorum, vbi mirabiliter et terribiliter dæmones confitentur , furem quendam qui ad eundem locum venerat vt falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum,et quod abſtulerat reddere. Nunquid non et Aphrica ſanctorum martyrum corporibus plena eſt? et tamen nuſquā ſcimus talia fieri. Sicut em̄ Apoſtolus 1. Corinth. xij. dicit, quod non omnes ſancti habent dona curationum,nec omnes dijudicationem ſpirituum : ita nec in omnibus memorijs ſanctorum iſta fie-
Auguſt. ri voluit, qui diuidit propria vnicuique prout vult. hæc Auguſtinus.

Libro

Libro etiam retractationũ,eorundem martyrũ meminit cap. xiij. quomodo cæcus illuminatus fuerit ad contactũ ſanctorum corporũ. & lib. xxij. de ciuitate Dei cap. ij. multa alia miracula narrat, quæ Deus per interceſſionẽ illorum ſanctorum effecit: quorũ præcipuis affirmat ſe præſentem fuiſſe: & inter alia refert quod deferente Lucillo Mediolanenſi epiſcopo, ſancti Stephani protomartyris reliquias, toto populo in magna pompa præcedente, ex ipſarum reliquiarũ contactu, dolore & apoſtemate fiſtulæ, quæ per medicos curari non poterat, repente fuerit præfatus Lucillus in priſtinã ſanitatẽ reſtitutus: teſtaturq; Chriſtianos ſuo tẽpore magna deuotione ſanctorũ martyrum baſilicas frequentaſſe: id ipſum fieri ſuadens ipſe Auguſt. ſuis populis, lib. vi. Confeſſionũ. Qui ſatis nobis expoſuit voluntatẽ Dei in probatiſſimis miraculis ab eo viſis, tam circa ſanctorum corporũ venerationem, quam erga particulares gratias a Domino per merita ſanctorum in particularibus locis expectandas: idq; non ſolum in nouo Teſtamento conſpeximus, ſed in veteri, cum Deus benedictus ad contactũ oſſium ſancti Heliſęi prophetæ dignatus fuerit mortuũ ſuſcitare. 4. Reg. 13

Percelebris etiam fuit memoriæ olim in oriente corpus & ſepulchrũ diui Babilæ martyris: de quo dicitur, cum litare vellet impius Iulianus Apollini in ſuburbano Antiochiæ, nulla dęmone pręſtãte reſponſa, cauſam ſilentij a ſacerdotibus Apollinis rogaret, reſpõdiſſe illos: Sepulchrũ Babilę martyris in cauſa eſſe, quod Apollo reſponſa non daret. Imperator autẽ vt hoc reſciuit, Galilæos iuſſit venire (hoc enim nomine vocabat ille perfidus Chriſtianos) quatenus in alium locum corpus martyris tranſportarent. Igitur Eccleſia vniuerſa conueniens, matres, viri, virgines, iuueneſq;, immenſa exultatione ſuccincti, trahebant longo agmine arcam martyris, pſallentes ſimul cũ clamoribus et exultatione, atq; dicentes: Confundantur omnes qui adorant ſculptilia. Euſebius Lib. 10 cap. 33. & Sozomo lib. 6

Chryſoſtomus etiã narrat in quarto tomo de ſepulchro ſancti Alexandri, quod dicit magna populorum frequentia fuiſſe viſitatũ. Et ipſe (inquit) qui purpurã indutus eſt, accedit illuc, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant, & fabrum & piſcatorem, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Et homilia xxviij. de ſermone aſcenſionis Domini, expreſſe affirmat angelos circũcurſitare martyrum tẽpla: vbi meminit proceſſionis & pompę, quę illo die ſua ætate fiebat a toto populo Conſtantinopolitano ad templũ ſanctorum martyrũ extra ciuitatẽ. Lib. quoq; contra gentiles tale huic rei exhibet teſtimoniũ: Poſt viuæ vocis facultatem ipſa certe ſanctorũ ſepulchra proximum locũ obtinent, ad animas hominum in ipſos ſanctos intuentiũ ad virtutem eorundem ſectandã. Fatetur etiam ſuo tempore miracula fieri ad ſepulchra martyrum D. Hieronymus contra Vi- Chryſo. Hieron.

gilantium,affirmat etiã apud ſepulchra martyrum miracula multa a Deo fieri.Helena Conſtantini magni mater, locum vbi Dei genitrix mundi peperit ſaluatorem magnopere honorauit, magnificum templũ ibidem conſtruens.Extat Romæ etiam ad hodiernum vſq; diem manifeſtata Conſtantini pietas:nam templa magnifica in honorem apoſtolorum,& ſanctæ crucis in ædibus Seſſorianis,item beati Ioannis Baptiſtæ in Laterano erexit:præter alia multa quæ fecit egregia ad laudem Dei & honorem ſanctorum. Tranſtulit quoq; honorifice(vt Hieronymus refert)oſſa D. Andreæ & ſancti Lucæ Conſtantinopolim, eiſque ædes magnificas conſtruxit.

Socrates lib. 12. ca. 4. allegat ſuper hoc in lib. 3. de vita Coſtantini

Magnus Theodoſius Imperator,cum caput Ioannis Baptiſtæ Conſtantinopolim transferre curaſſet,thecam vbi caput repoſitũ erat, magna cum populi pompa,indutus purpura,deportauit,& egregiam baſilicam ſancto præcurſori,vt autor eſt Sozomenius libro nono tripartitę erexit,cuius nepos alter Theodoſius reliquias diui Chryſoſtomi,et corpus,in regiam vrbem magno cum honore lampadibus & cereis accenſis,curauit deferri,& in pręcioſa theca recondi, in cuius loculum(vt teſtis eſt Socrates)decimo libro tripartitæ, defigens oculos Imperator, ꝓ Archadio & Eudoxia genitoribus ſupplicauit,vt ignoranter delinquẽtibus veniam condonaret,pro iniuſta perſecutione ſancti pontificis.

Sozomenius

D.Auguſtinus baſilicas nominibus ſanctorũ erectas, adeundas eſſe credit,lib. de dogmatibus eccleſiaſticis,cap.lxxvij. dicit enim:Baſilicas ſanctorũ nominibus appellatas, vel loca ſancta diuino cultui mancipata,affectu pio & deuotione adeundas credimus. cuius tẽpore celebris erat dies,in qua paſſio diui Cypriani recolebat̃,vt patet ex epiſtola eius cxx.ad Honoratũ.Feſtum D. Laurentij,ſacrũ erat etiã eius ætate.Pręterea hic apoſtolos & virginẽ matrem:de quibus hic ſanctus conciones peculiares ad populum habuit. Qua vero ratione iſtæ celebritates ſanctorum tam frequentes erant, pręter Dei laudes & honorem ſanctorũ, ea erat potiſſimum, vt Baſilius recte docuit:vt Chriſtiani ad eas cõfluentes,ad virtutẽ indies magis accenderentur,et in fide ſolidiores inuenirentur:non enim,vt quidam voluerunt dicere, populus ad martyriorũ loca cõueniebat,vt pro ſanctis martyribus orarent,ſed vt magis ſanctorum martyrũ oratiõe ipſi apud Deũ adiuuarentur. Dicit enim præfatus

Auguſt.

Auguſt.tractatu xiiij.ſuper Ioannẽ, ponens differentiã inter cõmemorationẽ martyrum in ſacra Miſſæ actione,& aliorum fidelium in Chriſto quieſcentium: Ideo (inquit) ad ipſam menſam nõ ſic cõmemoramus ſanctos,quemadmodum alios qui in pace requieſcunt.ſ.vt nos pro illis oremus,ſed magis vt ipſi orent pro nobis. Neq; ſacrificia quæ in celebritatibus eorum fiunt, martyribus offeruntur:abſit enim a cordibus fideliũ res tam prępoſtera: ſed offertur Deo patri, qui tales martyres effe-

Auguſt.

cit

cit, vt dignos ſuo cõſortio reputaret. Recte hoc ſicut alia idẽ D. Augu-ſtinus tractauit lib. iij. contra epiſtolam Pelagij, dicit enim: Quis autem audiuit aliquando fideliũ ſtantem ſacerdotẽ ad altare ſuper ſanctũ cor-pus martyris dicere in precibus, offero tibi ſacrificium Petre vel Paule? cum offeratur Deo, qui eos et homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cœleſti honore ſociauit, vt ea celebritate & Deo vero de illorũ victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem taliũ coronarum & pal marum eodem inuocato in auxiliũ, ex eorum memoria & recordatione adhortemur. hæc ille. Taceo D. & magnũ Leonẽ, qui epiſt. xxxvij. gra-tulatur Pulcheriæ Auguſtæ, quod reliquias ſanctæ memorię Flauiani ad Eccleſiã cui bene pręfuit, curauerit cũ debito honore reuocari. Taceo quoq; Bernardũ, Anſelmũ & Ioannẽ Damaſcenum, & alios ſequentes Patres, in quibus nil frequentius, nil magis obuiũ lector in eorũ ſcriptis inueniet, quã ſanctorum interceſſionem, & reliquiarum venerationem. Auguſt. Leo

Inter reliquias autem, præcipuas partes obtinet lignum crucis ſacra-tiſſimum, in qua ſalus & vita noſtra pependit, nam pręter id quod reprę ſentat Chriſtũ, ſcilicet crucifixũ, verũ Deum et hominẽ, vera latrię ad-oratione adorandũ, nõ vulgaris acceſſit illi gratia & virtus ex contactu benedictiſſimæ carnis & mẽbrorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui tã-tis & tam manifeſtis miraculis & prærogatiuis lignum hoc ſacratiſſimũ ſuæ victorię vexillum, inferorum potęſtatibus tremendũ, illuſtrauerit. Nam et D. Athanaſius lib. de incarnatione verbi, ſigno iſto ſanctiſſimo viſibiliter fugari dæmones, vaticiniaq; conticeſcere, & magiam omnẽ, omneq; veneficium deſtrui affirmat. & beatus Laurentius ſigno crucis dicitur cœcos illuminaſſe. Nec ob id Chriſtiana religio idololatriæ cri-mini eſt obnoxia, prout antiqtus Chriſtianis opponebat cœca gẽtilitas: quibus ſi tropheę et vexilla ducũ & Imperatorum ſuorũ honore digna videbãtur, & Iudæis olim Moyſis virga, æneus ſerpens, quę crucẽ hanc figurabãt, in magno honoris precio erant, quãto magis nobis crux ipſa in timore et veneratione habenda eſt, qui crucis myſterio ſalui facti ſu-mus, et in qua Chriſtus mortẽ fugauit, et de diabolo, mundo, et pecca-to triũphauit? Et tanto certe maior debetur reuerentia, quãto celebrior eſt victoria, auguſtior vtilitas, et incõparabilis triumphatoris dignitas. Nõ ſiluerunt huius ſacratiſſimi ligni maieſtatẽ, hiſtoriæ fide dignę, no-ta ſunt lippis et tonſoribus miracula, quæ in inuentione eius Deus bene-dictus corã omi populo exhibuit, per quę ſuę volũtatis clara ſatis dedit indicia, quatenus fideles magnificos honores cruci ſacratiſſimæ impen-derent: quibus adductus D. Euſebius Romanus Pontifex, qui tempo-re Conſtantij et Maxentij Romanam ſedem regebat, cuius tempore crux ſacratiſſima ab vxore Conſtantij, diua Helena ſiue Hyrene, inuen-ta eſt, celeberrimum diem inuentionis toto orbe eſſe voluit. De quo Venera-tio crucis Athanaſ. Euſebius

in epiſtola tertia ad epiſcopos Tuſciæ et Cãpaniæ hoc modo decernit:
Inuentio crucis Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ nuper nobis gubernacula ſanctæ Romanæ eccleſiæ tenentibus, v. nonas Maij inuenta eſt, in prædicto die inuentionis feſtum vobis ſolenniter celebrare mandamus, qua celebritate non ipſa ligni creatura, ſed Chriſtus Deus noſter, qui in ea pependit, & myſteriũ paſſionis eius a fidelibus ſalubriter recolitur. Sic em̃ habet collecta antiquiſſima feſtiuitatis huius, quæ veriſimiliter ab eodem Euſebio fuiſſe compoſita creditur: Deus qui in præclara ſalutiferæ crucis inuentione paſſionis tuæ miracula ſuſcitaſti: concede, vt vitalis ligni præcio, æternæ vitæ ſuffragia conſequamur, per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum. In ſanctæ crucis honorem magnificum templũ erexit Romæ pręfata regina in ædibus Seſſorianis, quæ vna ex ſeptem Eccleſijs eſt, quæ Romæ in pręcio ſunt. Meminit ſigni crucis venerationis olim Tertullianus, quamuis eo tempore crux ipſa, in quo Chriſtus pepẽdit, nondum inuenta erat, in apologetico contra gentiles, vbi reſpondẽs obiurgationi gentilium, qua Chriſtianos obiurgabãt, quod in ſignum ligneum crucis religioſi eſſent, dicit: Nonne et vos veneramini vexilla veſtra atq; tropheaꝰ quaſi ex hoc inferat venerandã ſubinde eſſe crucem a Chriſtianis, quam diuus Athanaſius libro de paſſione et cruce Chriſti ſic per Proſopopęiam alloquitur: O beata vere & viuifica crux ſeruatoris, quæ de morte triumphumq; retuliſti, diabolũ vero qui hanc obtinebat, ſuſtuliſti.

Tertull. · Athanaſ.

Nec eſt a ſolis ſanctis doctoribus doctrina hæc de interceſſione & veneratione ſanctorũ cõmendata, ſed per antiquos etiam atq; probatiſſimos ſynodicos conuentus, valde approbata.

Gangrenſis In Synodo Gangrenſi ante mille & ducentos annos coacta, error cuiuſdam Euſtachij expreſſe damnatur, qui dicebat loca ſanctorum martyrum, & baſilicas debere contemni, & quotquot illuc cõueniunt, & ſacra conficiunt, repręhendi. his enim verbis recenſet illa Synodus illius errorem: Conſtat autem Synodum iſtã in ipſis initijs imperij Conſtantini magni fuiſſe coactã. In cuius ſynodi epiſtola præliminari ad patres & epiſcopos Armeniæ ſcripta, ſic habetur: Si quis renuerit hæc quę hodie conſtituta ſunt, tanquam hæreticus anathematizatus & damnatus abijciatur. Ex inſtitutis autem hic roboratis, vnum præcipuum erat, de non contemnendis baſilicis & locis ſanctorum martyrum, & conuentibus, qui in eorũ celebritatibus agebantur, nec hoc diffiniũt patres iſti tanquam nouum dogma a ſe introductum: nam in pręfata epiſtola aſſignantes cauſam ſynodi coactæ, eam eſſe aperte dicunt, quia .ſ. aduerſus Traditionem iſta docebat Euſtachius. Hæc ſunt eius verba: Inuenti ſunt qui diſſenſiones & ſeparationes in eccleſijs Dominicis faciunt, docentes Traditiones eccleſiaſticas, & ea quæ in Eccleſijs aguntur, debere

contemni

contemni,damnatio vero ſynodi ſic habet Canone xx: Si quis per ſuperbiam,conuentus qui per loca & baſilicas ſanctorum martyrũ fiunt, accuſauerit,vel etiã oblationes quæ ibidem celebrantur,ſpernendas eſſe crediderit,memoriaſq; ſanctorum contẽnendas,anathema eſto. Maledicti ergo & excõmunicati ſunt, quotquot huic doctrinæ de veneratione ſanctorum & locorũ martyrum aduerſantur: nam qui errorẽ iam damnatum atq; ſepultũ in contemptum Eccleſiæ ſuſcitant, ſimili ſunt ſententia condemnati. In fine vero Canon. xxi. recenſens ſacra ſynodus per capita fidem ſuã circa hæc,hoc modo explicat ſenſum ſuũ: Domus Dei honoramus, & conuentus qui in his ſunt, tanquam ſanctos & vtiles recipimus, & omnem locum in nomine Dei ædificatum veneramur. Decretũ Gangrẽſis

Synodus quoq; Laodicẽſis,nõ multo poſt coacta, de celebritatibus natalitiorum martyrũ,quas Eccleſia venerabiliter agebat,apertam fecit mentionẽ: Non oportet (inquit) in quadrageſima martyrum natalitia celebrari, ſed eorum in ſabbato & Dominica tantum memoriam facere. Laodicenſis

In quinta vero ſynodo Carthaginenſi, Auguſtini tẽpore congregata, xiiij. canone ſic de memorijs & reliquijs martyrum ſtatuitur: Placuit vt altaria quæ paſſim per agros aut vias tanquam memoriæ martyrum conſtituuntur, in quibus nullum corpus conditum aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab epiſcopis qui in illis locis præſunt, euertantur, & omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, niſi vbi corpus aut certe reliquiæ ſunt, aut origo alicuius habitationis vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine tradatur. Ampliſſime ſacra hæc ſynodus nobis declarat, nõ ſolum altaria in memorias ſanctorum martyrum erigi, ſed & martyria, id eſt locũ in quo martyrio coronati ſunt, habitationes & poſſeſſiones eorũ, eo tẽpore in prẽcio & religioſo honore apud illos ſanctos patres, & totam Eccleſiam fuiſſe.

Satis abunde demonſtraſſe me puto interceſſiones & inuocationes ſanctorum, pariter & venerationes reliquiarum, eo modo, quo eccleſia Catholica nunc docet, cum ſacris ſcripturis valde conſonare, & e diuinis Traditionibus effluxiſſe, id quod cõſenſus omnium ſanctorum doctorum, & antiquæ Eccleſiæ, tam Orientis quã Occidentis teſtimonijs apertiſſimis confirmauit. Et re vera ſi eo modo quo ſancti et Eccleſia docent, iſta fiant, et de hoc diligenter moneantur fideles, maxime idiotę et ſimplices, vt nullo errore nulla ve ſuperſtitione interuenientibus, hæc impendãt, ita vt quando impendũt, & vota ſua offerunt, a Deo principaliter ſperent ſe cõſecuturos vota ſua, cui credãt & fidant & ſpem ſuã in eo vltimã collocent, qui tã eſt mirabilis in ſanctis propter meritũ filij ſui, cuius ſancti mẽbra viua ſunt, vt illis tantas prærogatiuas conceſſerit, neceſſa- Carthaginenſis

neceſſarium eſt vt hæc doctrina retineatur in Eccleſia. Per hæc enim Chriſti procul dubio gloria extenditur, cuius virtus & meritũ tam longe lateq́ per mẽbra ſua propagatur, ſpes reſurrectionis corporũ noſtrorum magis ac magis erigitur & ſolidatur, cum videamus corpora iſta mortalia in tantũ honorari ab omnipotenti Deo, vt per ea tam mirabilia opera efficiat. Adimpletur inſuper Dei voluntas per innumera miracula a teſtibus fide digniſſimis enarrata, quibus ad huiuſmodi cultus impendendos manifeſto monemur & inuitamur, accenduntur & excitantur magis fideles ad virtutẽ & fidei profeſſionẽ amplectendam, deniq́ augetur Dei cultus & reuerentia, quandoquidẽ non in ſe ſolum, ſed in mẽbris ſuis laudatur & veneratur Deus: Laudate (inquit Pſal.) Dominũ in ſanctis eius. A nonnullis ſolet reprehendi accenſio cereorũ et lampadũ ante corpora ſanctorum martyrũ, & aliæ nonnullæ ceremoniæ, tanquã ſuperſtitioſæ, quæ apud fideles vſu quodam et conſuetudine introductæ ſunt: id quod et olim non ſatis etiã probauit Hieronymus contra Vigilantium. Certe vulgarium fideliũ intentionẽ in hac re prorſus ignoro, quam vellem magnopere alienam eſſe a ſuperſtitione, quanquã pie credi poteſt illos in hoc conſuetudinem Eccleſiæ velle ſequi, quæ in ſacroſancta Miſſa, et aliis horis canonicis cereos ſoleat accẽdere, et hoc ex inſtitutione apoſtolorũ: nã in ſtatutis eorũ inter ea quę altari iubent apponi, candelabra cereorum numerãt apoſtoli ſacratiſſimi, per quæ fidem ſuã, quæ lumen diuinæ intelligentiæ eſt, Eccleſia ſolet repręſentare, a qua omnis religionis actio debet procedere. Et ſi hoc imitantur, recte agunt, et res ſalua prorſus eſt a ſuperſtitione: etſi diuus Hieronymus hæc quodammodo videatur damnare.

Hieron.

3.Can.

COROLLARIVM DE IMAGInibus ſanctorum.

DE ſacris imaginibus tria ſe offerũt breuiter determinanda: Primo, an pie et laudabiliter in Eccleſia permittantur. Secũdo, an ſint venerandæ. Tertio, quali honore venerandæ ſint. Videbimus quid in his omnibus ratio ipſa ſuggerat, quidve diuina Traditio introduxerit. Quo ad primũ, qui vſum imaginũ in Eccleſia damnant: non modo in Eccleſiam, qui nihil adulterinũ poteſt admittere, ſunt blaſphemi, ſed contra omnem prorſus naturam loquuntur: nam cum vſus imaginũ introductus ſit ad retinendã et refricandã memoriam eorũ cuius ſunt, et omnis cognitio noſtra fiat in imagine et ſimilitudine, vt Ariſtoteles autor eſt, neceſſe enim eſt intelligentẽ phantaſmata ſpeculari: certe autorẽ naturæ damnat, qui hunc modũ cognoſcendi per imagines in nobis excogitauit: ac ſubinde qui in imagines has externas, veluti inſani, ſæuiunt, in ſeipſos, mentẽ et ſenſus ſuos debuiſſent

2.De ala

etiam

etiam prius deſeuire, vtpote qui nihil cognoſcunt ſine formata in cognitiua facultate imagine. Nam quid obſecro refert, an viſus externe moueatur per imaginem externam, an ſenſus interior, & intellectus per internam, cum vtrobiq; ſit eadem ratio & modus cognoſcendi, puta per modũ ſimilitudinis naturalis, inter imaginẽ & rem imaginatã? Quare Traditio eccleſiaſtica de imaginibus ad excitandas mentes fideliũ, quæ veluti libri eſſent in quibus ruſtici & ſimplices & tardi homines exempla Chriſti & ſanctorũ cognoſcerent, et cognoſcendo admirarentur, et admirati, ad imitationẽ excitarentur heroicarum virtutũ, non ſolũ laudabiliter, ſed etiã naturæ modũ ſatis conformẽ excogitauit, quo homines moueret, et excitaret, et ex conſequenti barbari iſti imaginũ amolitores et euerſores, non Eccleſiæ ſolum, ſed ipſius naturæ autori magnã iniuriam fecerunt.

Hinc ſequitur, quod quando Deus benedictus filiis Iſrael prohibuit, ne ſculptile aliquod fabricarent, aut ſimilitudinẽ depingerent, non intẽdit vſum imaginum ſimpliciter dãnare: pugnaret enim cũ naturæ ordine ab ipſi præſcripto: ſed tantũ prætendit idololatriã in eis euitare, ad quam ille populus valde propenſus erat, ita vt non facerent huiuſmodi ſimulachra, quibus deferrentur aut facile impendi poſſent, diuini honores. Et hoc ſignificabat quando dicebat Exodi vigeſimo: Non facietis mecũ deos argenteos, quaſi diceret: Cauete ab omni ſimilitudine depingenda, et ſculptili fabricãdo, cui facile honores mihi debitos poſſitis deferre. Vnde Deuteronomij capite quinto, quaſi hoc pręceptũ declarans, poſtquam dixit, Non facietis ſculptile, neq; ſimilitudinem, ſtatim adiungit: Non adorabis ea, neq; coles. Et licet non depingere, & non adorare, videantur eſſe diſtincta pręcepta, vnũ tamen erat finis alterius: non enim pretendebat Deus dãnare, vt dixi, imagines, niſi in hoc populo, quem duræ ceruicis eſſe agnoſcebat, & ad idololatriã valde propenſum ex conſuetudine longa, quã cum ſuperſtitioſis & idololatris Aegyptiis traxerunt, qui bouẽ, ibin, feles, leones & cæpas adorabant inſani homines. Idcirco hoc intendens in ſuo populo pręcauere, eos diuina prouidentia vetuit imagines depingere, & ſimulachra conficere, ne fortaſſis putarent Deum ipſum verũ aliqua corporali imagine poſſe exprimi, ac ſubinde exiſtimarent eum eſſe corporeum, qui ſumme ſimplex & ſpiritualis eſt. Vtramq; hãc rationẽ inſinuauit S. Moyſes, optimus legis interpres Deute. quarto: vbi hoc pręſcriptum de non faciendis imaginibus declarat: Cuſtodite (inquit) ſollicite animas veſtras: non vidiſtis aliquam ſimilitudinẽ in die qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinẽ, aut imaginem maſculi vel fœminæ, ſimilitudinem omniũ iumentorũ, quæ fiunt ſuper terram, vel auium ſub cœlo volantium, atq; reptilium quæ mouen-

Marginal notes: Quare filiis Iſrael ſit vetita imago — Exod. 20 — Deute. 5 — Deuter. 4

mouentur in terra, ſiue piſcium qui ſub terra morantur in aquis, ne forte eleuatis oculis ad cœlum videas ſolem & lunam & omnia aſtra cœli, & errore deceptus, adores ea et colas, quæ creauit Dominus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cœlo ſunt. Cum igitur hæc ratio legis in Eccleſia Chriſti minime inueniatur, vtpote quæ per vnctionem ſpiritus ſancti, qua edocta eſt & adiuta, ad huiuſmodi idolorum vanitates propenſa non ſit, ceſſauit et merito lex. quæ etſi pro infirmitate populi illius, erat illis quodammodo naturalis, nobis tamen reddita eſt ceremonialis, extendendo nomen ceremoniale ad id, quod ſimpliciter nõ eſt mandatũ morale. Adde quod ipſe Deus non abſolute prohibuit illis rerũ imagines: nam & habebant filij Iſrael Cherubin, ſerpentẽ æneum, malogranata, ex Dei inſtituto introducta: ſed pręcipiebatur illis, vt ipſi non facerent ſibi imagines, propter periculum iam dictũ, quod ſatis expreſſit ſanctus Moyſes in loco a nobis dudum citato.

Quod vero non ad alium vſum principaliter imagines ſunt introductæ, omnes ſancti declarant. Dicit enim D. Baſilius homilia quadrageſima de martyribus: Res (inquit) in bello fortiter geſtas, tũ eloquentes homines ſæpenumero, tũ pictores exprimuut: illi ſermone ornantes, hi tabulis deliniantes, & vtriq; multos ad fortitudinẽ excitant. Quæ enim ſermo hiſtoriæ per auditũ exhibet, ea pictura tacẽs per imitationẽ oſtendit: martyrũ enim encomiũ & adhortatio eſt congregatorũ ad virtutẽ. Recte dixit, quiſquis ille eſt, picturam eſſe mutam pœſim.

Baſilius

Gregor.

Beatus Gregorius quoq; ad Serenũ Maſſilienſem epiſcopũ idipſum confitetur: Quod legentibus (inquit) ſcriptura, hoc idiotis pręſtat pictura cernentibus, quia in ipſa ignorantes vident quod ſequi debeãt, & his qui literas neſciunt pro lectione pictura eſt. Aliam rationẽ videtur inſinuare vi. Synodus, eas videlicet iure in Eccleſia eſſe receptas, maxime imaginẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, propter Martionitas & Manichęos hæreticos, qui veritatẽ humanæ naturæ in Chriſto negabant, vt vniuerſali vſu Eccleſiæ veritas benedictæ humanitatis Chriſti populi ſuaderetur: quam credo primam imaginẽ fuiſſe ex his quæ in templis receptæ ſunt. neq; id immerito, nam plura & magis inextimabilia repræſentat nobis beneficia, quam aliæ imagines.

Synod.

Gregor.

Vnde Gregorius ij. cuius verba allegantur in præfata Synodo: Eccleſiæ (inquit) capita permiſerunt imagines, quo forma Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundũ humanã naturã nobis proponeretur, per quã humilitatis, & Dei altitudinem noſceremus, pariter et beneficia exhibita per paſſionem & reſurrectionẽ. Laudabilis certe modus, quo excitari poſſit noſtra tarditas ad ſæpius recolendũ grandia & inexiſtimabilia beneficia Dei nobis exhibita. Atq; vtinã cœlum, terra, aqua, atq; elementa omia, nobis hæc omni momento repræſentarent, mentemq; noſtram tardã,

ad ea

ad ea quæ per imagines repręſentãtur eueherent, ne ingrati inueniremur tanto benefactori.

Sanctus quoq; Nillus, qui in præfata ſeptima ſynodo allegatur, percontanti proconſuli Olympidiorum, qui ab eo ſciſcitatus fuerat, qualiter quoddam templum ornari poſſit ab ipſo erigendum, per epiſtolam conſuluit, vt venerandæ crucis imaginem Orientem verſus in templo ſtatueret, propterea quod paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti per vnicum ſalutiferæ crucis lignum, totum genus humanum liberatum ſit, vt per hanc deſperabundis vndiq; ſpes ſalutis annũcietur: in parietibus autem noui & veteris Teſtamenti hiſtorias quoq; curaret depingere, quibus ſcilicet hi qui literas ignorant, neq; ſacram ſcripturam legere queũt, contemplatione picturæ in memoriã reducant, quam fortiter illi Deo noſtro per virilia facta ſeruierunt, vt ad certamen exercentur glorioſorũ facinorum, per quæ cœlum pro terra cõmũtarunt. hæc ille. Ex his autoritatibus duas cauſas habes vſus imaginum: altera, vt hæreticis obuietur, qui in Chriſti humanitatem ſunt inuenti blaſphemi; altera, vt idiotæ & ſimplices habeant quibus moneantur & excitentur, tum ad gratias agendum Deo, tum etiam ad imitandum ſanctorum exempla, quę per imagines repræſentantur.

De antiquitate imaginum.

RVrſus repręhenſibile eſſe non poteſt, quod a tempore Chriſti & apoſtolorum in Eccleſia receptum eſt, imaginum autem ſacrarum vſus, ſic ſe habet, ergo repręhendi non poteſt a quoquam, qui Chriſti nomen portat, niſi cum Manichæis, Fœlicianis, barbaris damnatis, iam Iconomachis, vult ſentire: clarus eſt diſcurſus, maior eſt etiam manifeſta. alias apoſtoli, apoſtolici viri & martyres Deo ſanctiſſimi, de idololatria eſſent incuſandi: quod impium eſt de ſanctis & Deo plenis viris ſentire. Reſtat vt minor probetur exemplis decurrentis Eccleſiæ, nec non teſtimonijs ſanctorum & probatorum virorum.

Narrat beatus Damaſcenus, libro quarto de fide orthodoxa, capite decimo ſeptimo, quod volens benigniſſimus Ieſus (proprijs Damaſceni verbis vtor) pio Abagaro Toparchæ Aediſenorum ſatisfacere, qui mirum in modum cupiebat Ieſum videre, ſacratiſſimam ſui vultus imaginem ad eum tranſmiſerit. Damaſ.

Diuus quoq; Athanaſius in libello illo, qui in ſynodo Cæſarieñſi, eius nomine oblatus eſt a Petro Nicomediæ vrbis epiſcopo, vbi narratur qualiter craſſi quidam & barbari Iudæi atrociter ſæuierint in Chriſti imaginem apud Beritum Syriæ vrbem, quam Chriſtianus per obliuionem in domo a quã migrauerat, reliquit: poſt patrata miracula & reno- Athanaſ.

uata paſſionis Chriſti prodigia, quæ narrat, ait, vocatum fuiſſe Chriſtianum illum cuius erat illa imago, a Metropolitano coram omni populo, & interrogatū quomodo imago apud ſe deueniſſet, vel a quo tam mirabiliter diſpoſita eſſet. reſpondit dicens, quod Nicodemus qui ad Ieſum nocte venerat, proprijs manibus eam cōpoſuiſſet, & moriens Gamalieli tradidiſſet: Gamaliel autē doctoris gentium Pauli διδάσκαλος, cū diem ſibi cerneret adeſſe extremum, Iacobo eam reliquit, et Iacobus Symeoni, & Symeon Zacchęo: & ſic per ſucceſſores temporū Hieroſolymæ perdurauit: vſq; quo ſubuerſio illius vrbis patrata eſt quadrageſimo & tertio anno poſt aſcenſionem Domini ſaluatoris ad cœlos, ſed biennium antequam Titus Veſpaſianus eandē vrbem ſubuerteret, admoniti ſunt a ſpiritu ſancto fideles atq; diſcipuli Chriſti, vt relicta vrbe ad regnum tranſirent Agrippæ regis, quia ipſe tūc Agrippa, Romanis fœderatus erat. Qui egreſſi ab vrbe, omnia quæ ad cultū noſtrę religionis vel fidei pertinere videbantur, ſecum auferentes, in has regiones tranſtulerunt. Quo tēpore etiam imago cum cæteris rebus eccleſiaſticis deportata, vſq; hodie in Syria permanſit: quam ego ipſe a parentibus, ex hac luce migrantibus mihi traditā, iure hęreditario vſq; nunc poſſedi. Hæc certa & manifeſta ratio eſt de imagine ſancta Domini ſaluatoris, qualiter ex Syria in Iudeæ partes deuenerit. De Luca etiā euangeliſta conſtans fama eſt, quod Chriſti & virginis intemeratæ imagines depinxerit. Euſebius ſecundo lib. ſuę hiſtoriæ ſuper teſtimonio martyrij apoſtolorum Petri & Pauli, qualiter a Nerone ambo Romæ martyrio coronati ſunt, introducit quendam Caium antiquum ſcriptorem Chriſtianum, qui tēpore Seueri Imperatoris aduerſus quendā nomine Proculum Cataphrygam diſputans, hæc de monumentis apoſtolorū affirmat: Ego (inquit) habeo trophęa apoſtolorum quæ oſtendam, ſi enim procedas via regali quæ ad Vaticanum ducit, aut via oſtenſi, inuenies trophęa defixa, quibus ex vtraq; parte ſtatuta, Romana cōmunitur eccleſia, quæ certe trophęa cū templa quę modo ſunt in eorū honorē, poſt hæc tempora a magno Conſtantino erecta fuerunt, neq; ante eſſe vehemens eſt apparentia, cum hęc dicit eſſe defixa in locis martyriorū, aliqua ſigna ſenſibilia eo tēporis fuiſſe, per quæ ad memoriam martyrij tantorū apoſtolorum quaſi excitabantur fideles: quæ ſiue ſint imagines, ſiue nō, perinde eſt, ſi viſibilia ſiue recordatiua erant, et in honore habebantur. Lampadias quoq; autor eſt Alexādrum Seuerum in Larario ſuo Chriſti et Abrahami effigiem in tanta veneratione habuiſſe, vt matutinis horis ibi rem diuinam faceret.

Euſebius

Item in vita beati Sylueſtri legitur, quod magno Conſtantino oſtenderit imagines Petri & Pauli, vt ex illarum conſpectione comprobaret, an viſio ſibi reuelata vera eſſet, necne.

Tritiſ-

Eusebius

Tritiſſimum etiã omnibus eſt quod narrat Euſebius lib. vij. de ſtatua illa ſaluatoris apud Cæſareã Philippi ære fuſa, habitu viri veſtita, & dextram ſtatuæ mulieris iuxta poſitæ porrigenti, ad cuius pedes herba quædam naſcebatur, quæ cum exorta, creſceret vſq; ad fimbriã veſtis ſtatuæ, mira virtute (ſi herba tunc contingeretur) omnes morbos depellebat: quæ quidẽ ſtatua in tanto honore priſcis illis tẽporibus fuit habita, vt impius Iulianus illo in loco, ſtatuam ſuã collocaret, vt hac ſaltẽ occaſione adorari videretur a Chriſtianis, teſte Socrate, vno ex autoribus tripartitæ, cuius verba ſunt: Cum agnouiſſet Iulianus in Cęſarea Philippi ciuitate Phœniciæ, quã Paneada vocabant, inſigne Chriſti eſſe ſimulachrũ, quod mulier illa ſanguinis liberata profluuio cõſtituerat: ea depoſita, ſuam ibi ſtatuam collocauit, quæ violento igne de cœlo cadente circa pectus eius diuiſa eſt, & caput cũ ceruice vna parte deiectum, reliqua pars hactenus ſuperfuit, & fulminis indicium reſeruauit: ſtatuã vero Chriſti quidam pagani trahentes confregerunt, poſtea vero Chriſtiani fruſtra colligẽtes, in Eccleſiã recondiderũt, vbi hactenus reſeruanť. Hos honores antiqua Eccleſia deferebat Ieſu Chriſti imagini.

Socrates

Genadi.

Genadius quoq; Conſtantinopolitanus patriarcha, vir ſanctus, & miraculorum patrator, qui tempore Leonis primi Imperatoris floruit, tale de ſacris imaginibus reliquit teſtimonium, quod allegatur etiã a ſeptima ſynodo, cuius verba ſunt: Non offendat quenquã quod ante ſanctorum imagines luminaria & ſuaue olentia accenduntur: ſymbolicæ ſ enim iſta fiunt, non lignis aut lapidibus ipſis, ſed in honorem illorum, quibus cũ Chriſto requies eſt, & quorum honor ad ipſum recurrit, hoc ipſum atteſtante ſapiente Baſilio in hæc verba: Qui erga conſeruos bonos honorem, erga ipſum Dominũ beneuolentiæ ſigna exhibet. Luminaria, fidei lumen: odoramenta, boni operis imitationem deſignãt. Scribit etiam de hoc ſancto Nicephorus hiſtoriographus, quod cum quidã pictor vellet Chriſtum ad ſimilitudinẽ Iouis depingere, arefacta eſt manus eius, quem poſt peccatum confeſſum, oratione ſua ſubito ſanauit Genadius.

Baſilius

Niceph.

Cum hac pia opinione vſq; ad hæc tempora, religioſe & vtiliter in templis admittebantur & venerabantur ſacræ imagines: quouſq; Zenonis tẽpore, qui præfato Leoni in imperio ſucceſſit, ſurrexit quidã (vt idem Nicephorus refert) Xenaias nomine, fortuna ſeruus, natione Perſa, ſecta gentilis, & minime baptizatus, qui Dominum ſuũ fugiens, villas quæ circa Antiochiã ſunt, ſimulans ſe Chriſtianũ, a fide retrahebat, & inter aliã corrupta dogmata quæ diſſeminabat, Domini & ſanctorũ dicebat non recipiendas eſſe imagines: quem damnatus Petrus Gnapheus Patripaſſianus, qui per violentiam eo tẽpore ſedem Antiochię tenebat, non ſolum recepit, ſed ipſum Hierapoleos epiſcopum ordinauit,

Niceph.

Vnde cœpit in Eccleſia falſa de imaginibus exiſtimatio

Petrus Gnapheus

V ij & cum

& cum ipſum minime baptizatũ eſſe didiciſſet, aiebat blaſphemus ille: Sufficit pro Baptiſmo conſecratio. Hic ergo epiſcopus indigne creatus, & contra ordinẽ Eccleſiæ conſtitutus, quæ Neophytũ inhibet epiſcopũ fieri, hoc dogma iudaicũ & Sarracenicũ per totũ fere Orientẽ diſſeminauit. Cum vero eo tẽpore Imperatores, qui Conſtantinopoli agebant, tam in fide ꝙ in obedientia Romani pontificis fuiſſent inſtabiles (nam & concilium Chalcedonenſe multi eorꝝ non receperunt) multũ inualuit hæc peſtis, leuitate Imperatorum ad eam vltro accedente. Ab hoc ergo perdito homine Luciferiana hæreſis ortũ habuit, manſitq; dogma iſtud abſq; hoc quod Eccleſia ſuũ interponeret iudiciũ, vſq; ad tẽpora Gregorij magni, qui Mauriciũ imaginũ aduerſariũ monuit & corripuit. Sed nõ multo poſt coacta eſt vi. ſynodus Cõſtantinopolitana, tẽpore Agathonis, in qua Monothelitæ & Fœliciani ſunt damnati, erga vſum & receptionẽ imaginum, quã negabant, dum imperaret Cõſtantinus Pogonatus et Iuſtinianus ſecundus, filius eius: huius enim tẽpore peracta fuit ſexta ſynodus, qui in atrio S. Sophiæ Cõſtantinopoli imagines depingere fecit, interponente in hoc ſuã autoritatem Conſtantino primo Papa. Damnationẽ huius ſynodi in forma non legi, ſed approbationem imaginũ tam quo ad retentionẽ, ꝙ quo ad venerationẽ, bene legi. Tria teſtimonia de hac re ſunt, quorum duo ſatis trita et cõmunia, et ab omi

Gratian. e ſynod.

Eccleſia approbata ſunt. Gratianus de conſecratione, diſtinctione prima ex vi. ſynodo illa generaliſſima ſic refert: Venerabiles imagines Chriſtiani nõ deos appellant, neq; ſeruiunt eis vt dijs, neq; ſpem ſalutis ponunt in eis, neq; ab eis expectant futurum iudicium, ſed ad memoriã et recordationem primitiuorum venerantur eas et adorant: ſed non ſeruiunt eis cultu diuino, nec alicui creaturæ.

Secũdum canonem citat ſeptima ſynodus, qui ſic habet: In quibuſdã venerandarum imaginum picturis agnus digito præcurſoris indicatus, qui in typum gratiæ eſt aſſumptus, verum illum nobis per legem præſignificatum agnũ Ieſum Chriſtũ indicat. Veteres igitur typos et vmbras veluti veritatis ſymbola et præfigurationes Eccleſiæ traditas amplexantes, gratiã et veritatẽ veneramur. Quid magis Catholicum dici poteſt atque ſyncerum? hic nihil ſuperſtitionis, nihil idolomaniæ eſt.

Canõ de crucis veneratiõe.

Tertius canon expreſſus eſt in his regulis, quæ nomine huius ſanctæ ſynodi greco idiomate ſcriptæ deferuntur, et penes me integræ ſunt, eſtq; lxxiij. in ordine qui hoc modo de veneratione ſigni crucis decernit: Cũ crux quæ vitam reddidit, demõſtret illud nobis ſalutare, omne nos ſtudium adhibere oportet, vt dignus honor tribuatur illi, per quã liberati ſumus a veteri delicto, adorationẽ illi tribuentes, crucis figuras in pauimẽto, ab aliquibus extructas, deleri omnino iubemus, ne conculcatione ambulantiũ tropheum noſtrę victoriæ contumelia afficiatur: qui igitur

in poſte-

in poſterum crucis figurã in pauimento ſtruxerint, diffinimus excõmunicandos. Omniũ autẽ crudeliſſime in imagines ſęuitum eſt, quo tẽpore Leo tertius imperiũ tenuit, qui præter impietatem, quam a præcedentibus Imperatoribus contraxerat, tanta illi fuit cum Maumetanis neceſſitudo, vt pene ad deſerendum Chriſtianiſmũ perſuaderetur, Giſidiumq; principem Arabũ in arctiſſima amicitia habuerit, a quo perſuaſus eſt, vt in imagines ſæuiret, et in veneratores eorum crudeliter animaduerteret. Sarraceni enim a craſſis Iudæis cortici literæ nimiũ adhærentibus hoc acceperunt, vt in vniuerſum damnent omnes imagines, putantes ſe ob id ſolum, magnum Deo obſequium pręſtare: quaſi nos diuinos honores imaginibus tribuamus.

Tunc Imperatorẽ Gregorius tertius monuit, vt ab inſania hac deſiſteret: qui cum contumax eſſet, coacta ſynodo Romæ xciij. epiſcoporũ, vſum imaginũ, & venerationem earum approbauit, & contrarium ſentientes anathemate damnauit, anno Chriſti ſeptingenteſimo, triceſimo tertio. Leone vero Imperatore e medio ſublato, ſucceſſit filius eius Cõſtantinus, patre longe deterior, qui ſacras literas cõbuſſit, & nomen Mariæ virginis iuſſit auferri, & in ſanctorum imagines barbaro quodam impetu deſęuijt, & multa alia abominanda fecit, quæ non opus eſt recenſere. Ad vltimũ ſine pœnitentia peſſimam vitam finiens, ad inferos deſcendit. Reliquit iſte filium Leonẽ quartũ, imperij et impietatis auitę heredẽ: modeſtior tamẽ forte effectus eſt propter pietatẽ Hyrennę vxoris ſuæ, quæ poſt ipſum maritum defunctũ, vna cũ filio ſuo Conſtantino vi. Imperiũ tenens, generalem ſynodum interueniente Adriani Papę conſenſu, in Nicęa coegit, quæ et ſeptima ſynodus dicta eſt: vbi tertio iam et vltimo error de non recipiendis imaginibus cõmuni vtriuſq; Eccleſiæ conſenſu, damnatur et exploditur: vbi præter ſanctorũ Patrum autoritates, quas ſancta ſynodus in confirmationẽ veritatis adduxit, calculum et magiſterium ſuũ ſynodus ipſa vnanimiter appoſuit, tã circa receptionem earum, q̃ venerationẽ, & librorum etiã, qui in fauorem erroris ſcripti erant, abolitionem. Damnatio ſic habet: Oportet nos eccleſiaſticas Traditiones, ſiue ſcripto ſiue conſuetudine in Eccleſia retentas, quarum de numero eſt imaginũ effiguratio, quibus in hoc vtimur, vt recordemur & affectu amplectamur res ſignificatas, vnanimiter et inuiolabiliter obſeruare, quodq; huiuſmodi imaginibus honor debeat exhiberi: nõ quidem ille qui Deo debetur, quam latriã appellant, ſoliq; creatori a creaturis omibus debet exhiberi, ſed tantũ is, qui in recordatione, quemadmodũ & typo reuerendæ & viuificantis crucis, & ſanctis euangelijs, et reliquis ſacris oblationibus, ſuffitus facimus, luminaria reuerenter accendimus, prout veteribus pie hoc in conſuetudinẽ fuit: ſic enim ſanctorum noſtrorũ Patrum putamus obtinere diſciplinã, & Tra-

Grego. 3

Dãnatio iconomachorum

ditionem Catholicæ eccleſiæ, quæ a finibus vſq ad fines euangelium ſuſcepit. hæc ſynodus. Specialius autem in ſeptima actione de his imaginibus hoc modo inſtituitur: Venerandas imagines ex quauis materia cōmode paratas, & in tēplis ſanctis collocandas, habendaſq, tum in parietibus tabulis, tū ædibus priuatis, maxime imaginē Domini noſtri Ieſu Chriſti, & deiparæ virginis, venerandorumq angelorum, & omniū deinde ſanctorum, quos ſcilicet per hanc imaginum pictarū inſpectionem omnes ſi contemplentur, ad prototyporum memoriam & recordationem & deſiderium veniant, illiſq ſalutationem honorariamq orationem exhibeant: non veram latriam, quæ ſolum diuinæ naturæ competit, ſed quemadmodum typo venerandæ crucis, & ſanctis euangelijs, & reliquis oblationibus, ſuffitus & luminaria reuerenter accendimus ex Traditione veterum. Ad vltimum damnat quotquot auſi fuerint contrarium ſentire, aut docere, aut more impiorum hæreticorum eccleſiaſticas Traditiones contemnere, aut nouam quandā vaniloquentiam inducere, aut quicquam de conſecratis Eccleſiæ ad cultum aut ad recordationem Dei, qualia ſunt crux & imagines, & veraces ſanctorum reliquiæ, abijcere, deniq illos qui ſacratis Dei rebus tanquam vilibus & prophanis vtuntur: vbi etiam per ſanctos illos Patres cōcluditur, quod a tempore apoſtolorum vſq ad magnum Conſtantinum, mos erat in oratorijs imagines depingere. De libris vero contra vſum imaginum deſcriptis, hoc modo diſponit præfata ſynodus canone nono:

Omnes pueriles nugas, & inſanas debacchationes, falſas ſcilicet ſcripturas, contra venerandas imagines compoſitas, oportet adferre in domo epiſcopi Conſtantinopolitani, vt cum exteris hæreticis libris reponantur, Si quis vero hęc occultaſſe depręhendatur, ſi epiſcopus & preſbyter vel diaconus fuerit, deponatur: ſi autem laicus aut monachus, excōmunicetur. Eadem fere decernuntur in Franconiana ſynodo, hac etiā tempeſtate coacta, contra Fœlicianā hæreſin. Acta ſunt hæc tēpore Caroli magni Imperatoris, cuius ſynodi determinationem Vniuerſalis eccleſia venerabiliter recepit, et modo etiam tenet, exceptis nonnullis ceruicoſis hæreticis, quibus proprius ſenſus ſemper placuit.

Vnde manifeſte habes imaginū vſum et venerationem a tēpore apoſtolorū vſitatū fuiſſe in Eccleſia vniuerſaliter, paruipendium aūt earum a perditis & infamibus hominibus poſt qngentos annos q̃ Eccleſia plantata eſt, ſubortū fuiſſe. Et re vera ſi pie et ſyncere cultus earū et veneratio fiat, ſancta eſt et vtilis huiuſmodi inſtitutio, quā et Traditio apoſtolica introduxit, et vſus vniuerſalis Eccleſiæ affirmauit, accedēte cōſenſu pcelebrium et generalium ſynodorū, tam in Oriente q̃ in Occidente. Id q̃d ipſa ratio etiā naturalis dictat: nā cum imagines naturaliter reprę ſentent Chriſtū, ſanctos et trophea eorum, et ex ſimilitudine naturali, quā ad res

reprę ſen-

repreſentatas habent, ad ipſas res quas repræſentant videantur perti-
nere,& aliquid eorum eſſe:igitur etſi ſancti Dei iure venerãtur a nobis,
eadem ratione & res quæ ad eos pertinent venerari debent, modo vni-
cuique rei pro ſua dignitate ſeruato. Veneramur enim impulſu quo-
dam naturæ ducti regũ & Imperatorum,parentum & valde dilectorũ
imagines,propter naturalem ſimilitudinem, quam ad eos quos repræ-
ſentant, habent. Adde quod ea ratione qua ſimplices docent, & tar-
dos et obliuioſos excitant,valde vtiles nobis ſunt. Ob idq; pręcioſæ
nobis eſſe debent,honorifice eas tractando,in ſublimibus locis & hone-
ſtis reponendo,& in earum præſentia eas & res quas reprȩſentant vene-
rando,tanquam ſigna efficacia a ſanctis Patribus ad huius rei finem ſa-
lubriter inſtituta. Itaq; triplici nomine, meo quidẽ iudicio, eis debetur
honor: Primo,quia repræſentant: deinde quia a maioribus ad hoc vt ſi-
gna inſtituta ſunt,quam ob cauſam etſi homines & rationales creaturę
imagines Dei ſint,adorari non debent hac ſola ratione,quia nõ ſunt no-
bis a Deo propoſita,vt ſigna recordationis & reuerentiæ. Tertio,quia
valde vtiles nobis ſunt. Decretum vero illud Illiberitanæ ſynodi, quo
videtur prohibere canone xxvi. ne imagines in Eccleſia depingantur: nõ
arguit illo tẽpore imagines fuiſſe reiectas, quin potius ex ea conſtat tũc
fuiſſe in vſu,ſed tantum caueri videtur ne in parietibus Eccleſiæ indecẽ-
ter depingantur: cito enim huiuſmodi imagines ſic depictæ venuſtatem
perdunt,& formã vel partẽ formæ facile amittunt, & vix bene depingi
poſſunt,ita vt plerumq; irriſio ſit tranſeuntibus, quod ad rem ſanctam
reprȩſentandã inſtitutũ eſt. Aſſignans eñ cauſam conciliũ ſuæ determi-
natiõis dicit: Ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur. Vel
ſi imagines in totum hæc ſynodus prohibuit,potuit fieri, vt gratia eui-
tandi alicuius magni ſcandali hoc effecerit, ſicut legimus feciſſe Eze- Reg. 18
chiam regẽ cum ſerpentẽ illum æneum confregit,quia illi honores diui-
nos tribuebat iudaicus populus, ne. ſ. putarent infirmi aliqui adoratio-
nem Deo debitam,imaginibus tribui: quod fieri potuit, cum eo tẽpore
non fuerat hic articulus ab Eccleſia declaratus, tẽpore enim Conſtanti- Regum
ni magni ſynodus iſta coacta fuit,quæ ſatis arguit illo tempore imagi-
nes templorũ fuiſſe in vſu. Ad hunc modũ interpretari debet id quod
de D. Epiphanio dicitur,quod imaginẽ in velo pendentẽ (cum veniſſet
Abethel ad villam quæ dicitur Anablatha) ſciderit, eamq; vt mortuus
inuolueretur dederit,quia forte,vt adoraretur,eam ibi poſitã eſſe puta-
rit. Nonnullos libros huius doctoris allegarunt Iconomachi in ſeptima
ſynodo: ſed teſtimonijs patentibus cõprobatum eſt illos eſſe falſos &
adulterinos,& nomine Epiphanij ab Iconomachis obtruſos.

Quo fit vt magno interuallo diſtet Eccleſiæ doctrina ab inſtituto gẽ-
tilitatis in veneratione imaginũ: cœca enim gentilitas diuinos honores

tribuebat ſuis idolis,putans aliquid numinis eis ineſſe, eo quod dæmō plerumq; in ipſis dabat reſponſa. Item verorum deorū putabat imagines illas eſſe,cum eſſent falſorum:nos aūt nihil numinis tribuimus imagini,neq; ei diuinos honores damus,nec falſa numina aut heroas adoramus per illas:ſed veras res,& ad memoriam,quā imaginum præſentia in nobis excitant,rem præſentatā vltimo adoramus & veneramur: nec in hoc eſt aliquod periculū,ſed magna,vt dixi,vtilitas. Quod vero in nonnullis tēplis Dei patris aut ſpiritus ſancti, aut rerum aliarū ſpiritualium imagines depingantur,vt ſanctorū angelorum:certe quantum ad duas ſaltem perſonas attinet,& maxime Patrē,non admodū probo picturas,ſicut nec & Damaſcenus probat.dicit enim libro quarto,capite octauo:Quod impietas eſt figurare quod diuinū eſt,quia præter hoc quod res ſimpliciſſima & ſpiritualis,imagine exprimi non poteſt,proxima occaſio eſt inducendi errorē in mentibus ſimpliciū, quo putent Deū patrem corporeū eſſe, aut propter caniciei habitudinē vetuſtate caducum:de angelorū vero picturis,non eſt tantū periculi, qui licet non ſint corporei,vt poſſit per imaginē eorū ſubſtātia cognoſci,proprietates tamen eorū,explicari poſſunt quodāmodo per picturas:per puerilē vultū intelligimus innocentiā,per venuſtatem vultus, decorē & perfectionē, quibus a Deo dotati ſunt,per alas, agilitatem eorum indicibilem imagines eorum repręſentant.

Monſtrauimus ergo iam non ſolum,quod imaginū vſus ſit laudabilis,ſed quod etiā venerari debeant,tam Traditionis antiquitate, q̃ totius Eccleſiæ & ſanctorū Patrum cōſenſu. Atq; hæc ſunt quę circa imagines quilibet Chriſtianus oportet vt teneat,qui non vult cum Fœliciano,& barbaris Iconomachis damnari: nec amplius per Eccleſię magiſteriū,cui refragari minimę licet,oſtendi poteſt.

RESTAT VT VIDEAMVS QVALI honore ſacræ imagines venerandæ ſunt.

OMnes fere ſcholaſtici in hoc ſunt,quod imago Chriſti & ſanctorum adorari debent eadē adoratione qua & res quæ repræſentantur. Ideo imagini Chriſti et ſigno crucis ſanctiſſimo, in eo quod Chriſtū repręſentant, latriæ adorationē illis deberi affirmant. Vnde dicunt ex Ariſtotele, quod duplex poteſt eſſe motus animę in imaginem:prior,quo in ipſam imaginē fertur in quantū eſt quædā res abſolute conſiderata,vtputa lignū, æs, aut lapis; alter eſt motus in ipſam imaginē, ea ratione qua repręſentatiua eſt. Inter quos motus hanc ponunt differentiā: quia prior ducit in imaginē,& ſiſtit in ea:alter vero vna cū imagine ad rem tendit repræſentatā,et eodem motu cognoſcitur etiā ipſa imago: ex qua partitione ex parte cognitionis deſcen-

deſcendunt ad aliam quæ ad propoſitũ videtur facere, dicentes: Quod ſi cõſideremus imaginem Chriſti vel ſanctorum, prout ſunt quędam res abſolutę, tunc nulla reuerentia debet eis exhiberi, quia reuerentia rationali creaturæ tantum debetur: ſed ſi conſideremus imaginem Chriſti vel ſanctorum, vt repręſentatiua eſt, ſic debetur illis reuerentia & adoratio, quæ et ipſis rebus quas repręſentant, debetur: cuius doctrinæ, nullum (quod ego viderim) afferunt validum fundamentum, quod poſſit fideles ad id quod docent, obligare: nam neque ſcripturam, neque Traditionem Eccleſiæ, neq; cõmunem ſenſum ſanctorum, neque concilij generalis determinationem aliquã, nec etiã rationem qua hoc efficaciter ſuaderi poſſit, adducunt. Porro, quod ad ſimilitudinem attinet, vnde hæc doctrina videtur deduci, etſi verum ſit dupliciter poſſe a nobis cognoſci imago aliqua, aut abſoluta quadam ratione, aut in ordine ad rẽ repræſentatam, res tamen repræſentata non cognoſcitur eadẽ notitia, qua cognoſcitur ipſa imago in ordine ad rem repręſentatam, quod faceret pro ipſis, quamuis multũ in hac re diſcrucietur Ariminenſis ille acerrimus diſputator in ſuo ſecundo ſententiarum: nec enim eſt maior connexio inter ſignum & rem ſignatam, quam eſt inter patrem & filiũ, quę proprie relatiua & ad aliquid dicuntur, et mutuo etiã ſe repręſentant, tũ naturali ſimilitudine, tum etiã ſicut effectus cauſam, & cauſa effectum: conſtat autem quod cognitione illa qua filium agnoſco, ea ratione qua filius eſt, non cognoſco ſimul huius filij patrem, alias quomodo ſaluaretur relatiua oppoſitio, & diffinitionum correlatiuorum diuerſitas? ſed mediante alia notitia, quę ſimul cũ iſta gignitur, patrẽ agnoſco, ob idq; Ariſtoteles dixit, relatiua eſſe ſimul natura, & ad mutuam etiã dici conſ- Ariſtot. in cathego. certantiã: non enim video qua ratione dici poſſit, quod vnica & particulari cognitione cognoſcantur multa, & non per modum vnius: vt recte etiam D. Thomas docet, quare ſicut hic non eſt vna cognitio, qua fertur anima in ea quæ ſunt mutuo correlatiua, ita nec vna erit cognitio, qua cognoſcitur imago, in eo quod imago, & res imaginata, quamuis ſimul cum cognitione imaginis, quatenus imago eſt, ſit cognitio rei quã repręſentat. Ariſtoteles autem ſolum dicit duplicem eſſe cognitionem imaginis, quod a nemine negatur, aliud tamen vbi dixerit non vidi, etſi totum Ariſtotelem legi, quare nihil concludunt illa ſimilitudine: & quamuis res ita ſe haberet, quod eadem cognitione feramur in imaginem, & rẽ imaginatã, non inde concluditur idẽ fieri poſſe in adoratione et veneratiõe: eſt ẽm maxima diſſimilitudo inter hoc et illud, nã imagini in eo quod imago eſt, nõ repugnat, quod eadẽ cognitione cognoſcatur, qua cognoſcitur res repręſentata: pugnare autem videtur cum imagine etiam in quantum imago eſt, vt eadem reuerentia reuereatur, qua res cuius eſt imago, cum imago illa in eo quod imago non excedat limites inſenſi-

inſenſibilis creaturæ,cui vt doctores iſti recte concedunt,reuerentia minime debetur.Imago igitur in quantum repræſentat,cum naturam non mutet,nec accedere poſſit ad latitudinem rationalis creaturæ,conſequitur ex his quæ ipſimet docent,reuerentiam quæ rei imaginatæ debetur, imagini non poſſe conuenire.Dicent fortaſſe, nunquid purpura regis, paludamentũ imperatoriũ,quibus induitur Imperator,non venerantur eadem veneratione cũ ipſo:Fateor,ob id eſt,quod vnico actu reuerẽtiæ, totus ipſe Imperator indutus veneratur,a quo veſtes minime ſeparãtur, ſicut neq; alia quæ per modum habitus & diſpoſitionis ipſum circumſtant,& cum eo quodãmodo vnum faciunt. Cæterum ſi purpura ab eo ſeparetur,quamuis ab aliquo cognoſcatur vt regis purpura, non opus eſt vt eadem veneratione tunc veneretur,qua ipſe Imperator:imago autem Imperatoris non facit vnum cum ipſo Imperatore ſubſtantialiter nec accidentaliter, ideo non eſt ſimilitudo inter imaginem & purpurã qua indutus eſt Imperator,nec aliquis vnquam vidit,niſi tyranni alicuius forte coactione interueniente, quod eadem veneratione veneretur imago ipſius,qua ipſe rex aut Imperator:licet minime negandum ſit ali-

Auguſt. quem honorem illius imagini deberi. Recte hoc declarat Auguſtinus de verbis Domini,loquens de adoratione, quæ humanitati Chriſti debetur,homilia lviij:Perfectam(inquit) in Chriſto humanitatem, propterea adoro, q̃d a diuinitate ſuſcepta atq; vnita deitati eſt, vt non aliũ atq; alium,ſed vnũ,eundemq; Deum & hominẽ Dei filium eſſe confiteor. Et paucis interpoſitis circa finẽ ſubiungit: Cum rex purpura fuerit indutus,periculũ mortis incurrit,ſi eã ſimul cum rege adorare contempſerit. Iam vides Auguſtinum non ob aliã cauſam humanitatẽ Chriſti per latriã adorare,niſi quia vnita verbo eſt in vnitate ſuppoſiti, cui vera adoratio latriæ debetur,eo modo quo purpura adoratur ſimul cum re-

Cyrillus Damaſ. Epheſi. ſynodus ge purpurato:id quod Cyrillus,Damaſcenus,Epheſiana ſynodus,et tota Eccleſia confitetur. Si igitur humanitas Chriſti a verbo eſſet ſeparata,nec Auguſtinus,nec aliquis ſcholaſticorũ concederet nec conceſſit, debere adorari eadẽ adoratione,qua verbum:Et hoc non ob aliud, niſi quia non faceret tunc quodãmodo vnum cum ipſo verbo. Ergo cum imago multo minus faciat vnum cum re imaginata,non videtur quod eadem adoratione adorari poſſit cum ea. Adde quod cum adoratio recognitionem includat,qua recte exiſtimamus de re, quam adoramus: impoſſibile eſt quod eadem exiſtimatio conueniat imagini,vt ſignũ eſt, & rei cuius eſt imago: cum illa mortua quædam res ſit, hæc vero viua & rationalis. Quomodo ergo poteſt eſſe vna adoratio:Præterea videtur mihi doctrina ſanctorum & ſanctarum ſynodorum generaliũ huic aſſertioni aduerſari.

Auguſt. Auguſtinus epiſtola cxix,ad Ianuarium: In primo (inquit) Dei præ-

cepto

cepto prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo: nõ quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla imago eius coli debet, niſi in illa quæ hoc eſt quod ipſe. Hic aperte prohibet Auguſtinus latriæ cultum ab imaginibus: non ea ratione qua res naturales quædam ſunt, puta lignum aut lapis, nam non opus erat, vt de hoc moneret nos Auguſtinus: ſed loquitur de illis, ea ratione, qua nobis repræſentãt. qui libro primo quoq; de Trinitate, capite ſexto, idololatras appellat qui ſimulachris eam ſeruitutẽ exhibent, quæ debetur Deo. Nec ignorabat Auguſtinus paucos aut nullos eſſe inter gentes, qui materias idolorũ ſic ſculptas deos aut Deum eſſe putarẽt: ſed ob id videtur eos damnare, quod honores diuinos ſimulachris tribuerint, ea ratione qua Deum repræſentabant: multa enim idola erant, in quibus nec dæmon aliquis reſpondebat, ſed tantum benefactorem Deum repræſentabant: ſed neq; omnia quæ gentes colebant, falſum Deum ſignificabant. Erat enim ara Athenis ignoto Deo erecta. Præteriens (inquit Paulus) Atheniẽſibus ſimulachra veſtra inueni, & aram in qua ſcriptum erat ignoto Deo. Quare cũ hæc inhibebat Auguſtinus, ſequitur veritas noſtri propoſiti. Quod autem hæc ſit intentio Auguſtini, ex his quæ in Pſalmum centeſimum decimum tertium exponens illum locum, Simulachra gentium argentum et aurũ, vbi tam eos qui ſimulachra deos putabant, quam eos qui in ſimulachris aliquod numen diuinum latere putabant, & omnes etiã qui per corporalem effigiem Deum adorabant, damnare videtur. Relinquo duo membra, quia ad noſtrum propoſitũ minime ſunt, eo quod nemo recte inſtitutus Chriſtianus imagines adorat, putans illos deos eſſe, neq; in ipſis latere aliquod numen exiſtimat. Ad tertium membrum venio. Videntur (inquit) ſibi purgatioris eſſe religionis, qui dicunt, nec ſimulachrum, nec dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem eius rei ſignum intueor, quam colere debeo. Et paulo inferius: Quis autẽ adorat vel orat, intuens ſimulachrum, qui non ſic afficiatur, vt ab eo ſe audiri putet, ac ab eo ſibi præſtari quod deſiderat ſperet? Contra hunc adfectum, quo humana & carnalis infirmitas facile capi poteſt, cantat ſcriptura: Simulachra gentium argentum & aurum &c. Certe haud diſſimile, imo forte maius ſcandalum infirmis paratur, qui has diſtinctiones prorſus ignorant, nec poſſunt niſi errando intelligere (vt ego ipſe in multis ſimplicibus experimento deprehendi, cum ab eis ſciſcitarer, quid de hac re ſentirent) in eo quod dicitur eadem adoratione adorandam eſſe imaginem, qua & rem cuius eſt. Nam cum videant ſimulacrum operoſe ſculptum, affabre expolitum, in eminenti loco templi poſitũ, ipſumq; a multitudine veneratum, et ſup hæc audiãt, quod eodẽ honore debeat honorari quo & res cuius eſt, colitur: certe in multis ſimplicibus periculoſiſſimus erroris affectus facile poteſt adgenerari,

nerari, quo putent aliquid numinis latere in imagine, ſic quoq; rei repręſentatæ tum nomen, tum gloriam, ad imaginem facile poſſunt traſferre: quod maxime periculoſum eſſe iudico.

Gregor. Gregorius quoq; magnus ſcribens ad illum Maſſilienſem epiſcopū, quem antea merito correxerat de temeraria confractione imaginum, hoc tantum ſacratis imaginibus tribuit, quod per eas repręſentatorum recordamur, illaſq; veneramur, & ante illas rem repręſentatam adoramus. hæc ſunt Gregorij verba: Imagines quas tibi dirigendas per Dulcidium diaconum rogaſti, miſimus (miſerat autem ad eum Ieſu Chriſti & apoſtolorum Petri & Pauli imagines) vnde valde nobis tua poſtulatio placuit, quia illum toto corde diligis, cuius imaginem præ oculis habere deſideras. Et paulo poſt: Scio quidem quod imaginē ſaluatoris non ideo petis vt quaſi Deum colas, ſed vt per recordationem in eius amore recaleſcas: & nos quidem non quaſi ante diuinitatē, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut paſſum, & in throno ſedentē recordamur. Obſecro, ignorabat ne Gregorius epiſcopum illum materiam illarū imaginū non debere adorare? non hoc putari poterat de homine, qui in ipſas imagines non multo ante deſęuierat, ergo ab ipſis imaginibus quatenus imagines ſunt, & vt nos ducunt in cognitionē rerum quas ſignificant, adorationē quæ Deo debetur, prorſus adimit: nec iuuat quod dicunt illa adoratione non debere ſiſti in ipſam imaginē, ſed in rem quā repręſentat: nam ego quęro ab eis, actio iſta adorationis cum ſit vnica (de propria adoratione loquor) terminatur ne ad imaginē partialiter, ita vt ipſam ſimul cū Deo habeat pro obiecto (quod dicunt) terminatiuo nec neſſi in ipſam partialiter tendit adoratio, quid refert quod poſtea honor iſte ad Deum tandē referatur, cum iam creaturæ partialiter honorē diuinū impenderis: quod Gregorius & omnes ſancti, & adhuc ipſa ratio negat. ſi autē vellent dicere quod ipſa actio adoratiōis, procedat ab imagine tanquā ab obiecto motiuo, & non terminatiuo, quæ tanq̄ ſignum ab Eccleſia ad hoc impoſitū inuitat, vt in præſentiam ipſius adorem aut venerer rem quā repręſentat: hoc plane non eſt eadē veneratione adorare imaginē & rem imaginatā, quod ipſi videntur docere, ſed ſimul venerando quodāmodo imaginem, formando cognitionē illius rei quā repręſentat, vere & proprie rē repręſentatam venerari aut adorare, longe tamen alia veneratione: & ad hunc ſenſum trahi debent verba quę ſequuntur in præfata epiſtola Gregorij, dicit em̄ loquēs de Chriſti imagine: Dum nobis ipſa pictura quaſi ſcriptura ad memoriā filium reducit, animū noſtrū aut per reſurrectionem lætificat, aut per paſſionē demulcet: et ſi genu flexi homines coram aliqua imagine aut triūphali ſigno ſanctæ crucis precantur, non lignū hoc ſiue lapidē adorant figuratū. Attende verba non permittit Gregorius,

rius, vt ipſa imago ea ratione qua ducit nos in cognitionē rei repręſentatæ adoretur: ſed (inquit) ſummum Deum colunt, & quę ſenſibus perſpicere non valent, imaginem ex inſtituto illum referentē venerantur & adorant, non in illa ſiſtentes, ſed adorationem ad repręſentatum transferentes. hæc ille. Quæ verba, vt dixi, temperāda ſunt, in intellectū pręcedentium verborū. Damaſcenus etiam in hac ſententia eſt lib. iiij. cap. xij. vt adoratio imaginis ad prototypon exemplar imaginiſq; veritatē transferatur. Et nota bene quod in his verbis nec in verbis vi. ſynodi licet dicantur adorari & venerari debere imagines ad memoriam primitiuorum, non tamen dicunt quod eadem adoratione debent adorari, qua & res, ſed diuerſis, vt & nos fatemur, extendendo nomē adorationis, ad venerationem. Adde quod in determinatione ſynodi vij. in qua hæc materia ad vnguē agitata eſt, nihil refertur de hac adoratione, imo dicitur, quod figuratis imaginibus vtimur vt recordemur, & affectu amplectamur res ſignificatas: & addit, loquēs de omnibus imaginibus, qualis honor eis debeatur exhiberi: Nō quidem (inquit) veram latriam, quæ ſola diuinæ naturæ cōpetit, ſed quemadmodū typo venerandæ crucis & ſanctis euangelijs: conſtat autem ſanctis euangeliis, quāquam ad viuum totam Trinitatem per auditum et per viſum quodāmodo repręſentant, adorationem latriæ minime deberi, qua & ipſe Deus qui repręſentatur ſolet adorari, quare nec vlli imagini taliter, vt ad eam partialiter terminetur adoratio. Adde quod nec ſacramētum baptiſmi, quod ſpiritus ſancti præſentiam ex inſtitutione diuina deſignat, et quodāmodo ipſum in anima baptizati præſentē facit, nemo vnquā adorauit hac adoratione. Viſuntur quoq; Venetijs, in æde aurea, vetuſta carmina, ex Græco in Latinū translata, qbus colendi imaginē Chriſti formā ſeptima hæc ſynodus cōplexa eſt, vbi totus cultus transfertur in ipſum Chriſtum repręſentatū per imaginem, carmina ſic habent: Nam Deus eſt q̄d imago docet, ſed nō Deus ipſa. Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa. Quare Synodus negauit hāc adorationē imaginibus in vniuerſum deberi. Rurſus ſi eadem adoratione adorari debet imago qua res ipſa, ſequitur quod eadem ratione vouere et ſacrificare poſſemus imagini Chriſti vna cum Chriſto: non enim pugnat magis adorare adoratione latriæ imaginem, quā imagini ſacrificare, cum hæc ſit etiam pars latriæ: at nemo dixit vnquā, nec dici poſſit, ſine blaſphemia, cum Deo ſacrifico coram imagine Dei, me etiam eodē ſacrificio imagini ſacrificare: quare nec aliud videtur mihi dici debere. ſcio aliquem bonum ſenſum poſſe admittere illa verba, ſed quia res eiuſmodi eſt, quod ſi parū deflectatur a recto veritatis tramite in huiuſmodi adorationibus, incurri poteſt non leue conſcientię periculum, ſaltem in idiotis & ſimplicibus, qui iſta audiunt, & minime diſtinguere ſciunt: rectius mihi videtur, ſi

Damaſ.

6. ſynod.

7. ſynod.

Carmina de Adoratione imaginis christi.

abſq; illo prorſus offendiculo, populus doceretur ſimpliciter, vt ſacras imagines veneraretur:tum propter id quod repręſentāt, tum etiam quia ſigna ſunt a maioribus ad hoc impoſita:& per eas doceatur leuare totā intelligentiam & affectum ad res quas repræſentant: nullatenus in eis ſiſtentes,& quod in præſentia earum quę ad hoc in templis poſitæ ſunt, rem quā repręſentant,adorent aut venerētur,et hoc ſolū eſt quod volūt ſacræ ſynodi:nullo tamē modo velim dicere quod eadē adoratione adorarentur,qua et res quas ſignificant adorātur, quandoquidē neq; ſcriptura,neq; Traditio,neq; Eccleſiæ determinatio hoc iubet, & vt dixi, multis etiam ſcandalo ſunt. Sed iſtud &quicqd hic a me dictum eſt,Eccleſiæ iudicio ſubmitto,nihil in hac re diffiniens, præterquam quod illa ſentit & ſenſerit: cuius in hac re & multis alijs magnopere cenſuram deſidero,nec non epiſcoporum diligentiā et vigilantiā,cuius munus precipuum eſt totis neruis incūbere,ne greges ſibi cōmiſſi inter pietatis pabula,quæ ſine impietatis & ſuperſtitionis offendiculo eſſe debent, mortiferum aliquid deglūtiant,in re præſertim tanti momenti: quod plerumq; in huiuſmodi rebus euenire ſolet,maxime apud idiotas & ſimplices.

TRADITIO.

De Baptiſmo paruulorum.

Receuſeri etiam merito debet inter Dominicas Traditiones dogma Catholicū de baptiſmo paruulorum,ab amentibus Anabaptiſtis noſtra tēpeſtate reiectū,q ab apoſtolorꝫ tēporibus in Eccleſia eſt in vſu. Quod cū ſit ad ſalutē animarū neceſſariū,minime putandum eſt ab apoſtolis priuato ſpiritu fuiſſe introductū,ſed aut Chriſto iubente, aut ſpiritu ſancto ſpecialiter ſpirante: neceſſariū enim eſt Chriſti beneficiū & gratiam ad oēs extendi,in quos primi hominis maledictio peruenit:alioq gratia Chriſti minus poſſet in bonum,quā primi hominis peccatū in malum: qd Apoſtolus negat ad

Rom. 5 Roman.v.Si enim(inqt)vnius delicto multi mortui ſunt,multo magis gratia Dei & donum vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundabit. Eſſe autem reos peccati originalis paruulos,ſcriptura ipſa clamat, cū dicit oēs in Adam peccaſſe,& quod per vnum hominē peccatū in mundū intrauit,& per peccatū mors, & ita in omnes homines mors pertrāſijt, in quo oēs peccauerūt:et oppoſitū dicere Pelagianus error eſt,in prima illa Eccleſia iā ſepultus,atq; ab ea dānatus. At cū paruuli alieno peccato rei ſunt, iuſtitiæ et gratię Dei valde conſentaneū eſt, vt aliena gratia & merito Ieſu Chriſti per baptiſmū ſaluenē. Meminit huius dogmatis D.

Dionyſ. Dionyſius apoſtolorū diſcipulus cap. vij. lib. eccleſiaſticæ Hierarchię in hūc modū: Illud qd pueri q nedū poſſunt intelligere diuina,baptiſmatis altiſſimorumq; communionis ſacroſanctæ ſignorum participes fiant,

videtur

videtur quidem prophanis rationabiliter irridendū, ſi auditores minus idoneos epiſcopi diuina edocent,& non intelligentibus ſanctas Traditiones tradunt,& quod adhuc ridiculoſius eſt,alij pro ipſis abrenunciant,ſanctaq; ineunt fœdera: verum oportet tuam ſanctam prudentiā (loquitur enim cum Timotheo ad quem librum illum miſit)errantibus non indignari,& religioſe ſimul & inſtructionis illorum gratia, cū charitate rationem reddere,et illud inſuper addere iuxta diuinas leges,quo pacto non anguſtiora omnia, noſtra ſcientia circumſcribuntur, & plurima ex his quæ ignoramus cauſas habent digniſſimas. Verum ea de re iſta quoq; dicimus,quæ ſancti præceptores noſtri ex priſtina Traditiōe edocti,ad nos deriuarunt: aiunt enim quod eſt veriſſimum, infantes ſi ſancta lege formentur ad ſacrū prouehendos habitum, omni errore liberos,& vitæ exortes impuræ. hæc Dionyſius. Si antiqua Traditione viſum eſt apoſtolis infantes ad baptiſmum admitti,quæ poteſt eſſe iſta Traditio,qua illi de hac veritate edocti fuerunt,niſi aut Ieſu Chriſti doctrina oretenus tradita,aut a ſpiritu ſancto in primis ipſius Eccleſiæ diebus reuelata? Certe argumentum hoc conuelli non poteſt.

Conſonat huic Diuo vetuſtiſſimus Origenes in cōmentarijs epiſtolæ ad Romanos, capite ſexto: Eccleſia (inquit) ab apoſtolis Traditionē accepit etiam paruulis dare baptiſmū: ſciebant enim illi, quibus ſecreta diuinorum myſteriorum cōmiſſa ſunt,quod eſſent in omnibus genuinę ſordes peccati,quæ per aquam & ſpiritum aboleri deberent. Vbi vides quod licet apoſtoli paruulorum baptiſmum Eccleſiæ tradiderūnt,tamē per ſecretā myſteriorum Traditionē Dei illis innotuiſſe. Origen.

Cyprianus quoq; lib. iij. epiſt. viij. ad Fidum epiſcopum idipſum docet: Quantum(inquit)ad cauſam infantium pertinet, quos dixiſti inter tertium vel ſecundū diem quo nati ſunt,baptizari nō debere, & conſiderandam eſſe legem antiquæ circūciſionis, vt intra octauum diem eū qui natus eſt baptizandum et ſanctificandū non putares,longe aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. Vbi omnes iudicauimus nulli hominum nato,miſericordiam Dei & gratiam denegandam. Cypria.

D. Athanaſius lib. quæſtionum ſuarū,reſponſione ij. filios a parentibus pro eis ſpondentibus ad baptiſmū trahi dicit: quod manifeſtū indiciū eſt baptiſmi paruulorū,pro his eñ ſponſiones fiunt,nō pro adultis. Athanaſ

D. & magnus Baſilius in expoſitione i. Pſal. idē ſignificat his verbis: Ex Adam(inquit)via mortis et interitus,regenerati ſumus in Chriſto, viuimus vita eius, & manemus ſic, vſq; ad tēpus vſus liberi arbitrij. Vbi ſatis aperte paruulos in Chriſto regeneratos,per baptiſmum affirmat,non infirmos tantum,ſed ſanos bene habentes. Baſilius

D. Chryſoſtomus homilia de Adam et Eua: Ideo(inquit) prædicat eccleſia Catholica vbiq; diffuſa, debere paruulos baptizari propter Chryſo.

originale peccatum. Et infra: Quia ipſa conceptio ſine carnis cupiditate non fit: & tranſgreſſione peccati venio in originale cupiditatis, vt baptiſmus paruulorũ abluat omne peccatum.

Hieron. Hieronymus ad Lætam ram neceſſariũ aſſerit paruulis baptiſmũ, vt parentes aſtringat peccato, ſi infantes non baptizentur ætate qua contradicere non poſſunt. Auguſtinus autem tam frequenter inculcat baptiſmum paruulorũ, vt libros non pœnitendos de hac materia ædiderit contra Donatiſtas: idẽ confirmante ſermo. de Paſchate, vbi monet ſuſceptores paruulorũ in baptiſmo, vt ſe agnoſcant fideiuſſores eorum, quos de fonte leuauerunt: quod de adultis nequit intelligi, cum illi catechizati ad baptiſmũ veniebant. Et lib. ij. de gratia Chriſti, & peccatorũ origine, cap. xl: Sacramenta (inquit) Eccleſię, quæ priſcæ Traditionis autoritate concelebrat, ſatis indicãt paruulos a partu etiam recentiſſimos, per gratiã Chriſti, de diaboli ſeruitio liberari. Et libro primo de peccatorum meritis & remiſſione, capite xx. Et in duobus libris ad Marcellinum, de infantibus baptizandis. Idem in epiſtola decima tertia ad Bonifaciũ. Et libro quarto, cap. xxiij. contra Donatiſtas, Traditionẽ dicit eſſe ab apoſtolis vſitatã. A quibus nec beatus Ambroſius diſſentit, libro ſecundo de vocatione gentiũ, capite octauo. Eſt etiã expreſſa determinatio ſynodi Carthaginenſis v. quæ Auguſtino viuente celebrata eſt, quę de baptiſmo paruulorũ hoc modo diſſerit: Placuit de infantibus quoties non inueniũtur certiſſimi teſtes, qui eos ſine dubitatione baptizatos eſſe teſtentur, neq; ipſi ſint per ætatem idonei de traditis ſibi ſacramẽtis reſpondere, abſque vllo ſcrupulo eos eſſe baptizãdos. Idipſum confirmantibus ſynodo tertia Toletana, capite quinto, & Mileuitana et Gerundẽſi, vbi dicit, quod paruuli eadẽ die qua infirmi ſunt, baptizentur: nec non diuo Gregorio reſpondente ad cõſulta Auguſtini Angli ci. Nec obſtat quod paruuli non credãt actu, quia illa lex de actuali fide tantum exigitur ab adultis, & ſatis eſt quod credant vel parentes eius, aut eius ſponſores, vel Eccleſia. Secundũ videtur approbare Auguſtinus libro tertio de libero arbitrio: Satis (inquit) pie recteq; creditur prodeſſe paruulo fides eorum, a quibus conſecrandus offertur. Et quamuis ſponſores non habuiſſet, nec poſſet niſi ab hæretico & infideli (ritu tamen Eccleſiæ ſeruato) paruulus baptizari, prodeſſe paruulo, in caſu illo poſſet fides parentum vel Eccleſiæ. Fidem namq; alienã prodeſſe aliquando Dominus ſignificauit apud Lucam, cũ ſanare vellet illum paralyticum, qui per tectũ demittebatur in grabato, vbi teſte Luca, cum vidiſſet Ieſus fidem illorũ qui demittebant paralyticum vt ſanaretur, ait ei: Tibi dico ſurge. Quæ uerba tractans diuus Ambroſius: Penſate (inquit) quãntum valeat apud Deum fides propria, apud quem tantum valuit aliena. Et Auguſtinus dicit cap. xxiiij. lib. iij, de libero arbitrio,

Marginalia: Auguſt. — Ambroſ — Synodo v. Carthaginẽſis — Synodi tres de baptiſmo paruulorũ. — Gregor. — Auguſt. — Lucæ — Ambroſ

bitrio,quod ſicut profuit filio viduæ ad hoc vt reſurgeret fides matris, ſic prodeſt infanti fides Eccleſiæ in baptiſmo. Magna ergo ratione prodeſt paruulo fides Eccleſiæ,aut offerentium,qui fidem nequit habere,& aliena culpa,non ſua,reus eſt iræ Dei,& maxime in ſacramento Baptiſmi,vbi partes præcipuas fides videtur obtinere.Vnde ſacramentum fidei dicitur ab Auguſtino,quod ſi quæratur aliquis quomodo fides Eccleſiæ poſſit prodeſſe ei qui intra Eccleſiã nondum eſt. Reſpondeo,quod ſi is qui baptizatur,eſt filius fideliũ, ad Eccleſiã quodãmodo pertinet,eo quod filius et pars mẽbrorũ Eccleſiæ eſt. Et hęc eſt forte mundities,quã Apoſtolus dicebat eſſe in filijs Chriſtianorũ,cum dixit:Alioqui filij veſtri immundi eſſent,nunc autẽ ſancti ſunt. Sin autẽ eſſet filius pagani qui baptizatur,& nemo in Eccleſia illi applicaret ſuam fidẽ,vtputa quia nec eſt filius fidelis,nec baptizatur a fideli ſacerdote, nec aliquis fidelis circa huius baptiſmũ conſentit, non video quomodo fides habitualis Eccleſiæ poſſit illi applicari: ideo melius eſt relinquere totũ merito Ieſu Chriſti,qui totius generis humani ſaluator & redemptor eſt, qui venit ſaluare omne quod perierat.

Sed merito hic patiũtur anguſtias Lutherani ſuopte gladio ab Anabaptiſtis confoſſi,cũ ex eodem fundamento,ex quo Lutherani ſuos errores deducunt,anabaptiſtæ etiã plane negent baptiſmũ paruulorum:id quod non difficile erit deducere. Nã ſi nihil ſine expreſſo verbo Dei in Eccleſia attentandũ aut tenendum,aut introducendũ eſt,quod certum ſit,& ad ſalutẽ neceſſarium, cum de baptizandis infantibus non extet mandatum Dei expreſſum in ſcriptura,baptiſmus eorũ minime attẽtandus eſt. Collectio clara eſt,minor etiã collectionis non eſt obſcura,cum in tota ſcriptura non pateat locus,qui expreſſe aſſerat, paruulos debere baptizari,aut ex quo deduci poſſit in conſequentia neceſſaria. Quinimo ſtatutũ de baptiſmo,tum apud Marcum,tum apud Matthęum, fidem propriam præſupponit in eo qui debet baptizari. Dicitur enim Matth. vltimo:Euntes docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris, & filij,et ſpiritus ſancti. Sic enim habet locus ille,& non,vt corrupte allegatur a Philippo in libello ſuo de locis cõmunibus, vbi huius argumenti vi cõpulſus eſt ſcripturã adulterare. Non enim dixit: Baptizate omnes gentes,vt ille dicit,ſed docete omnes gentes,baptizantes eas &c, Eos ergo hic iubet Chriſtus baptizari,quos prius doctrina fidei imbuiſſent apoſtoli:infantes autẽ non eſſe capaces doctrinæ, extra controuerſiam eſt. Nec alio modo tradidit Marcus hoc inſtitutum: Prædicate (inquit)euangelium omni creaturæ,qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. vbi fidem propriã præmittit baptiſmo:ad quorum intellectũ reduci poſſunt alij loci ſcripturæ,ſi qui ſunt,& ad generalia illa beneficia Chriſti,quæ ex ſcriptura videntur poſſe colligi dici poteſt,ad credentes

Matth. vltimo

Marc 10. tantum pertinere, & ad paruulos, quando mortis neceſſitas vrget: & licet Chriſtus amplexatus fuerit paruulos, erant tamen circumciſi, innocentes, & ex præſcripto diuinæ legis ad numerum populi Dei iam pertinentes. Quod ſi per locum a ſimilitudine velint probare idem debere fieri in baptiſmo ſicut in circũciſione, apparentiſſima quidem ratio eſt, ſed coniecturalis, vt Auguſtinus docet lib. iiij. contra Donatiſtas, non continetur ſcriptura, neq; ex ea deduci poteſt, per euidentem conſequen Matth. Cap. 19 tiam: ſed nec alius locus apud Matthęũ, in quo Chriſtus iubet paruulos ad ſe peruenire, infantium baptiſmum concludit: tum quia paruuli illi, quos ad ſe venire iubebat, non erant infantes, ſed capaces iam reprehenſionis. Dicitur enim illo in loco quod diſcipuli increpabant eos ne accederent, nec præſcribit Chriſtus quod paruuli ad ipſum pertineant per baptiſmum, ſed per alium forte modũ ſibi placitum. Faceſſat omnis calumnia, non hæc dico quaſi in Anabaptiſtarum errorẽ velim inclinare, ſed vt proprijs fundamentis huius perditiſſimæ ſectæ, cõuincam eos aliquod dogma ad ſalutẽ neceſſarium a Chriſtianis debere recipi, ſine verbis expreſſis ſcripturæ, quod ſolum nobis conſtat diuina et apoſtolica Traditione, & ſanctorum Patrum atteſtationibus: quod ſi in hoc dogmate admittitur Traditio, quare non in alijs Eccleſiæ doctrinis, de quarum antiquitate teſtificatur etiã tota Eccleſia? Diligẽter perluſtra Auguſt. uerat Auguſtinus ſcripturam circa dogma iſtud, in qua tamen expreſſum locũ eſſe negat, qua ſtatui poſſit paruulorum baptiſmus, dicit enim lib. iiij. cap. xxiiij. cõtra Donatiſtas: Circa hoc ſi quiſquã in hac re autoritatem diuinã quærat, nequaquã inueniet, quã quod vniuerſa tenet Eccleſia, & Cõcilijs ſtatutum eſt, & ſemper retentum, non niſi autoritate Philipp. apoſtolica traditũ: ad quam præfatus Philippus in ſolutione argumẽti a nobis propoſiti, quaſi de ſcriptura deſperatus recurrit, quamuis cauta quadam verſutia hanc ſolutionẽ primum ponat, & poſt ad ſcripturas ſe conuertat, ſic enim quaſi diſſimulans & aliud agẽs, nolens ſignare, enũciationem quam negabat, ne cogeretur ſubinde fundamentũ ſuæ ſectæ deſtruere, confuſe quodãmodo ſic reſpondit: Ad totum argumentum reſpondeo, vniuerſalis conſenſus Eccleſiæ omnium temporum eſt teſtimonium, quod hæc ordinatio ſit apoſtolica. Deo gratiæ, q̃d ab his audimus verba, quę apoſtolicũ & eccleſiaſticum ſapiunt magiſteriũ. Vtinam hæc vox illis placeret in alijs etiam dogmatibus, quæ ſine cauſa reijciunt, quæ tanta antiquitate & vniuerſalis eccleſiæ conſenſu conſtant, vt in multis aperte monſtrauimus, ſicut illis in hoc placet, maneret profecto Ieſu Chriſti tunica integra & indiuiſa, nec in tot hæreſes tam lamentabiliter diſtracta.

Ex veritate huius ſancti dogmatis quã Lutherani merito acceptãt, ſimul cum his quę diximus, ſeqtur totius Lutheraniſmi deſtructio. Nã ſi baptiſ-

ſi baptiſmus paruulorum in Eccleſia admitti debet, & hoc non conſtat ex ſcriptura ſacra: aliquid ergo tanquam certū & infallibile admittendū eſt, quod in ſcriptura minime continetur, ac ſubinde falſum eſt huius cōtradictoriū. ſ. nihil eſt pro certo admittendum, niſi quod in ſcriptura ſit expreſſum, quod eſt baſis & fundamentum omniū ſuorum errorum: id quod nos demonſtrare intendimus, quare auribus lupum tenent Lutherani. Nam aut oportet eos cū Eccleſia ſentire, & ſuas pernicioſas hæreſes retractare, vtpote quæ ex illo falſo & erroneo fundamento ſequuntur: aut baptiſmum paruulorū cum phanaticis Anabaptiſtis negare, quandoquidem ſola Traditione diuina & apoſtolica, quam in alijs perperam reijciunt, baptiſmus paruulorū validiſſime ſtatuitur. Nunc procedamus vlterius.

Traditio de Exorciſmis.

DIuus Chryſoſtomus exufflationes & exorciſmos circa baptizandos, diuinum aſſerit eſſe documentum, homilia de Adam & Eua. His verbis: Illud quod circa baptizandos in vniuerſo mundo Eccleſia ſancta, ſiue ſint paruuli, ſiue iuuenes vniformiter agit, non ocioſo contemplemur intuitu. Quod cum ad regenerationis veniunt ſacramentum, non prius fontem vitę ingrediuntur, quam exorciſmis & exufflationibus clericorum, ſpiritus ab eis immundus abigatur, & deinceps vaſa eius diripiantur, in poſſeſſionē tranſlata illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus. His ergo eccleſiaſticis regulis et diuina ſumptis autoritate documētis &c. Quæ verba Cœleſtinus primus vſque ad apices ipſos vſurpauit: et tamen Bucerus in deformi Reformatione ſua parum curat iſta diuina documenta. Chryſo. Cœleſt.

Cyprianus epiſt. ad Cœcilium, non ſolum quod vinum debeat adeſſe in calicis conſecratione, ſed quod etiam vino miſceri debeat, & non vnum ſine alio, Traditionem dominicam eſſe dicit.

Traditio de vnitate epiſcopatus.

ITem quod vnus ſit epiſcopatus in Eccleſia, contra Nouatianos ſæpiſſime inculcat, cum quo debeamus vnionem tenere, ſcilicet puta Romanus, quem præter hoc quod Ioannis vltimo ſtatuere videt Chriſtus, cū vni Petro oues ſuas cōmiſit regendas, ipſe etiā D. Peetrus, in ordinatiōe Clemētis poteſtatē ſuam ex diuina diſpoſitione Clementi reſignans, his verbis nobis tradidit hanc neceſſariā cōmunionē: Vos fratres chariſſimi, huic qui præſidet vobis ad veritatē docendam, in omnibus obedite, ſcientes quod ſi quis eum vnquam contriſtauerit, ipſum qui ei docendi credidit cathedram non recipit, ideo nec ipſe ſuſcipietur in regno cœlorum: propter quod ſatagite ad omnē

Lib. de ſimplicitate prælatorū & epiſt. 3 ad Cornel. Ioannis vltimo Clem. 1

X iiij collectam

collectam congregationẽ ſemper conuenire, conuenientes vero ſemper date operã pro ipſo ſentire. Et infra: Si inimicus fuerit alicui malorum pro actibus ſuis, vos nolite ſperare vt ipſe vobis dicat: cum illo nolite amici eſſe, ſed prudenter obtemperare debetis voluntati eius, auertentes vos ab eo cui ipſum ſentitis aduerſum. Quæ verba a ſanctis patribus et martyribus, necnon & multis ſynodis ad hoc propoſitum allegantur. Adde quod ſicut Eccleſia eſt viſibilis & manifeſta, neceſſe erat vt caput eſſet in ea viſibile & manifeſtũ, a quo quantũ ad externã politiam, & ea quæ Chriſtus in Eccleſia inſtituit, gubernaretur & regeretur, quare non ſufficit Chriſtiano, dum in Eccleſia viſibili militat, quod putet ſe Chriſto in cœlo regnanti adhærere, quippe cui placere impoſſibile eſt, niſi cũ ſuis vicarijs cõmunionem teneat: quare rebelles & ceruicoſi aduerſarij, quia cum viſibili capite Eccleſiæ non cõmunicant, ad viſibilem Eccleſiam minime pertinent, ac proinde Chriſto repugnant. Sed argumentũ hoc alibi a nobis, tum per ſcripturas, tum totius Eccleſiæ conſenſum ab ipſis apoſtolis vſq; in pręſentẽ diem abunde tractatũ et corroboratum eſt, & propediem ſi Deus vitam & opportunitatẽ dederit, in lucem ędemus: nunc ſufficiat circa ipſum, diuinam & apoſtolicam Traditionem

Traditio de verbis conſecrationis adduxiſſe. His etiam adiungi poteſt Traditio illa de tribus illis verbis conſecrationis Euchariſtiæ, quæ in euangelijs minime continentur. ſ. eleuatis oculis in cœlum, Myſterium fidei, Aeterni teſtamenti: quę per apoſtolos a Domino accepiſſe ſanctam Eccleſiã D. Baſilius lib. ad Amphilochiũ, & Innocentius iij. cap. Cum Marthæ, teſtati ſunt, conſuetudine eccleſiæ Vniuerſalis ſatis peruetuſta id ſatis comprobante. Sufficiat hęc de dominicis Traditionibus, vel apoſtolicis, quę iubente Domino apoſtoli tradiderunt, & primum gradũ inter Traditiones obtinent, tractaſſe: nam ſi omnes alias perſequi vellemus, excreſceret opus in immenſum, quare contractis velis ad eas Traditiones quæ mere apoſtolicæ ſunt, properemus.

DE SECVNDO FONTE TRADITIONVM, puta apoſtolico magiſterio.

NVnc ad eas, quæ tum re, tum nomine apoſtolicæ dici poſſunt, quas ab eiſdem ſanctis apoſtolis, tanquam a primis et legittimis inſtitutoribus & progenitoribus accepit Eccleſia, accedamus.

Quæ niſi fallor, triplicis ſunt differentiæ. Quædam in ſcriptura ipſa contentæ, quædam in inſtitutis apoſtolicis, quædam vero in ſanctorum virorum ſcriptis inueniuntur expreſſæ. Primi generis hæ

Actor. 15 ſunt: Legimus Actuum xv. conuentum illum ſacroſanctum apoſtolo-

rum

in ſcriptura contentæ
in inſtitutis apoſtolicis
in ſanctorum virorum ſcriptis

rum inſtituiſſe decreta, in quæ tria vel quatuor cõmemorat ſanctus Lucas, vt pote de non edẽdis idolothitis, de non manducando ſuffocato & ſanguine, & fornicatione, quæ poſtea Paulus & Syllas actuum decimo ſexto tradebant omnibus quibus prædicabant, vt cuſtodirentur, & in eccleſia Orientali vſq; ad ſextæ ſynodi tempora cuſtodiebantur, vt patet ex quodam decreto ibi contento.

Item prima Corinthiorum ſeptimo, poſtquam Chriſti præceptum de matrimonij Chriſtiani indiſſolubilitate intimauit Paulus, nonnulla ipſe apoſtolica etiam autoritate tradit. Iam præcipiendo, iam conſulendo, iam permittendo, inſtituit & præcipit, cum dicit: Reliquis (inquit) ego dico, non Dominus, ſi quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, ne dimittat illam. Et ſi qua mulier habet virũ infidelem, et hic conſentit habitare cum illa, ne dimittat eum, ſanctificatus enim eſt maritus infidelis per mulierẽ fidelem, alioqui filij veſtri immundi eſſent, nunc autẽ ſancti ſunt: quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi, in pace autẽ vocauit nos Deus. Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluũ facies? Aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies? niſi vnicuiq; ſicut diuiſit Dominus? Et aſſignans rationem ſui inſtituti Apoſtolus ſubdit: ἕκαστον ὡς κέκληκεν κύριος, οὕτως περιπατείτω. καὶ οὕτως ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διατάσσομαι. Id eſt (latine & proprie vertendo): Vnuſquiſq; vt illum vocauit Dominus, ita ambulet, & hoc modo in omnibus Eccleſijs conſtituo ſeu ordino. Vbi vides apoſtoli generale inſtitutum, & vniuerſalem Traditionem imperio apoſtolico omnibus Eccleſijs commendari. Quo fit vt verbum λέγω in principio huius inſtituti poſitum, non pro eo quod eſt dicere ſecundum vulgarem ſignificationem accipi debeat, ſed pro eo quod eſt decernere, aut imperare: quæ ſignificatio apud probatos autores eſt etiam valde recepta. Quemadmodum enim Latine dicitur naues, milites, pecuniam; atque id genus alia imperare, ſic & Græcis in vſu eſt, τὸ λέγειν στρατιώτας, τριήρεις, χρήματα, πλοῖα, καὶ τὰ λοιπά. Hoc eſt, milites, naues, & cæt. imperare et decernere. Demoſthenes hac voce vſus eſſe videtur, in ipſa hac ſignificatione permultis in locis. In Olynthiaca ſecunda Εἰ δ' ἀντιλέγειν ἔχει τὰ βέλτιστα, καὶ πάλιν ἕτερος λέγειν στρατηγεῖν, οὐκ ἔστιν κρεῖττον. Et quicquid ſit de illius verbi ſignificatione, ſatis eſt nobis, quod verbum τάσσω ſiue διατάσσομαι per quod ſtatuti vis declaratur, nuſquam apud probatos autores accipitur in ſignificatione docendi, ſed præceptiuam autoritatem præ ſe fert. Confirmat hoc etiam ſancta & a tempore apoſtolorum interrupta conſuetudo, quæ vera legum interpres eſt, nam hæc quoq; canonem hunc apoſtoli, non vt conſiliũ aut indulgentiã, ſed vt neceſſariæ obſeruantię, preceptũ amplexa eſt. Cuius Traditionis tres poſſunt aſſignari rationes, quarum

1. Cor. 7

Demoſthenes

quarum nonnullas exprimit Apoſtolus, ex quibus ſumitur obſeruantię neceſſitas. Prima ex naturali iure, quia infidelium matrimonia naturales quædam pactiones & iuſtæ ſunt. Baptiſmus autem & Chriſtiana religio, quæ magis naturam perficiunt quàm inuertunt, eas minime diſſoluere debent, niſi vbi periculũ immineat animarũ. Quare cẽſet Apoſtolus retinendam coniugem infidelem, altero ad fidem Chriſtianã conuerſo, ſi infidelis habitare voluerit cum eo. Secunda vero ratio habet ſuas radices in charitate Chriſtiana, eſt enim ferendũ matrimonij iugum, etiã cum diſpari religionis cultu, quando ſpes aliqua eſt, quod lucrifieri poteſt per fidelem coniunx infidelis. Eſt autem vehemens præſumptio, quando infidelis non vult diſcedere a fideli, quod eum non vulgariter amat: mutuus vero amor magnã vim habet ad inducendũ conſenſum animorum in omnibus, quippe cuius partes ſunt amantes in ſe inuicem transformare, & nulla in re diſſentire: ac ſi vna anima in diuerſis corporibus cohabitaret, maxime in re tanti momenti, vt eſt cultus Dei, & vera religio. Tertia autẽ apoſtolici inſtituti ratio, ex diuina diſpoſitione videtur promanare, quæ vocationẽ matrimonij ſtatuit atque diſpoſuit, et hominũ coniugio benedixit, quam niſi propter diuini iuris obligationẽ, & animarum & religionis periculum deſerere non licet, quas ob cauſas generaliter omnibus Eccleſijs Apoſtolus hoc ſtatuit, non conſulendo aut indulgendo, ſed apoſtolica autoritate pręcipiendo, ac proinde neceſſitatẽ obedientiæ inculcando, neceſſitatem inquam, non ſolum ex parte ipſius præcipientis, cui Deus iubet exaudiri, vtpote qui legatione diuina fungebatur, tanquam Deo exhortante per ipſum, ſed etiam ex parte grauitatis materiæ, ſuper qua eſt inſtitutio, ob idque merito in omnibus Eccleſijs obſeruata eſt.

Apoſtol 1.Cor. 11 Inſtituit præterea 1. Corinth. xi. vt mulier peplo velato oret in Eccleſia, contra vero vir capite detecto: id quod diuus Linus Petri ſucceſſor, vt Platina refert, Romanæ eccleſiæ poſtmodũ intimauit.

1. Tim. 2 Et ne fœminæ in Eccleſijs publice doceant. 1. Timoth. ij. Docere mulierem non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio.

Item quod epiſcopi, presbyteri, diaconi, bigami non ordinentur, ſed probati, habentes ab Eccleſia bonum teſtimonium, ijs verbis in eadem epiſtola.

1. Tim. 3 Oportet epiſcopum irrepræhenſibilem eſſe &c. Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudiciũ incidat diaboli, oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habẽtes myſterium fidei in conſcientia pura, et ſic miniſtrent nullum crimen habentes.

Item

Item ad Titum tertio: Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundã Ad Tit. 3
admonitionem deuita.

Conſulit vero & ad perfectiora inuitat, cum ſanctam viduitatem & 1 Cor. 7
virginitatem cõmendat, tanq̃ Chriſtianæ vocationi magis expediẽtes. Cõſilia
De vidua ſic: Si dormiuerit vir eius liberata eſt: cui autẽ vult nubat, tan- Apoſto
tum in Domino: beatior autẽ erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meũ con- lica
ſilium. Et paulo ante dixerat: Dico autem inconiugatis et viduis, bonũ
eſt & illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. De virginibus autem ſic: De
virginibus præceptũ Domini non habeo, conſilium aũt do tanquã miſe
ricordiam conſecutus a Domino in hoc vt ſim fidelis. Et infra: Reliquũ
eſt, vt qui habent vxores tanquam nõ habentes ſint. Et paulo poſt: Qui
non iungit marito virginem ſuam, melius facit.

Ex conſilio item apoſtolico ortam cernimus Traditionem, quæ ha- Traditio
buit olim quodãmodo vim obligatoriam, quam Patres poſtmodũ ita de abſti-
inſtituerunt, & Eccleſiæ ſubditi libenter acceprarunt: ea autẽ Traditio nẽdo ab
eſt, vt temporibus ſanctæ cõmunionis & ſolemnis ieiunij, & ſtatis qui- vxore,
buſdam & ſolennibus diebus, in quibus orationibus potiſſimum eſt tẽpore
inſtandũ, legittimi coniuges a congreſſu carnali, hiſce temporibus abſti commu-
nerent. Extat huius Traditionis veſtigium quantum ad cõmunionem, niõis et,
ſaltem in ſecunda epiſtola D. Clementis, vbi omnes qui cõmunicare de- ieiunij
bent, a congreſſu mulierum, etiam propriarũ, mundos eſſe vult. Nam ge oratiõis
neraliter loquitur, vbi D. Clemens allegat dictum Achimelech ſacer- et ma-
dotis ad Dauid, qui vxoratus erat, & nonnullos alios cõmilitones eius, gnorum
ſuper erogandis panibus propoſitionis, ad ſacrã communionem iure ap- feſtorũ;
plicans. Traditio ſic habet: Pręcipimus ne vnquã extero clerico ſiue lai- Clemens
co de fragmentis oblationum Domini ponatur ad menſam. Vnde em̃ 1. Regũ
ſcis tu, qui paſſim ſacrarij panes indignis impendis? Vnde noſti ſi a mu- Cap. 21
lieribus mundi ſunt? Et allegat vt dixi factum Achimelech cũ Dauid, q
antequã ſciuit pertriduũ a mulieribus abſtinuiſſe Dauid, & ſocios ſuos,
non dedit. Quo ad tempora vero ieiuniorum & ſtatas dies, plerieq; ſan-
ctorum in concionibus ſuis nonnunquam inculcant, maxime Hie- Hieron.
ronymus epiſtola octaua ad Pammachium, Auguſtinus cap. quo- Auguſt.
tieſcunq;, in diebus feſtiuis inhibet acceſſum. Ambroſius dies ieiuni- Ambroſ
orum interdicit. Gregorius magnus dies Letaniarũ & proceſſionum: & Gregor.
cauſam aſſignat, q̃a vix actus cõiugalis ſine culpa fit, diſt. vij. q. iiij. Et in
regula militiæ noſtrę D. Iacobo cõſecratæ, cõiugaris militibus, ante ſe-
ptingẽtos annos ex cõſuetudine hoc etiã erat in vſu, vt in ſolẽnioribus
diebus et ieiunijs eorũ, minime cũ vxoribus cõuenirent. Hinc etiã puto
morem laudabilẽ in Eccleſijs vſq; in hodiernũ diem obtinuiſſe, ne bene-
dictiones nuptiales darẽtur fidelibus in his diebus, pręcipue in quadra- Synod.
geſima (vt habet ſynodus Laodicenſis) & aduẽtu, ieiunio item quatuor Laodic.
tempo-

temporum,& magnis feſtiuitatibus, ſine quibus ſacerdotalibus benedictionibus Chriſtiana matrimonia auſpicari Eccleſiæ filijs olim non li-
Euariſt. cebat, vt habet decretum D. Euariſti martyris, qui a Petro fuit in Romana ſede quintus: quãquam noſtris temporibus licentia carnis inualeſcente, ſaluberrima hæc inſtitutio elanguit, ita vt ſuperficie quadamtenus, exteriore duntaxat ceremonia retenta in multis Eccleſijs, re ipſa iam non ſeruetur. Apoſtolica autem inſtitutio ſiue conſilium, a quo orta eſt huiuſmodi decentiſſima Traditio, ſic habet iuxta Grçcam æditionem, quæ magis huic propoſito deſeruit, nã Latina ęditio ieiuniũ omittit, quod ſimul cum oratione Græca ſic habet: μὴ ἀποστερεῖτε ἀλλήλους, εἰ μή τι ἂν ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν, ἵνα σχολάζητε τῇ νηστείᾳ καὶ τῇ προσευχῇ. quæ ſic proprie verti poſſet: Ne priuetis vos inuicem (conſuetudine videlicet coniugali) niſi ſi quid ad tempũs ex conſenſu, vt vacetis ieiunio & præcationi. vbi vulgata ęditio omiſit ieiunium, & particulam dubitandi addidit, quæ prȩter hoc quod in Græco codice non habetur, apoſtolico inſtituto ſatis derogat. Sed ne videatur laqueum ſancta hac perſuaſione conſcientijs fideliũ parare ſanctus apoſtolus, addit tertium Traditionũ genus, hoc eſt, indulgentiã
Indulgẽtia quid et permiſſionem, Hoc autem (inquit) dico iuxta indulgentiã, nõ ſecundum imperiũ. hoc eſt, vt oppoſitũ illius quod ſuadeo, liceat vobis abſq; peccato facere, quod in his quæ præcipiuntur, minime licet. Poſt vero in eodem capite aliam inſinuat Apoſtolus indulgentiam, cum dicit: Solutus es ab vxore, non quæras vxorem: quod ſi duxeris vxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit: afflictionem tamen carnis habebunt huiuſmodi, ego autem vobis parco. vnde ſatis clare colligitur, quæ dicantur ab Apoſtolo indulgentiæ, ea. ſ. quę opponuntur conſilijs voto non firmatis, quia licet abſq; peccato ea complecti. Ex illuſtriſſima hac Apoſtoli doctrina, clare ſatis elucet differentia atq; diſtinctio inter hęc,
Quis agit ſecũdũ idulgentiam. videlicet conſulere, indulgere ſeu permittere, & præcipere. Qui enim ſecundum indulgentiam ſeu permiſſionem agit, non peccat: aut ſi peccat, impune id perpetratur: qui autẽ iuxta conſiliũ, melius agit: quãquam
Quis ſecundũ cõſilium omittens, niſi aliunde obligetur, non præuaricatur. Qui vero præceptis apoſtolicis obaudit, recte & laudabiliter operatur, & ſua mercede
Quis ſecundum prȩcepta non fruſtrabitur, apud eum qui nec calicem aquæ frigidæ irremuneratum relinquit: non obtemperans autem, maxime in re alicuius momẽti & cũ contemptu, reus eſt obedientiæ Chriſti vicarijs debitæ, ac ſubinde grauiter delinquit. Qui enim eos ſpernit (vt Dominus ait) ſpernit eum qui miſit illos. Hanc differentiam qui non intelligit, Theologicæ rei ἀναλφάβητος prorſus eſt, & cõmuni ſenſu caret. Hæc idcirco longiuſcule protraximus, vt ignorantiam pernitioſam, & malitiam ſacrilegam Eraſmi
Eraſmus cuiuſdam Sarcerij detegeremus, qui locos cõmunes aliquot, imo mera
Sarcerius ſomnia & mendacia, ad Eccleſiæ deſtructionem conſarcinauit, ineptus

rapſo-

rapſodiaſter, vbi has omnes differentias traditorum ignoranter et maligne confundit, cum in locum de Traditionibus incidit. Audi ſi placet, ineptiſſimi huius Theologiam aut verius ματαιολογίαν ad verbum prorſus optima fide ex ipſis centonibus illius deſumptam, ne quis putet nos in hominis odium calumniam aliquam cõminiſci aut velle intẽdere. Apoſtolus (inquir) priore ad Corinth. epiſtola: Vbi non habet apertũ verbũ ſuas Traditiones conſilia vocat, cũ (inquit) de virginibus pręceptũ Domini non habeo, cõſilium tamen do. En tibi iam ad manũ primum mendacium, idq; impudens & manifeſtũ contra ipſummet Paulum, quod ex his quæ diximus, ſatis aperte cõuincitur, vbi differentiam conſilij, indulgentiæ & pręcepti nobis clariſſime deſignauit Apoſtolus: nam ſi ſuas Traditiones indifferenter conſilia vocaſſet, nihil ergo eſſet in eis neceſſitatis, quantum ad obſeruantiam, nihilq; culpæ erit illis contrauenire. Quomodo ergo Apoſtolus diſtricte præcipit mulierem in Eccleſia non docere, aut virum fidelem inſtituit ab vxore infideli non diſcedere, ſi ipſa conſenſerit habitare cum illo? quod enim præcipitur neceſſitatis eſt, nam de præceptis dicitur, Fac hoc & viues: ideo cõtrarium eius q̃d præcipitur facere, minime licebit: Conſilio vero non obtemperare, indulgentia eſt. dixit enim Apoſtolus poſtquam virginitatẽ & cœlibatum Chriſtianum cõſuluit: Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico, nõ vt laqueum vobis inijciam: optionem tanquam de re meliori dans, non neceſſitatẽ imponens, ſecundũ quod Chriſtus præſcripſerat, qui poteſt capere capiat: erit ergo eadẽ res per iſtum neceſſario, & nõ neceſſario faciẽda, liberæ obſeruationis & non liberæ: quæ manifeſta cõtradictio eſt. Vidiſti hunc catheologum Traditiones apoſtolicas perperã cum conſilijs cõfundentem: audi nunc eundẽ eaſdem cum indulgentia inuoluentem, imo ipſum per ipſummet Paulum deprauantem, ſic enim veluti e tripode loquitur homo [illegible]. Oportet diligenter more Pauli diſtinguere humanas Traditiones ab expreſſis in verbo præceptis, ſic enim præfatur Apoſtolus ſemper ſuis Traditionibus: Hoc autẽ dico iuxta indulgentiam, nõ iuxta præceptum. Non te pudet tam ſacrilego ore, et meretricia fronte Apoſtoli ſenſum inuertere, et diuina oracula tam turpiter torquere, vt quod vni vel duobus locis duntaxat Apoſtolus appoſuit, tu ad vniuerſa ab eo tradita et edocta pertinere falſo affirmes? Si enim res ita ſe habet, omnibus a ſe traditis apponit illam vocẽ ſecundum indulgentiã, impune ergo licebit eis nõ acquieſcere, imo laudabiliter eis non acquieſcemus: id enim quod indulgẽtiæ opponitur, laudabilius expletur quam ipſa indulgẽntia. Vbi ergo eſt illud quod tu legis ex Paulo poſt illa tua (a me citata) verba. Cæteris ego præcipio, non Dominus. ſic enim legi. Et alibi: Tenete Traditiones tã per epiſtolam, quam per vocẽ viuã acceptas. Et illud: Mulierem in Eccleſia docere nõ permitto. Quę

enim præcipiuntur & tenenda mandantur, eorum contrarium fieri non permittitur: neceſſitatis eñi ſunt, nõ indulgentię. Quomodo ergo omnibus quæ tradit Apoſtolus hanc particulam ſecundum indulgẽtiam appoſuit? Non vides te in aperto crimine falſarij eſſe depręhẽſum? Quid ad hoc reſpondere potes, o perfide Elementarie? An nõ cernis te manifeſta contradictione iterum eſſe implicitum, vtpote quod idem liceat & non liceat, ſeruare teneamur & infringere permittamur? Nam in eo q̃d omnia (per te) ſunt indulgentiæ, infringi omnia permittuntur: in eo vero, quod aliqua ſunt præcepta, non omnibus cõtrauenire permittitur. Rurſus cum prius dixeris, quod omnia ab Apoſtolo tradita, vbi nõ habet apertũ verbũ, conſilia ab eodem vocantur, oĩa ergo per te ab Apoſtolo tradita ſunt conſilia: non enim audebis dicere mentitũ fuiſſe Apoſtolũ: nunc aũt cũ dicis, quod omnia ſunt indulgentiæ, manifeſte ſequitur, quod omnia conſilia indulgentiæ quędam ſunt. Quo quid ineptius & pugnantius dici poteſt? Id enim quod ſub nomine indulgentiæ inuulgat Apoſtolus (vti iam vidimus) huiuſmodi eſt naturæ, vt maiori cum laude illius cõtrarium expeti atq; expleri poſſit: vt ſunt ſecundæ nuptię, & reuerſio coniugatorum ab orationis & ieiunij exercitio, ad priſtinam coniugij conſuetudinem: quæ dicit ſe illis permittere ſecundum indulgentiam. Conſilia vero de meliori bono ſupererogationis ſunt, id quod ex Apoſtolo ſancto colligitur, de vidua enim dixit: Beatior erit, ſi ſic permanſerit, & de eo qui non tradit nuptui virginem ſuam, quod melius facit. Eadẽ ergo res eſt per te, magis & minus bona, magiſq; & minus expetibilis: quę tam inter ſe pugnant, quam eſſe magis album, et nõ magis albũ. Nec alterũ iſtud tuũ inſigne mendaciũ ſilentio preteribo, quo iterum omnia apoſtolica tradita, conſilia dicis eſſe, vt licentius tuis liceat in ſanctas Traditiones irrumpere: poſtq; enim omnium traditorũ ab Apoſtolo meminiſti, et cõſilia et indulgentiã cum pręceptis maligne et ignoranter cõfudiſti, ſubiungis ſtatim, tanq̃ tuorum mendaciorũ coronidẽ: et addit Apoſtolus finalẽ affectũ, quo cõcludit ſuas Traditiões, non vt laqueũ vobis inijciã, ſed vt q̃d honeſtũ & decorũ eſt, ſequamini. Hic qs non vel ipſis manibus palpat impudentẽ impoſturã tuam? Quod enim S. Apoſtolus in cœlibatus cõmendationẽ tantũ dixerat, ſignificãs ſe illum nõ pręcipere, ſed conſulere: tu, vt ſanctas Traditiones enerues et vilipendio exponas, ad omnia apoſtolica tradita vis pertinere. Hoccine eſt euangelium promouere Sarceri, voces ex eo ſolas inuerſas, mutilatas atq; corruptas, vt tuam adulterinam doctrinam ſtatuas, allegare, conſpurcans ſcripturę diuinæ maieſtatẽ, & ſacratiſſimum Paulum male detorquens? O mentem diabolicam & ſacrilegã. Quid mirum igitur eſt, ſi ex tot et tam manifeſtis mendacijs, patentibuſq; repugnantijs, falſum & corruptiſſimum dogma ſuum de ſanctis Traditionibus colligat iſte

falſari-

falſarius,cum ſtatim ſubdit, certum eſſe Traditiones in vniuerſum nõ eſſe iuris diuini,nec ad Dei cultum pertinere, ſed res [illegible] eſſe. Huius tamen falſæ ſententiæ reiectio et impugnatio,expectabit nos vſq; ad vltimam aſſertionẽ. Nunc ad alia apoſtolica tradita ſtylum cõuertamus, vt noſtræ propoſitæ partitioni ſatisfaciamus.

Diximus de traditis apoſtolicis in ſcriptura diuina cõtentis: ſupereſt nunc vt membrum alterũ partitionis dudũ a nobis poſitæ abſoluamus. Vnde meminiſſe opus eſt eius quod in poſtulatis noſtris,in huius operis noſtri principio,ex ſcripturis aperte monſtrauimus, multa ſcilicet ab apoſtolis,præſertim a Paulo,inſtituta & tradita fuiſſe,quæ in libris canonicis non continentur. Nam Traditiones illæ, quas preter ſcripturã Theſſalonicenſibus ij.epiſtola cap.ij.iubet ſeruare Paulus,& diſpoſitiones illæ,quas ſe ſtatuere promittit in Eccleſia Corinthiorum circa ſacram ſynaxim,nec non depoſitũ,quod Timotheo coram teſtibus multis idẽ Apoſtolus cõmendauit,et quæ diuus Ioannes in ſecunda Canonica præſens ad præſentes ſe loquuturũ eſſe promittit, nuſquã in ſacro Canone ſcripturarũ inueniuntur:ſed partim in ſanctorũ doctorũ,partim in apoſtolicis regulis eas inuenimus. Petamus ergo aliunde ſecundum membrũ,ex canonibus ſcilicet apoſtolorum, et ex epiſtolis Clementis, & aliorum qui cum apoſtolis fuerunt conuerſati: ſuper quorum autoritate pauca præfabimur,vt robur addamus ijs, tum a nobis iam dictis, tum etiam dicendis. Apoſt.

DE AVTORITATE SANCTORVM Canonum apoſtolorum.

Porro apoſtolorum Traditiones canonicæ, nunquã non ſunt obuiæ,ijs maxime qui in euoluenda Eccleſiæ,antiquitate nõnihil temporis inſumpſerunt. Extant,vt ab ipſis principijs Eccleſiæ ordiamur, & in manus Latinorum iam peruenerunt apoſtolicæ regulæ, Græco ſermone conſcriptæ,quos Canones vocant viri eccleſiaſtici, numero lxxxv.cũ antea in latinis exemplaribus xlviij. duntaxat recenſerentur. Et licet de quibuſdam eorũ,vt Iſidorus refert, Iſidorus decretorum diſtinctione ſexta,a nonnullis dubitatum ſit,propter hæreticorum corruptiones, integri tamen et ſalui ſunt hi, qui omnium fere manibus hodie iam teruntur:in quibus nihil offenditur ſuſpectum,nihil adulterinum,nihil deniq; apoſtolica maieſtate indignum. Quamobrẽ in magna ſemper autoritate fuerunt,idq; merito apud omnes patres eccleſiaſticos,præcipue autem Orientales.

Zepherinus Romanæ ſedis Pontifex glorioſus,ante mille et ducentos annos lxx.capita eorum approbat in prima epiſtolarum ſuarum,quã ad omnes Siciliæ fideles miſit. Vbi poſtquam modum quo epiſcopus Zepher

iudicandus eſt,ſanctus Pontifex prǽſcripſiſſet, venerandos hoſce Canones allegat numero lxx.his verbis:Et in cōſtitutis apoſtolorū,eorumq́ ſucceſſorum,alijſque pluribus cū eis conuenientibus, habentur inſerta (quæ ipſe ſcilicet decernebat)ſeptuaginta enim ſententias apoſtoli prǽfixerunt,et cum alijs q̃plurimis epiſcopis ſeruandas eſſe cenſuerunt.

Victor martyr Anacletus Victor etiam martyr, huius beati anteceſſor,& Damaſus ille perceleberis,nec non & ſanctus Anacletus diui Petri diſcipulus et ſucceſſor, in prima & tertia epiſtola ſua,ex eiſdem regulis apoſtolicis teſtimonia mutuantur.

Leo Adrian. 6.Synod. Item et beatus Leo contra Nicetam Albanenſem,et Adrianus primus.Cum primis vero ſexta ſynodus Cōſtantinopolitana in 1. ſuarǫ actionū capite,magna reuerentia hos Canones apoſtolicos cōmendat, in hæc verba:Placuit huic ſanctæ ſynodo,vt amodo confirmata & rata ſint canonum apoſtolorǫ lxxxv. capita: quos etiā Iuſtinianus Imperator magnopere(vt par eſt)veneratur in autenticis,

Athanaſ. Multo etiam ante hos D.Athanaſius in epiſtola illa paſchali, quā ad primæ noſtræ aſſertionis robur allegauimus,cum doctrinam eccleſiaſticam trifariam,in Canonicam, Hagiographā & Apocrypham diuidat, apoſtolorum regulas inter Hagiographa numerat.

Epipha. Epiphanius quoque libro tertio cōtra Audianos,allegans quendam apoſtolorum canonē,qui non extat,de paſchate celebrando, vbi prohibet fideles Chriſtianos ex gentibus venientes,ne nimis anxij ſint in ſupputatione lunationum ad celebrandū Paſcha, ſed quod ſe conforment ſupputationibus fratrū,qui ex circūciſione ſunt. tale de ijs ſacroſanctis regulis profert teſtimoniū:quod omnis regularis ordo in ipſis habetur, & nihil a fide adulteratū,neque a confeſſione,neque ab eccleſiaſtica gubernatione alienum continent. Prǽclara certe præconia & plane digna quæ ab omnibus audiantur,ne amplius in dubium veniat autoritas harum ſacrarum regularū.

7.ſyno. Septima etiā ſynodus quæ et ſecunda Nicǽna dicitur,ſuper imagines quas dicit apoſtolica Traditione introductas, hos Canones videtur allegare Canone lvij. de recipiendis pœnitentibus.Styli etiā grauitas & ſententiarǫ pōdus,apoſtolicā redolēt maieſtatem,et illius tēporis Eccleſiæ ſatis indicant nouitatē. Nam canone lxij. Prǽceptū de ſuffocato et ſanguine, vt in Act. apoſtolorǫ cōtinetur, ſtatuitur in hunc modū: Si quis epiſcopus, presbyter, aut diaconus, aut omnino quicunq́ ex ſacerdotali cōſortio carnes comederit cū ſanguine, aut a beſtijs ereptum et ſuffocatū, deponitor: hoc enim lex prohibuit. ſi vero laicus fuerit, a cōmuni excluditor. Quæ verba ſatis indicant, tempore æditionis horum canonum,nondum fuiſſe ſepultam veterem Synagogam.Item canone lxv. inhibetur ieiuniū in die Sabbati et Dominico: id quod hodie Orientalis Eccleſia (quantum ad diem etiam Sabbati attinet) reuerenter obſeruat. Lex autem illa in Iudæorum

forte

ſorte recēs conuerſorum gratiam, qui adhuc legaliū teſtam minime depoſuerant, ſtatuta eſſe videtur. Rurſus lxxxi. regula, de Oneſimo Philemonis ſeruo, cuius Paulus meminit epiſtola ad eundē Philemonē, mentionem facit, vocans ipſum noſtrum Oneſimū: quod ab alijs quā apoſtolis dici, veriſimile non eſt.

Vbi vero & quando apoſtoli conuenerint ad hos canones ſtatuēdos post illum ſacroſanctum conuentum Hieroſolymis celebratū, xvij. aut xviij. anno a Chriſti aſcenſione, nō ſatis exploratū habeo: quamuis hoc anxie nimis & ſolicite inquiſiuerim: præter id quod in D. Anacleti tertia epiſtola, & in epiſtola xviij. Innocentij primi deprehendi. Anacletus em̄ cum diuiſionem patriarcharum totius Eccleſiæ recenſet, & in Antiochenam ſedem incidit, Antiochiæ hos Canones eſſe æditos ſubindicat, in hæc verba: Inde namq; (id eſt, Antiochiæ) beati apoſtoli inter ſe ſtatuerunt, vt epiſcopi ſingularium ſcirent gentium quis inter eos primus eſſet, allegans ad hoc xxxiij Canonem apoſtolorū, ſuper his primatibus decernentem. Innocentius vero cum in epiſtola illa ad Alexandrū eiuſdem Antiochię patriarchā miſſa, de illius ſedis priuilegio loquitur: Aduertimus (inquit) non tam pro vrbis magnificentia, hoc eidem eſſe tributum, quam quod primi apoſtoli ſedes eſſe monſtretur, vbi & nomen accepit Chriſtiana religio, et quæ conuentum apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit. In his igitur regulis ſacroſanctis multa continentur, quæ hactenus illibata authoritate retinuit ſancta mater Eccleſia, quamuis corruptione temporū non plene obſeruentur: alijs pro temporis & materiæ qualitate, aut obliteratis, aut totius Eccleſiæ magiſterio merito abrogatis. Duobus duntaxat inſtitutorum immorabimur, puta Traditioni ieiuniorū et ſacri cœlibatus. Reliqua breui calamo, & ſimplici quaſi narratione perſtringemus, ne in immenſum abeat res.

Quādo canones apoſtoli ci cōd.ii.

Anacleto

Innoc. i

CONSIDERATIO

De Traditione ieiuniorum et ſanctæ Quadrageſimæ.

TAm fuit apud priſcos et ſanctos patres ieiunium Quadrageſimæ ſacroſanctum, vt multi inter eos magni nominis viri aſſerere viſi ſunt, ipſum eſſe Traditionem dominicam, et non humanam. Ambroſius nanq; in quodam ſermone de Quadrageſima, diuinum præceptum ieiuniū Quadrageſimæ autumat, et in alio ſermone ipſius, non humana cogitatione inuentum, ſed diuinę maieſtatis præceptum, eiuſdē Quadrageſimæ ieiunium eſſe aſtruit. Quem imitatus magnus ille Leo, ſermone primo de eadem, diuinam inſtitutionem eſſe aperte nobis prædicat, de cuius neceſſitate huiuſmodi ſententiam protulit ante annos mille; Non eſt leue (inquit) peccatum fratres

Ambroſ

Leo

Neceſſitas Quadrageſimæ. indictam a Domino abſtinentiam Quadrageſimę violare, & ieiũnia ab Eccleſia cõſecrata veneris voracitate diſſoluere:id quod etiã ſcio me legiſſe apud Auguſtinũ,quanq̃ loci non ſum memor. Scio Bedam venerabilem,qui abbreuiator extitit huius ſancti doctrinæ,in ſermone quodam de aſcenſione,hoc idẽ tenuiſſe,ſuffragante ijs antiquiſſimo Theophylo Alexandrino,tertio libro de Paſchate,qui ipſam Traditionẽ euangelicam ſiue dominicã eſſe plane affirmat. Aduerſari tamen his videtur: Hieronymus & Epiphanius, & cõmunis Theologorum exiſtimatio.

Beda

Theoph.

Hieron. Hieronymus epiſtola quarta ad Marcellam:Nos(inquit) vnam quadrageſimã ſecundum apoſtolicam Traditionẽ obſeruamus. Et Epiphanius cum Aerianos inſequitur. Omnes tamen meo iudicio meo verum dicunt,licet ſecundũ conſiderationes diuerſas. In ieiunio enim Quadrageſimæ multa concurrunt, puta ipſa ieiunij abſoluta ratio, tẽporis & ciborum præſcriptio. Si enim Quadrageſimam ſecundum quod ieiunium eſt,cõſideremus,diuina Traditio & doctrina eſt:Adde quod etiã quantum ad tẽporis præſcriptionẽ, etſi non conſtet nobis a Chriſto eſſe præceptã,certũ tamen eſt ad exemplũ eius & imitationẽ fuiſſe introductam. Ieiunauit enim quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt referunt euangeliſtæ. Sin vero conſideretur quantum ad ciborum delectum,& temporis rationẽ, crediderim illam Traditionem eſſe apoſtolicam:quod Epiphanius & Hieronymus recte aſſeruerunt. Hoc modo dici ſolet de tertio præcepto Decalogi,quod eſt diuinum & humanum: morale & ceremoniale:morale, quia ſecernere tempus aliquod in quo vacemus,ratio naturalis dictat:ſit hæc vel illa dies, & hoc vel illo modo,ceremoniale erat apud Iudæos, apud nos vero apoſtolicum et humanum. Quod vt magis innoteſcat, et tam ſancti inſtituti dignitas omnibus pateat,aliqua ſunt nobis radicitus tractanda.

Matt. 4

Marc. 1

Pudet certe me loqui de hac virtute ſacroſancta, quæ nominetenus hodie in Eccleſia obſeruatur, nam neq̃ apud eos ſolum qui ieiuniorum prſcriptiones damnant, neque apud nos, qui merito eas defendimus, in vſu ſunt ſancta ieiunia:niſi tantum ſecundũ quandam externam ceremoniã. Putamus enim nos ieiunare ſi ſemel in die vſq̃ ad ingluuiem prandium faciamus,probe poti et melius paſti: ſumentes cibos non pro naturæ ſuſtentatione,aut vnius diei dũntaxat, ſed in tanta quantitate, vt vel Miloni olim pro tribus diebus potuiſſet ſufficere. Taceo qualitatẽ et differentiã cibariorũ et condimentorum. Iam enim, neq̃ mare, neq̃ terra,neq̃ aer,neq̃ ſalſamentarij ſufficiunt gulæ noſtræ. Et vtcunque tolerabile eſſet,ſi hęc ingluuiei contagio,ſolos laicos cõprehenderet, et non potius multos noſtri ordinis ſacerdotes,religioſos et prelatos Eccleſię peruaderet:quos video huic rei tantum inuigilare, vt potius ad ventris voracitatem natos eſſe dixeris, quam ad imitandum apoſtolicam modeſti-

modeſtiã, in fraudem pauperum & deſtructionem caſtitatis: quæ cum ſanctis ieiunijs terras iam videtur reliquiſſe. Quid enim expectabitur a ventre mero piſcibus varijſq; alijs cibarijs & irritatorijs pulmẽtis diſtento, niſi vt ſtatim in fœdam libidinẽ deſpumet, & in motus illicitos prorumpat? In vanum profecto promittitur a nobis cœlibatus, ſi abſtinẽtia eccleſiaſtica, quæ mater limpidiſſimæ caſtitatis, & pene fundamentum Chriſtianarum virtutum eſt, nõ colitur, & totis vlnis (quod aiunt) amplectitur. Vere in nos quadrat illud Eſaiæ: In die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, imo & gula & luxuria noſtra. Alij vero quibuſdã carnalibus [illegible], quas nonnulli finxerunt, alij diſpenſationibus ſiue diſſipationibus quibuſdam ſe excuſantes, iugum hoc ſaluberrimũ a ſuis ceruicibus excutiunt, adeo vt duo vel nemo ſit, qui ſe putet ad ieiunia obligatum. Alius cauſatur ætatem, alius malam diſpoſitionẽ, alius difficultatem naturæ, alij laborẽ, alij alia frigida cõminiſcuntur: nulla deniq; inſtitutio eſt in Eccleſia magis laudata, & ab apoſtolis ſanctis cõmendata, & minus obſeruata: tãta eſt carnis noſtræ licentia & morũ diſſolutio. Age tamen, quamuis hanc ſacram obſeruationẽ operibus noſtris videamur quaſi damnare, vt doctrinæ puritas & ſynceritas in Eccleſia conſeruetur, videamus per partes, quid ratio, quid ſcriptura & ſancta Traditio, hac in re nobis præſcripſerit. Eſaiæ

DVPLEX IEIVNIVM.

IN confeſſo eſt apud omnes eccleſiaſticum ieiunium ad virtutẽ temperantiæ reduci, ſicut pars cum modo ſumpta ad ſuum totum, quod aiunt dialectici: ea autem parte qua ieiuniũ temperãtiæ virtutis pars eſt, pro regula habet rectam rationẽ prudentiæ ſumptam in ordine ad menſurã eius, qui tẽperate vult agere, prout conuenire videtur valetudini ipſius, & conſiſtentiæ ſenſus & rationis: ita vt non excedat neq; deficiat ab eo quod recta ratio iubet eſſe ſumendũ, ſaltẽ notabiliter: nam mediocritas iſta in virtutibus ſeruanda non eſt, vt recte docent Philoſophi, in puncto, ſed in certa latitudine. Hoc modo accipiendo ieiuniũ ſemper debemus ieiunare, ſemper ſobrij eſſe, qa nunquam licet excedere ab eo quod recta ratio naturalis dictat, pro loco, tẽpore, perſonis, debitiſq; aliis penſatis circũſtantijs. Idcirco ſi quando aduerſarij dicũt ſemper ieiunandũ eſſe, velint dicere, quod ſemper eſt tẽperate agendũ, circa ea quæ cibum & potum attinent, recte docent, ſed non ad propoſitum: non enim de ieiunio hoc modo accepto pugnat cum illis Eccleſia, hoc enim eſt tantum ieiunium philoſophicũ.

Ieiunium vero Chriſtianum, quod fides nobis reuelauit et precipit, includit et perficit ad philoſophorum ieiuniũ, et ad hoc addit aliquid vltra, vt puta carnis caſtigationem et humiliationem: cuius regulæ eſt Regula Chriſtiani ieiunij

in tantum extenuare beſtialem hanc carnis ſarcinam,quam nobiſcũ circumferimus,tam atrociter interiorem hominẽ impugnantem , vt quaſi neceſſitate coacta,ſpiritui poſſit inſeruire, & legi mentis non tantũ repugnare,adhibita tamen diſcretione, non adeo in hac caſtigatione excedentes,vt ieiunium vertatur in ſuperſtitionem,aut notabile detrimẽtum inferat naturæ,quo inhabiliores reddamur ad meliora & perfectiora,ad quæ ieiunium ordinatur. Apoſtolus enim rationabile vult eſſe obſequium noſtrum.Hieronymus quoq; recte ſuadet, vt caſta ſint ieiunia Chriſtianorum,vt nihil habeant ſuperſtitionis. De hoc Chriſtiano ieiunio loquebatur Paulus,quando dicebat:Caſtigo corpus meũ,& in ſeruitutem redigo. Dicitur etiam Leuitici xvi. cum ſeptimi menſis ieiunium a Deo indicitur:Decima die menſis affligetis animas veſtras:quã ieiunij rationẽ Chriſtus redemptor noſter non ſuſtulit, quin potius regulas addit apud Matth. quibus cũ fructu ſpirituali apud Deum poſſit fieri.Hoc etiã ieiunium intellexit Chriſtus cũ a Phariſæis calumniarentur eius diſcipuli quod non ieiunarent,dicens: Venient dies cum auferretur ab eis ſponſus,& tunc ieiunabunt; quod ad Ieſu Chriſti exemplũ & ad normã ieiunij Deo traditi apoſtoli in tantũ frequẽtarunt,vt pene nihil arduũ & ſanctum ſine huius ſanctæ virtutis exercitio auſpicarentur:nam cum ieiunio dimiſerunt illos duos apoſtolos,Paulũ & Barnabam. Et Act.xiiij. Paulus & Barnabas cũ per Eccleſias Liſtris et Licaoniæ ordinaſſent presbyteros,diſcedere volentes, oraſſe & ieiunaſſe eos ſcribitur. Et de ieiunijs multum gloriatur Apoſtolus ij.Cor.xi. In fame(inquit) in ſiti et in ieiunijs multis.Cẽturionis etiã ieiunia exaudita legimus Act.x.Euangelio iam coruſcãte.De Petro etiã B.dicitur,quod frequenter ieiunabat,cuius cibus erat panis & oleæ, vt refert Clemens vij.lib. Recognit.& quotquot ab eo baptizabantur, per triduum etiã precepto eius ieiunabant. Quid ergo erat iſtud ieiunium, quod Chriſtus exemplo ſuo conſecrauit,cui regulas præſcripſit,& a ſuis diſcipulis faciendũ inſinuauit?Erat ne tantũ virtutis temperantiæ exercitiũ,& moralis quædam ſobrietas?Blaſphemus plane eſſet in Chriſtũ et apoſtolos ſuos,qui hoc excogitaret,quaſi ipſi alijs temporibus ab his,contra regulas tẽperantię egiſſent aut vixiſſent,maxime cum de victu eorũ conſtet ipſiſſimã fuiſſe frugalitatẽ:alia ergo erat illis ratio ieiunij, quam cõmunis virtutis tẽperantiæ,neq; videtur quænam poſſit eſſe, quam quędam carnis afflictatio,& peruicatiæ motuũ eius,Chriſtiana quædã per abſtinentiã ſuppreſſio:id quod ſatis manifeſtauit Eccleſiæ vſus tẽpore apoſtolorum frequentatus,& introductus,vt inferius patebit.

Eſto igitur ieiunij Chriſtiani definitio: Ieiunium, parſimonia eſt cibi et potus, ad reprimendos carnis illicitos motus ordinata, ſecundum quod recta ratio fidei præſcripſerit.

Apoſtol.
Hieron.
Leuit.
Matth.6
Marc.2
Clemens
Definitio ieiunij

DE

DE NECESSITATE IEIVNII ECCLEſiaſtici, & eius vtilitate.

Excogitauit hoc ſanctum exercitium Deus benedictus, hac potiſſimum ratione, quatenus in nobis aboleret regnū peccati, aut ſaltem deprimeret: quod quia ignorauerunt cœci philoſophi, multa carni permiſerunt, putantes eſſe naturæ quicquid in carne inſurgebat, & non vitij: Ideoq́ ieiunium hoc Chriſtianū non agnouerūt. Vnde aduertendū quod licet per Chriſti baptiſmū cōmunicetur nobis abunde meritum & iuſtitia eius, in tantum vt nihil dānationis remaneat ijs qui in Chriſto ſunt baptizati, manet tamen in nobis diuina hoc volēte diſpoſitione, peccati fomes, ſtimulus carnis, lex mēbrorum, quo veluti interno Iebuſæo exercemur, & ad malum ſollicitamur, cum quo nobis iugis pugna eſt, & bellum abſq́ inducijs, ut Paulus ad Galatas docet, & nos ipſi quotidie experimur. Ne .ſ. in hac vita inſoleſcamus, quaſi de plena & inamiſſibili iuſtitia male ſecuri, vt Auguſtinus paſſim in ſua doctrina recte docet, cui ſi Dei auxilio freti, ſpiritualibus & a Deo nobis deſignatis armis nō repugnemus, & quando opus fuerit, vincamus, ad deteriora quaſi violētus tyrannus nos propellet, vt tandē in iram Dei incurramus. Propter hūc fomitē dicebat Paulus: Scio quod nō habitat in carne mea bonum. quod peccatū ab Apoſtolo ſolet appellari, quia effectus eſt peccati, & incitat nos ad peccandū: principibus etiā tenebrarū eo vtentibus veluti legitimo inſtrumento, vt nos impugnent, & a Deo apoſtatare faciāt: quem licet radicitus extirpare neutiquam poſſimus, dum in hoc corpore mortali viuimus ſecundū leges diuinitus ordinatas, noſtrarum tamē partiū eſt ipſum reprimere, & quoad poſſumus cum Dei adiutorio extenuare, & ipſum diſciplina Chriſtiana domare, ne ex noſtro contra nos roboratus, leuet cōtra nos calcaneū ſuum, et barbaro Iebuſæo præda fiat anima noſtra ad imaginē Dei creata. Et hoc eſt quod Paulus alibi volebat, quando ſuadebat vt exhiberemus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, et alio loco iubebat vt indies veterem hominē expoliaremus, et nouum indueremus, qui ſecundum Deum creatus eſt, neq́ ob aliud dicebat ſe corpus ſuum caſtigare et in ſeruitutē redigere, niſi quia mortale corpus hoc propria ſedes et tabernaculum huius tyranni eſt, et ita quo magis corpus iſtud mortale fouere et delicate tractare curauerimus, tanto violentius in animæ arcem irrūpet iſte tyrannus ſuis illecebris, et violentis cupiditatibus: id quod tam experientia nobis conſtat, quam doctrina. ea eſt noſtra miſera et humilis cōditio, carne cōcupiſcēte et rebellante aduerſus ſpiritū, et ſpiritu aduerſus carnem.

Peccati fomes remanet post Baptiſmū.

Auguſt. de natura & gratia Cap. 64

Apoſt. Rom. 8

Rom. 12

Colloſ. 3

Perpetuū bellū carnis cum ſpiritu.

Nouit præterea Eccleſia Dei, tyrannum iſtū carnis noſtræ, inter multa alia capita quæ habet, tria potiſſimum habere, quibus per interualla et occa-

et occaſiones temporum,mentem noſtram adoritur.ſ. concupiſcentiam carnis,concupiſcentiam oculorum,& ſuperbiam vitæ,vt Ioannes docet in prima ſua Canonica. Primum,incitat nos ad motus carnis illicitos. Secundum, ad vanũ faſtum & cupiditatẽ. Tertium,ad ſuperbiam. Vnoquoq; iſtorum ſæuiente,pro ratione tẽporis, ætatis & cõplexionis, aduerſario noſtro diabolo ſua verſutia id procurante, qui ſemper infirma noſtra proſpectat,vt ea parte nos tentet,qua facilius in peccati ſeruitutẽ nos trahere poſſit. His machinis & inſtrumẽtis mortis,opponit ſcriptura totidem propugnacula,quibus in fide fortes poſſimus horum aduerſariorum tela non ſolũ excipere, verum et in ipſos aduerſarios retorquere, eoſq; cum Dei adiutorio indies debiliores & infirmiores reddere. Atq; ea ſunt,oratio,eleemoſyna & ieiunium. Cum enim contraria contrariis propellantur atq; curentur,recte cupiditati opponitur eleemoſynarum largitas:ſuperbiæ vero vitæ,orationis humilitas: qua nos & Deum recognoſcentes,ad ipſum confugiamus in diſcriminibus:concupiſcentiæ autem carnis,eccleſiaſticum ieiuniũ. Neq; enim carnis titillatio per virtutem tẽperantiæ quam philoſophi cõmuniter docuerunt, recte reſtingui poteſt,quin potius recta corporis valetudine exiſtentes, quæ per cõmunem temperantiã acquiritur & conſeruatur, validior ſubinde redditur natura noſtra,vt experimento didicimus:opponitur ergo ei ex diametro (quod aiunt)abſtinentia Chriſtiana, tanquã medicina legittima,qua anima noſtra ſaluari poteſt,atq; defendi ab huiuſmodi inimici incurſionibus. Vulgatum eſt & verum illud Comici: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Certe corpus abſtinentia ſubactum, et maceratione ieiunij correptũ,non ſolicitat animã ad fornicationes & adulteria. Chriſtiane ſatis dicebat olim diuinus ille Hylarion, vt refert D. Hieronymus, cum a corpore male ſollicitaretur: Ego te(inquit) aſine faciam vt non calcitres,neq; te hordeo alam,ſed paleis,fame te conficiã & ſiti graui onerabo,pondere trahã te per æſtus & frigora: vt cibos potius quam laſciuiã cogites, Et ſic aliquando non comedebat niſi poſt biduum aut triduum, vir ille ſanctiſſimus Deo valde charus. Hoc refert diuus Hieronymus de eo in vita beati Hylarionis. Inter hæc vero remedia oratio vniuerſalis eſt,& partes præcipuas videtur obtinere,vtpote quæ non ſolũ ſuperbiam vincat, ſed ſpiritũ attrahat ad vincendas omnes cupiditates, vt Auguſtinus videtur ſentire epiſtola lxvij. ad Bonifaciũ, propter quod puto Chriſtum dixiſſe oportere ſemper orare & nõ deficere. Eleemoſyna autem,quia cupiditati opponitur, quæ cũ ætate creſcit,& cum ſenibus videtur iuueneſcere,ſemper debet a nobis exerceri, ſi facultas adſit, ſin minus,deſiderio benefaciendi. Quia vero concupiſcentia carnis nõ ſemper hominẽ impugnat neq; pro qualibet ætate, imo aliquando laboribus,infirmitatibus, grauibus ſolicitudinibus,tribulationibus, quæ bona pars

Hylar.

Auguſt.

na pars crucis Chriſtianæ ſunt, vires eius ſufficienter reprimuntur, non videtur ieiunium tam neceſſariũ omni perſonæ, & omni ætati: quanquam in Eccleſia ſemper eſt neceſſario retinenda ieiunij eccleſiaſtici diſciplina, propterea quod Eccleſiæ corpus ex varijs membris diuerſarum ętatum & cõplexionum conſtat. Eſt ergo ieiunium neceſſariũ, ſicut medicina corporalis ad ſalutem temporalem, ſi ſanari volumus, et de peccatorum carnalium proximis occaſionibus triumphare, loquor de ieiunio abſoluta quadam conſideratione accepto.

Hoc volebat Chriſtus redemptor noſter, quãdo dixit, hoc genus dęmoniorum non niſi in ieiunio & oratione eijcitur: nec ob aliud dicebat apoſtolos ſuos tum ieiunaturos, cum ipſe Chriſtus ab eis corporali pręſentia abſcedere debebat. Venient (inquit) dies quãdo auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt: quaſi diceret, nunc mea præſentia fouentur vt debiles, manu ducũtur ad perfectiora vt imperfecti, nec plane agnoſcunt potiſſimam ieiunij cauſam, puta peccatũ, ſed venient dies, quando ablato ſponſo, & miſſo paracleto de cœlis, qui mundũ clare arguet de peccato, eos reddat intelligentes de omnibus, præſertim de peccato & cauſis neceſſitatis ieiunij & orationis: tunc enim vere ieiunabũt, Deo placentes, non vt vos ex vſu quodam, aut timore, aut laudis appetitu, ſed ex amore iuſtitiæ, cupientes a ſe expellere tyrannidẽ peccati, id quod factis confirmarunt ſancti apoſtoli: nam poſt aduentũ ſpiritus ſancti cœperunt magis frequentare ieiunia & ſanctum orationis exercitium, corpora ſua domantes, indieſque interiorem hominem magis ac magis renouantes, quos in tantum imitati ſunt ſancti Patres ſubſequentes, vt multi ieiuniorũ abſtinentijs, plenarie de carnis illecebris triũpharent. Exempla paſſim ſe offerunt in Chriſtianis libris et minime contemnẽdis autoribus.

Mat. 17

Mauth. 9

Ex hoc autẽ quod ieiunium caſtigatio corporis eſt, & concupiſcentiæ carnalis repreſſio, habet ſanctum ieiuniũ etiam quod ſit ſatisfactoriũ pro reliquijs peccatorum, quod plerumque auertat a nobis iram Dei: et ſi recta ratione & charitate fiat, multum apud Deum mercedis promereatur. Ea enim ratione qua pœnalis afflictio eſt, ſatisfactoria eſſe poteſt, vt omnes ſancti paſſim prædicant. Ea vero parte qua virtus eſt, & cum charitate fit, apud Deũ meritoria eſt. Quæ omnia ſcriptura & ſanctorum Patrũ conſenſu aperte ſatis confirmantur. Ezechias enim rex, hoſtis Aſſyrij duritia et potentia cognita, veſtem ſcidit, ſaccum induit, et ad abſtinentiam ſe cõuertit. Deliquerat Iſrahel contra Dominum in Maſphat: ſed ieiunio ſtatim a Samuele præſcripto, peccatum ſuũ diluit. Audierat rex Achab ſententiam a Domino, qua nunciabantur multa mala ei ſuperuentura, ipſe vero ſcindens veſtimenta operuit cilicio carnem ſuã, ieiunauitque et dormiuit in ſacco, propter quod meritus eſt,

Fructus ieiunij Chriſtiani.

Reg. 1 cap. 7

rigorem

rigorem ſententiæ in ſe non experiri, dicente Domino de eo ad Heliam: Non vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt
Reg. 3 cap. 21 a facie mea non inducam malum in diebus eius. Anna ſterilis vxor Elcannæ, per ieiuniũ meretur ſibi dari Samuelem prophetam filium electũ
Reg. 1 capite 1 a Domino. Sanctus Daniel per ieiunium intelligit Meſſiæ myſteria, & Monarchiarum cõquaſſationes. Anna vidua filia Phanuelis laudatur
Lucæ 2 a D. Luca euangeliſta, quod nõ diſcederet de templo ieiunijs & obſecratiõibus ſeruiens nocte ac die, propter quæ meretur videre deſideratũ Meſſiam recens natũ. Ioannes Baptiſta de mira abſtinẽtia & ieiunio lau
Marc. 1 datur ab euãgeliſtis. Denique Chriſtus ipſe redemptor noſter auſpicatu
Matth. 4 rus euangelij prędicationẽ, a ieiunio exorditur, ſuis mẽbris relinquens exemplum, vt nihil arduũ, nihil ſanctum ſine ieiunio & oratione tentarent, prout ſancti apoſtoli poſt eius corporalem abſentiã re ipſa perfecerunt. Chriſtus vero quod in ſuæ vitæ proceſſu, in hac re non ſe geſſerit curioſum, multiplex cauſa eſt: tum quia non egebat ieiunio ille qui curare venerat infirmitates noſtras, in quo neque peccatum neque dolus inuentus eſt: tum etiã quia totus erat in hoc doctor veritatis, vt arcanã patris ſui voluntatem generi humano patefaceret, & omnibus quodãmodo omnia fieret, nec non veram pietatis ſubſtantiam in fide & charitate cõſtare demonſtraret: cuius contrariũ Phariſæi illi ſupercilioſi docebãt, collocantes totam fiduciam ſuam in externis quibuſdam exercitijs, interna animi puritate interdum contempta. Cęterum docuit nos Dominus Ieſus, ieiunia Chriſtiana læta eſſe debere, ſimplicia, nullaque hypocryſi aut
Matth. ſuperſtitione fucata. Dixit enim Matthęi ſexto: Cum ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Non dixit: Non ieiunetis, quia iudaicum eſt & ſuperſtitioſum, vt docent iſti falſi prophetæ, ſed cũ ieiunaueritis, ſimpliciter & propter Deum ieiunetis. Nec contentus eſt hac approbatione
Ieiuniũ meritorium ieiunij magiſter noſter cœleſtis, ſed aperte dicit ieiunia Chriſtiana grata eſſe Deo patri, ab eo ſi debite fiant, æterna mercede premiari: Cum ieiunas (inquit) vnge caput tuum, & faciem tuã laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed patri tuo, qui eſt in abſcõſo, & pater tuus qui videt in abſconſo reddet tibi. Vbi ſatis explicatur debitum mercedis propter gratum officium ieiunij exhibitum, quæ certe vox ſufficeret ad tollendas controuerſias, quas aduerſarij ſuſcitarũt in hac materia, ſi ipſi Ieſu Chriſti ſpiritu, & non apoſtaſiæ ducerentur.

Age tamen ſanctorum patrum omniũ conſenſu, neceſſitatem & vtilitatem huius ſanctæ virtutis cõprobemus. Quandoquidem exemplis eorum ſatis plena & locuples eſt Dei Eccleſia.

Clemens Beatus Clemens prima epiſtola ſua vbi præcepta & mandata diui Petri recenſet, inter alia hanc ſanctam virtutem tanquam neceſſariam cõmendat: Inter cætera (inquit) diuina hæc erant illius mandata, quantum

cum vnuſquiſq; ſapit & poteſt,totis intimis viſceribus Deum diligere, abnegare ſeipſum. Poſt vero adiungit:Corpus cuſtodire, vanas & caducas non amplecti delitias,ieiunium & vigilias ſanctas amare, pauperes recreare,&c.

Tertullianus libro de Baptiſmo munimentum ad tentationes carnis repellendas,& ſatisfaciendum pro peccatis ieiunium appellat. De priſtinis (inquit) ſatisfacimus conflictatione carnis & ſpiritus, & ſubſecuturis tentationibus munimenta præſtruimus. Idē in Apologetico contra gentes cap.xl.loquens de Chriſtianis. Nos(inquit) ieiunijs aridi & omī cōtinentia aſperſi,in ſacco & cinere volutātes Deum tangimus:& cum miſericordiam extorſerimus,honoramus. Et libro contra Pſychicos. Nos certe(inquit) ſcimus,quod qui in carne ſunt, Deo placere nō poſſunt:non in ſubſtātia, ſed in cura,in affectione,in operatione, in volūtate:macies nō diſplicet Deo: nec datum eſt nobis corpus ad pōdus, ſed ad opus:ſaginentur pugiles olympici,qui corporis curā habent,& porci ſi vultis Epicuri de lege, qui omnia cum corpore perire putant: nobis vtinam carnis curā non facere cōtingeret, alia ſunt Eccleſiæ robora & certamina, aduerſus ſcilicet carnem & ſanguinem:ſed ſpiritu & virtute pugnare oportet: hæc ille. Vides pugnæ neceſſitatem in Chriſtiano, vides aduerſarium noſtrū, vides arma et robora, quibus pugnandū eſt, Abſtinentiam & alia exercitia Chriſtiana eſſe. Tertull.

Cyprianus quoq; epiſtola quarta,libro quarto. Admoneo (inquit) religioſam ſolicitudinem veſtrā,vt ad placandū atq; exorandū Dominum,non voce ſola,ſed ieiunijs & lachrymis, & omni genere deprecationis ingemiſcamus. Et ſerm.de ieiunio & tentatiōe, mira dicit,deſcribēdo Chriſtiani ieiunij vtilitates,his verbis: Ieiunijs vitiorū ſentina ſiccatur,petulantia marcet,cōcupiſcentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Aethnæ incendium,& flammiuomi fornax Vulcani extincta,intrinſecus mōtes conterminos nō adurit. Ieiuniū ſi diſcretione regatur,omnē carnis rebellionem edomat: & tyrānidem gulæ ſpoliat et exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat:& appetitus vagos diſtinguit et ligat. Ieiunium ſi humilitate ornetur,ſeruos Dei,mundi efficit cōtemptores. Ieiunium carnes azimas mundat et ſolidat:et putredines quæ ex adipe prodeunt, cōſumit et ſiccat. Ieiunium ſcripturarū delitijs paſcitur,cōtemplatione reficitur,gratia ſtabilitur,cœleſti pane nutritur. Danieli interpretatio ſomniorum reuelatur ieiunio. Et tres pueri de Babylonio illæſi egrediūtur incendio. Moyſes in mōte quadraginta diebus cū Domino perſeuerās, et Dei familiare colloquiū,et legis miniſteriū,ieiunio promeretur. Helias quoq; eorum dierū numero abſtinēs in heremo cōuerſatur. Vtilitas ieiuniorum tēporibus Chriſtianis clarius patuit, et a multis frequētata in Cypria.

Z pluri-

plurimos ſe effudit, quotquot viros virtutũ vidimus, ſine ieiunio nõ legimus aſcendiſſe: nec aliquid magnũ moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceſſiſſet. Quoties aliquid a Deo obtinere conati ſunt, ieiunijs incubuere, & lachrymis pernoctantes in orationibus, cilicijs carni hęrentibus, ſupplices beneficia poſtularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei ſacrificium cõtriti cordis offerens ſe proſtrauit humilitas, ſed prope fuit inuocantibus ſe Deus, & porrexit manum naufragis, & ſubuenit afflictis.

Athanaſ. Diuus & magnus Athanaſius veritatẽ hanc quoque non ſilet, imo ſcripturæ locos tam veteris ꝙ noui Teſtamenti, quibus hęc veritas ſtatuitur, eodem modo intelligit, quo nũc prædicat ſancta mater Eccleſia. Exponens enim illud Danielis, & trium puerorum ieiunium, hæc verba habet libro de virginitate: Vide (inquit) quid facit ieiunium, morbos ſanat, pituitam corporis exiccat, dæmones eijcit, cogitationes prauas excutit, mentẽ reddit ſplendidiorem, cor purum, corpus ſanctificatum, & throno Dei cõmendat hominem. Et ſubiungit: Ac ne putes hæc temere dici, habes teſtimonium in euangelijs: quid a ſeruatore dicitur, cũ interrogauerunt eum diſcipuli eius dicentes: Domine oſtẽde nobis quomodo immundi ſpiritus pellãtur? Dixit autẽ Dominus: Hoc genus non eijcitur niſi precatione & ieiunio. Quiſquis autẽ ab immũdo ſpiritu turbatur, ſi cogitauerit, vſuſq; fuerit hoc pharmaco, nimirũ ieiunio, protinus ſpiritus malus in anguſtiã redactus, diſcedit territus ieiunio. Nam prorſus gaudent dęmones crapula & ebrietate, corporiſq; requie. Magnam vim habet ieiuniũ, magnaq; per illud fiunt benefacta. Nam vnde & homines ingentia perfecerunt miracula? vnde per eos ſigna fiunt? vnde ſanationes ægrotãtibus per hos donat Deus, niſi omnino per exercitationẽ & macerationẽ corporis, perq; modeſtiã animi, per bonã vitæ moderationẽ? Ieiuniũ enim angelorũ vita eſt. Qui illo vtitur, in angelorum ordine eſt. Vides quot virtutes, quam mirabiles vtilitates Chriſtiano pariat ſanctum ieiuniũ. Præſentaneum pharmacũ eſt cõtra carnis inſultus, eo dæmones fugantur, ſpiritus ad ſuperna eleuatur, corpus & anima ſanctificãtur, & alia mirabilia a Deo nobis cũ illo do-

Cypria. nantur: nemo tandẽ magnus euaſit, vt Cyprianus recte dixit, ſine huius ſanctæ virtutis frequẽti exercitio. Quare nõ poſſum bene ſentire de quibuſdam, qui apoſtolicam vitã ſe dicunt profiteri, & parũ vel nihil curãt de hac ſancta virtute, putãtes poſt certa & perbreuia quędam tẽporalia exercitia ſecuros iã poſſe agere, & quaſi in portu ſalutis repoſiti, omnia pene licere ſibi putant, veſtiuntur mollibus, carnis occaſiones iam non timent, nec reijciunt (ſi offeratur) quantumcunque guloſam ſaturitatem: putant ſe poſſe aſſequi delicatos, quod Deus promiſit in abſtinentia & continentia optime verſatis. Qui cum peccati regna & tyrannidẽ

ſanctis

ſanctis continuis exercitiis non ſuppreſſerint, plerunq; latenter ab ipſo peccato adoriuntur incauti, cui neceſſe eſt, vt ſuccumbant inermes. Dicunt, exercitatio corporalis ad modicũ vtilis eſt, non diffitemur, ſi in ieiunio duntaxat ſe exerceant Chriſtiani, multoties nõ redundare illis in vtilitatẽ ſed in diſpendium: aut enim fructus eius amittimus per hypocriſim, aut non placent Deo, quia in ijs collocatur fiducia, dum parũ de interna puritate curamus: et hoc eſt quod abominatur Deus apud Eſaiam. Cęterum ſi Chriſtiane fiat, tum ab oblectamentis gulæ, tũ etiam ab aliis peccatis ieiunando, adiectis illis oratione et ſancta eleemoſyna, vt recte docent ſancti, incõparabiles diuitias nobis parant apud Deum ieiunia. Audi beatum iſtum paulo poſt illa verba dudũ allegata, loquentem: Non enim (inquit) qui tantum ab eduliis ieiunat, ille pręſtat virtutem, ſed qui abſtinet a malo opere, huic imputatur ieiunium. Etenim ſi ieiunes nõ ſerues os tuum, ne loquatur ſermonem prauũ, aut iracundiã, aut mendacium, aut periuriũ, aut ſi loquaris contra proximum tuum: ſi hæc inquam, prodierint ex ore ieiunãtis, nihil profecit, verumetiam totum laborem ſuũ perdidit. Plura adhuc videtur addere magnus Baſilius ad huius inſtituti laudem prima concione de ieiunio, exponẽs verba illa Chriſti: Cum ieiunas vnge caput tuũ, et faciam tuã laua: ſic (inquit) affecti ſimus, velut edocti ſumus: non triſtitiam vultu præferentes, cum ieiunamus in accedentibus diebus, ſed ſplendide diſpoſiti, velut decet ſanctos Dei. Nullus abiecti animi coronatur, nullus triſtis trophæum erigit, ne ſis triſtis dum curaris, abſurdũ eſt non gaudere ob animæ ſanitatem. Et paulo poſt: Etenim ſacietas in ventrem gratiam collocet: ieiunium ad animã lucrum traducit, lætare quod datum eſt tibi a medico pharmacum tollens peccatum: quemadmodum enim vermes, qui in puerorum inteſtinis generantur, medicamentis quibuſdã acerrimis extirpãtur, ſic peccatũ intus in profundo habitãs, ieiunium ad animã progreſſum, occidit. Vides vt appellat ieiunium curã animæ, perniciem peccati intus in nobis habitantis. Sed audi adhuc ipſum de ieiunij antiquitate poſt pauca verba interpoſita differentem, et ad naturæ primitus inſtitutæ ipſum referentem. Antiquũ donum eſt ieiunium, non inueteraſcens, ſemper in ætatis vigorem effloreſcens: putas me antiquitatem ipſius a lege producere? lege antiquius eſt ieiunium: patrum eſt theſaurus. Quidquid antiquitate extollitur, venerabile eſt. Venerare ieiunij caniciem: coætaneum eſt humanitati, ieiunium in paradyſo ſancitum eſt. Primum mandatũ accepit Adam de ligno cognitionis boni & mali, ne edatis. Hęc vox, ne edatis, ieiunij & abſtinentiæ pręceptum eſt. Ferre non poſſum nouorum noſtri temporis Pſychicorum calumniam, cum dicunt ieiunia Chriſtiana iudaica eſſe, quaſi quicquid tenuerit vetus illa ſynagoga, prorſus ceſſauerit,

Eſai. 58

Baſilius

uerit,cum id verum non ſit,niſi tantum de ceremonialibus. Ieiunium autem,vt de eo modo loquimur,ſubſtantialem actū virtutis dicit,& inſtitutum ſanctorum fuit,vt affirmat hic beatus,et res ipſa ſe habet, ante latam legem antiquam, cum cōſtet ieiunaſſe Moyſem quadraginta diebus, antequam vltimo legem acciperet, quare ſicut tunc nō erat iudaicum, ita neque nunc. Nec ſolum ieiunium introductum eſt ante legem, vt hic ſanctus et diuus etiam Chryſoſtomus exponens hoc ipſum præceptum, quod Deus dedit primi homini ſentire videtur, ſed etiam præſcriptio & delectus ciborum. Ad quod cum eadem neceſſitas maneat, quantum ad ſubſtantiam ieiunij quæ tunc erat, puta repreſſio & cohibitio peccati, quod aduerſarij libentiſſime fatentur, adhuc poſt baptiſmi gratiam, neceſſe etiam erat vt continuaretur legitimum antidotum, atque præſentaneum incentiui peccatorum remedium: ceſſarunt quidem legalia ieiunia, quantum ad præſcriptionem temporis, & circumſtantias alias, quas pro illius populi prioris diſciplina Deus inſtituerat. Cæterum ieiunij ſubſtantiam,quantum ad afflictionem & caſtigationem corporis per abſtinentiam ceſſare nō debuit,manente in nobis languore qui per ieiunia curari debet. Et miror ſane iſtorum ingenium, quod cum nos faciunt totos peccatum nec ſumus vt ipſi dicunt aliud quam fornaces quædam vitioȓū maxime carnalium,quod tam parum curent legitimum a Deo inſtitutū remedium, nam etſi prædicent toto tēpore eſſe ieiunandū,nullo tamen tēpore ieiunant,ſed neq; opus eſt ſecundum eos,cum peccata omnia per ſolam iuſtitiæ Chriſti non imputentur. Id obiter dixi, quia non pudet eos ſimplices et rudes homines per mendacia & impoſturas ſeducere,ſuadentes illis quod eccleſia Catholica & ſancti Patres iſti, cum ieiunia docent et tam obnixe cōmendant,vetus Teſtamentū prędicant,ipſi autem nouū, qa Eccleſia ad ieiuniū filios ſuos aſtringit, illi vero huiuſmodi licentiā prædicāt,rectius dicerent,quod ipſi carnem:Eccleſia vero Chriſti ſpiritum prædicat,quippe quæ quod Chriſtus et ſancti apoſtoli fecerūt, hoc iubet et prædicat agendum. Quod ſi dicant non propter ieiunia hæc a ſe dici:ſed propter præſcriptionem et delectum ciborum et oblationem: certe Lutherus non hoc dicebat in principio ſed in vniuerſum dānabat ieiunia,& omnia pœnalia opera:ſed in hoc etiā falſi ſunt aduerſarij,vti iā videbimus,nunc procedat in ſua narratione diuus Baſilius, qui non ſolum antiquitatē ieiunij ſed vtilitates & autoritatem eius, & quod diuina Traditione ſic introductū,pręclare nos docet. Si Eua ieiunaſſet a ligno,hoc nūc ieiunio nō opus haberemus, nō enim opus eſt valentibus medico, ſed male habentibus, male affecti ſumus per peccatum: ſanemur per pœnitentiam. Pœnitentia autem citra ieiuniū,irrita eſt. Maledicta terra ſpinas & tribulos producit tibi,triſtitiā feret tibi,pręceptū eſt

non

Ieiuniū ante legem introductum

Legalia ieiunia ceſſarunt

Baſilius

non deliciari, per ieiunium purga te Deo. Et infra: Cæterum (inquit) ad hiſtoriam progrediamur, & antiquitatem ieiunij proſequi, & quomodo omnes ſancti velut paternam quandam hæreditatem ſuſceptum cōſeruarunt, pater filio per manus tradentes: vnde & ad nos per ſucceſſionis conſequentiam hæc poſſeſſio confirmata eſt. Non erat in Paradyſo vinum, non carnes, non animaliū mactationes, nec eorum eſus, extra eſt ebrietas Noe: qui ignorās vini vſum, inebriatus eſt. Itaq; antiquius eſt ieiunium & abſtinentia, quām vini vſus. Per ieiunium ſuſcepit Moyſes mandatum digito Dei in laminis ſcriptū: & ſuperne quidem ieiuniū legiſlationis cauſa erat, inferne vero guloſitas ad idolorum cultū inſaniebat. Quadraginta dierum perſeuerantiam ieiunātis & orantis ſerui, vnica ebrietas inutilē declarauit. Cōparate inter ſe vtrumq;, quomodo ieiunium ad Deum adducit, & delitiæ ſalutem amittūt. Et infra: Quid magnum victorem Sampſonem & inuictū reddidit? Nōne ieiunium cum quo in vtero matris cōceptus eſt? Ieiuniū ipſum inſtar nutricis enutriuit, ieiunium virum effecit, quod videlicet angelus matri pręcepit: Quæcunq; (inquit) procedūt ex vite nō edat, & vinum & ſiceram, hoc eſt, omnem potum inebriantem nō bibat. Ieiunium prophetas generat, potentes roborat, legiſlatores ſapientiam docet, animæ bonum propugnaculum, corporis ſecurus cohabitator, ſcutum fortiter agentibus, exercitium Athletis: hoc tentatiōes remouet, hoc vrget ad pietatē, ſobrietatis comes, temperātiæ opifex, in bellis viriliter agit, in pace quietē docet, Deo dicatum ſanctificat, ſacerdotem perficit: nō enim poſſibile eſt citra ieiunium ſacra celebrare audere, nō ſolum in myſtica nūc & vera Dei cultura, ſed etiam in figurata, ſecundum legē introducta: hoc Heliā magni miraculi ſpectatorem facit, quadraginta enim diebus cum per ieiunium animā depurgaſſet, in ſpelūca Horeb videre dignus factus eſt Dominum, quantum ſane poſſibile eſt homini videre: a ieiunantis ore vox egreſſa, populo contra leges agēti, cœlum cōcluſit. Quid dicam de filijs prophetarū, Heliſæi parſimonia, de tribus pueris qui per ieiunium triumpharunt? hucuſq; Baſilius. Satis abunde expreſſit nobis hic ſanctus pater Chriſtiani ieiunij partes, nam ipſum matrem virtutum poſuit, gratumq; officium apud Deum eſſe dixit, & exempla & locos ſcripturę, quibus doctrina ieiunij fulcitur, non ſolum propoſuit, ſed expoſuit: ita vt ſuperuacaneum iam nobis fuerit teſtimonia ſcripturæ ad robur ieiunij ſtatuendum adferre: omnes enim locos perluſtrarunt hæc duo Eccleſiæ lumina, Athanaſius & Baſilius. Videamus tamen breuiter, qd alij ſancti Patres doceant, tam de ieiunij neceſſitate, quam de eius fructibus. Et aduerte obiter, quod Baſilius dixit, propter languores a peccato derelictos, neceſſarium eſſe ieiunium, vt intelligas non eſſe neceſſarium abſoluta neceſſitate, ſed ex ſuppoſitione, ac ſubinde in eo nos mi-

Ieiuniū ex Traditione.

nime collocare ſubſtantiam pietatis, quam ſcimus ſubſtantialiter in fide per dilectionem operante conſiſtere: cum hoc tamen ieiunium dicamus neceſſarium, tum quia ad pietatē trahit, tum quia charitatē cuſtodit & adauget, eo vel maxime quod charitatis aduerſarium, id eſt, concupiſcentiam & amorem proprium, ieiuniū minuit, & labefactat. Vnde intelliges plane meram calumniā, quam nobis intentant aduerſarij, nos ſcilicet ſubſtantiam iuſtitiæ & pietatis in his exercitijs ſanctiſſimis collocare, quaſi illi ſoli hanc rem intellexerint ſcilicet.

Chryſo. Diuus Chryſoſtomus homilia octaua in Geneſin, et homil. decima, breuiter hæc etiam explicat. In primo loco, de duplici ieiunio loquens, puta a vitijs et a cibarijs (hæc enī diſtinctio ab omnibus ſanctis approbatur, et Baſilius in loco dudum citato eam expreſſe docet.) Abſtinentia, inquit, a cibis propter hoc recepta eſt, vt vigorem carnis refrenet, et equum moderāti facile parere faciat. Adeſt ieiunium de quo loquimur, et inſtituti eius ratio, et quaſi obiectum et ſubſtantia eius, quod vt cum fructu fiat apud Deum, adiungendum illi ieiunium alterum, puta a vitijs, idem S. Pater docet his verbis: Ieiunantem ante omnia oportet iram refrenare, manſuetudinem & lenitudinē addiſcere, habere cor contritū, & quod abſurdas concupiſcentias repellat: ante oculos continuo proponere oculum æterni iudicis, liberalem eſſe in dando eleemoſynam, nullū malum aduerſum proximum in cor admittere. Et adducit locum illum Eſaiæ lviij. hoc eſt maius ieiunium quod elegi, diſſolue colligationes impietatis: frange eſurienti panem tuū, &c. Et homil. x. quaſi hæc eadē opera miſericordiæ inculcans, & cū ieiunio corporali coniungens, ait: Propter hæc enim a cibis abſtinentiā præcepit (Dominus) vt refrenantes carnis laſciuias, eam obedientē faciamus, et ad mandata Dei implenda ſequacem: quod ſi ob infirmitatem corporis, ſubſidium hoc quod ieiunium præſtat, nobis adhiberi nolumus, & deſidiæ deditiores ſumus: maxima nobis ipſis damna afferimus. Hic clare vides ieiunij neceſſitatē, et particulare ſubſidiū, quod ipſe per ſe ſolum, abſq; alio ſpirituali ieiunio affert. Et adiungit: Si ieiuniū abſentibus alijs prędictis operibus nihil nobis prodeſt, quanto magis etiā ſi ieiunij pharmacum nobis deeſt? attēde iterū, particulare incōmodum tribuit omiſſioni ieiunij corporalis: nā dicit maius detrimētum eſſe, relinquere opera miſericordiæ ſimul cum ieiunio, quā ieiunio obſeruato, miſericordiæ ſolū opera prętermittere. Poſt vero populum ſuum ad ſanctum ieiuniū exhortans, oramus (inquit) vos qui ieiunare valetis, vt ipſi, quantum poſſibile eſt, bonā & laudatam hanc veſtram intendatis & augeatis promptitudinem: quanto enim externus noſter homo corrūpitur, tanto internus renouatur. Ieiuniū corpus cōprimit, laſciuias inordinatas refrenat, animā clariorem efficit, & ſublimē & leuē facit. hæc ille. Vides, particulares vtilitates corporalis

poralis & Chriſtiani ieiunij, nobis narrauit hic ſanctus, quas ipſum ieiunium in ſe includit, niſi nos per malam vitam, alio diſtrahamur, & huius virtutis bono abutamur. Nec eſt quod iam aduerſarij locum illū Eſaię (quem nunquā in hac materia non inculcant) nobis opponant, in paruipendium huius ſanctæ virtutis. Chryſoſtomus enim veram intelligentiā illius loci demonſtrauit: nam non dixit corporale ieiunium nihil valere abſolute, quippe cui proprias & peculiares vtilitates aſſignauit, ſine alio ieiunio ſpirituali: ſed dicit apud Deū nihil promereri, ſi opera charitatis ipſi nō concomitentur, id quod eccleſia Catholica docet.

Quam vero ſit neceſſaria in Eccleſia corporis caſtigatio, & carnaliū motionum ſuppreſſio, idem pater docet homilia vigeſima ſecunda in Geneſin, tractās illud Apoſtoli: Caſtigo corpus meū, Et ſi ille cui tanta contigit gratia, poſt tanta et talia opera opus habebat vt caſtigaret, & in ſeruitutem redigeret, & ſubijceret poteſtati & dominio animę corporis laſciuias (caſtigat enim quod inſurgit, & in ſeruitutē redigit, cui frenum imponit) quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus deſtituti, omnibus peccatis onerati ſumus, & præterea magnam ignominiam præ nobis ferimus? num inducias habet hoc bellum? num tempus aggrediēdi dilatum? omnes vos vigilare & ſobrios eſſe oportet, & nunquā in ſecuritate eſſe. Vides, vt monet neminē eſſe ſecurum, dum in corpore iſto viuit, ſed abſtinentijs & aliis pijs exercitiis cum carne, & aliis aduerſariis, qui ſemper nos impugnant, bellum gerendū. Homilia etiam quarta in Geneſim profectū in verbo Dei, Chriſtiano ieiunio aſcribit. Chryſo. 1 Cor. 9

Quid referā de D. Hieronymo, cuius doctrina & vita ſanctiſſima, nil aliud ſpirat quam abſtinentiā & ſanctum ieiunium, vnum ex multis locis ſuæ doctrinæ mihi deligam, quod noſtrum propoſitum ſatis exprimit, qui in epiſtola decima quarta, de regula viuendi ad virginē Euſtochium continetur. locus ſic habet: Ventris ingluuies tā animæ quam corpori miniſtrat materiā, ideo medicinale ieiunium omnem auferat languorem, et omnē tribuat virtutem et gratiam. Quid vero virtutis contineat ſacrum ieiuniū a veſtro inueſtigemini ſponſo, qui quadragenario peracto ieiunio diaboli uicit tentationem. Viri Niniuitæ non ſileant, qui ieiuniis cōmune euaſerunt exitium. Sed ſit tale, ne dicatur a Domino: non eſt hoc ieiuniū quod elegi. Caſtigate mēbra, ſed nolite interficere. Non cauſet ieiuniū verecundiā, vt ſcandalum ſit cęteris. Ne dolore capitis ſacræ omittantur lectiones, & alia ſancta exercitia: ſit ieiuniū medicina, frangatur corpus, caſtigetur in cœla verberibus, multiplicentur abſtinentiæ. Et ſi adhuc adſit concupiſcentia illicita, adhibeantur grauiſſimæ diſciplinæ, quouſque erigatur Domina, & ſeruiat ſerua: quod ſi iterū erigitur, iterum fatigetur, ſed nō vltra modū. Nihil enim poteſt habere virtutis, qupd indiſcretio facit, quod improuiſio docet. hęc Hiero- Hieron. Matth. 4

nymus. Qui non ſolum ieiunium curam animæ & medicinam appellauit, ſed frequentius adhibendum docuit: ſi frequentius in nobis inſurgant violenter motus illiciti carnis, ad vltimum Deum recōciliari per ipſum affirmauit, & diabolum vinci. Hinc ſequitur, certam & exactam regulam ieiuniorum minime poſſe omnibus præſcribi. Nam quod vni forte eſt abſtinētia, alijs erit ingluuies. Mediocritas enim virtutis nō conſiſtit cōmuniter in virtutibus in medio rei, ſed in medio rectę rationis, ita vt vnuſquiſq; tantum ieiunet, quantū ſibi viderit expedire, & prout neceſſitas ſuæ carnis expoſcit. Quid igitur Eccleſia ſancta omnibus pręſcribit idem tēpus ieiuniorum & Cibariorum, quę minime poſſint per prudentiam determinari? hoc modo argumentabatur mecum Philoſophaſter quidā nō omnino ineptus, cui carnis licentia non diſplicebat. Verum eſt, Eccleſiam nō poſſe certam et exactam regulam aſſignare pro omnibus, in qua cōſiſtat mediocritas rationis, in exercitio huius ſanctæ virtutis, vt Hieronymus hic recte ſignificauit, et ratio probat tamē: cum mediocritas iſta nō ſit in pūcto, ſed habeat ſuam latitudinē, Eccleſia deſignauit dies illos certos, in quibus ſanctū ieiuniū exerceatur, forte tanq; minimum tēpus illius latitudinis, quod fere omnibus poſſit cōuenire, nō tamen intendit pręſcribere tempus omnibus ſufficiēs, nec claudere oportunitatem ieiunādi vltra hæc tēpora, quin potius ſuadet & prędicat, vt vnuſquiſq; tētet ſe, & agnoſcat neceſſitatem ſuam, & plus ieiunet, prout viderit ſaluti animæ ſuæ expedire, aut aliquo alio exercitio ſuppleat, quod Eccleſia lege ſua nō potuit præſcribere: nam lex particularia nō reſpicit. Vnde D. Hieronymus ad Euſtochiū, totum annū aptū dicit eſſe ad ieiunium, & Cyrillus etiam libro decimo ſuper Leuiticū, maxime his, qui ſe caſtrauerūt propter regnum Dei. Adde etiā quod ieiunium Quadrageſimale, pro pœnitentia & ſatisfactione etiam inducitur ab Eccleſia, & vt placetur ira Dei. Cui incūbere debēt fideles, vt Deo pro culpis, quando opus fuerit, ſatisfaciant. Placatur enim Deus huius ſanctæ virtutis exercitio. Cōuertimini (inquit) per Iohel. cap. ij. ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, et fletu, et planctu. Vtramq; hanc ieiunij neceſſitatē conditionalem ſancti expreſſerunt, maxime D. Auguſtinus epiſtola octogeſima ſexta ad Caſſulanum, vbi pręceptum dicit eſſe diuinum in nouo Teſtamento ieiuniū iſtud Chriſtianum, etſi tēporis pręſcriptio diuina nō ſit. Et lib. quęſtionū veteris & noui Teſtamēti: Neceſſaria (inquit) nobis ſunt ieiunia, ſicut vulneribus medicina, medelam enī conferūt vitæ perpetuæ: quæ dicit intēperantiam corporis mitigare, motus aduerſos reprimere, preſſurā animæ auferre, ſine quibus minime acceptam fore orationē apud Deum affirmat, quæ ſatis arguūt ieiunij neceſſitatem. Rurſus epiſtola cviij. Ieiunium, eleemoſynas, et orationes ad Deum pro nobis inuigilare affirmat, et lib. de ſalutaribus documē-

August. Iohe'.

cumentis, cap. xlviij. & epiſtola cxi. ad Bonifacium. Ieiunij neceſſitatem eodē prorſus modo ſicut propoſuimus, deſcribit. Semper (inquit) caro noſtra ſubdita ſit animæ noſtrę, ſicut ancilla famulatur Dominæ, non præbeamus vires illicitas corpori noſtro, ne cōmittat bellum crudum aduerſus ſpiritum noſtrum, non incraſſari permittamus ancillā, ne ſuperbiat in Dominā: domemus ieiunijs, vigilijs, oratiōibus, imponamus frenum equo feroci, ſimus boni aurigæ, ne per pręcipitia labamur, & per viam rectā poſſimus incedere: temperemus ab eſcis, quæ nō ſolum animā, verum corpus plerumq; lædunt, & delitijs mundi, quæ trahunt homines, vbi gutta aquæ deſideratur, nec ei dabitur.

Diuus quoq; Ambroſius in doctrina quam de ieiunio ſæpe docet, non ſolum neceſſitatē eius cōmendat, ſed peccata relaxare dicit, maxime in ſermone de aduentu. Nos (inquit) ſi tam graue peccatū fuerit, vt minime ſolis fletibus abluatur: addamus miſericordiæ oleū, acrimoniamq; ieiunij. Nullum enī tam graue delictum eſt, quod nō purgetur abſtinētia, & eleemoſynis extinguatur. Ait enim ſanctus propheta: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatū. Id ipſum quoq; docet ſanctus pater Cyrillus libro decimo ſuper Leuitico: vbi poſtq; ſatis laudauit ieiuniū illud ſpirituale, per quod omnia mala opera deuitātur, et charitas Dei & proximi exercetur, ita vt ieiuniū iſtud corporale viſus fuerit, quaſi nihili pendere, tacitæ obiectioni ſic reſpōdet in fauorem huius ſancti inſtituti. Nec hoc tantū ideo dicimus vt abſtinētiæ Chriſtianæ frena laxemus. Habemus enim xl. dies ieiunij cōſecratos. Habemus iiij. & vi. ſeptimanę diem, quibus ſolēniter ieiunamus. Eſt certe libertas Chriſtiano per omne tempus ieiunandi, non obſeruantiæ ſuperſtitionis, ſed virtute cōtinentiæ. Nā quomodo apud eos caſtitas incorrupta obſeruetur, niſi arctioribus cōtinentię ſuffulta ſubſidijs? quomodo ſcripturis operā dabunt? quomodo ſapientiæ ſcientiæ ſtudebūt? nōne per continentiā ventris & gulæ? quomodo quis ſeipſum caſtrat propter regnum cœlorū, niſi cibariorum abſtinentiā reſecet, niſi abſtinentia vtatur miniſtra? Aſſentitur etiam his omnibus magnus ille Leo primus, in ſermonibus, quos facit de eccleſiaſticis ieiunijs, maxime ſermone ſexto, pro collectis quę fieri ſolebāt in Romana eccleſia: Oratiōe (inquit) ꝓpitiatio Dei quęritur, ieiunio vero cōcupiſcentia carnis extinguitur. Et ſermone vij. de eadē. Pręſidia militiæ Chriſtianæ dilectiſſimi, ſanctificādis mentibus noſtris atq; corporibus diuinitus inſtituta, ideo cum dierum tēporumq; curriculis ſine ceſſatione temperantur, vt infirmitatum noſtrarum ipſa nos medicina cōmoneat. Licet enim iam redempta, & ſacro baptiſmate ſit renata, in quantum eſt paſſibilis, in tantū eſt ad deteriora decliuis: corrūperetur q; naturali deſiderio, niſi ſpirituali muniretur auxilio: ꝓ hoc intelligēs ieiuniū, & alia bona opa. Qui poſtq̄ numerauit tenta-

Idē affirmat Ambroſ. lib de ſalutaribus documētis. ca. 35

Cyrillus

tentamenta peccatorũ & Dei auxilium, quod prȩſto adeſt inuocantibus, ſubiungit: Sed his malis atq; aliis deſtruendis habet acies Chriſtiana potentes munitiones & arma victricia, Deo .ſ. inſtituente multos ſuo ſpiritu veritatis, vt manſuetudo irã, largitas auaritiam, continentia luxuriam, benignitas extinguat inuidiam. Vides, inter arma cœleſtia & diuinitus inſtituta ad reprimendos motus carnis illicitos, ponit cõtinentiam ieiunij vir iſte ſanctiſſimus: cuius neceſſitatẽ manifeſto indicat, cũ cauſam prȩcipuã propter quã ieiuniũ ordinatũ eſt, puta carnalem concupiſcentiã, poſt baptiſmum manere dicit. Et ſermone octauo ſequenti: Quãuis (inquit) ſine anima nihil caro deſideret, & inde accipiat ſenſus vnde ſumit & motus, eiuſdẽ tamen eſt animæ quædam ſibi ſubditæ negare ſubſtantiæ, & interiori iudicio ab inconuenientibus exteriora frenare, vt a corporis cupiditatibus libera, in aula mentis poſſit diuinæ vacare ſapientiæ: vbi omni ſtrepitu ſilente curarꝝ, meditationibus ſanctis in delitiis lætetur æternis: quod ſi in hac vita difficile eſt continuari, poteſt frequenter aſſumi, vt ſæpius ac diutius ſpiritualibus potius ꝙ carnalibus occupetur: & cũ melioribus curis impendimus maiores moras, ad incorruptibiles diuitias, etiã temporales tranſeunt actiones. Huius obſeruantiæ vtilitas dilectiſſimi in eccleſiaſticis eſt prȩcipue conſtituta ieiunijs, quæ ex doctrina ſpiritus ita per totius anni circulũ diſtributa ſunt, vt lex abſtinentiæ omĩibus ſit aſcripta tẽporibus. Suffeciſſet pro noſtræ doctrinæ robore, & eorꝝ etiam quȩ dicẽtur, recitaſſe huius Diui verba, qui neceſſitatem abſtinẽtiæ Chriſtianȩ apertiſſime nobis expoſuit, eandemq; a Deo eſſe inſtitutã affirmauit: nec non & prȩſcriptiones temporum, ad huius virtutis exercitiũ, a ſpiritu ſancto excogitatas eſſe, manifeſta voce prædixit. Epilogus. Habes ergo ex ſcriptura & cõſenſu omnium totius Eccleſiæ antiquorũ Patrum, circa abſtinentiã Chriſtiani ieiunij tria, ſi bene recolo. Primo, neceſſitatẽ Chriſtiani ieiunij. Secundo, effectum proprium & immediatũ eius, ſcilicet cohibere & refrenare carnis illecebras, quantũ ex parte eius eſt, & in hoc cõuenerunt omnes ſancti nemine diſcrepante. Tertio, alios effectus qui aſſcribuntur ieiunio, ſi debito modo fiant, vtputa placare iram Dei, & eius miſericordiã pro peccatis implorare. Quod manifeſto D. Hieronymus tibi iam oſtendit in ieiunio Niniuitarum, et ſacræ ſcripturæ huiuſmodi exemplis ſatis abunde mõſtrauimus. Cum enim per ieiunium Chriſtianũ recte factũ caro noſtra mactetur, & quaſi ſacrificium de carne noſtra Deo offeramus, ipſum quodãmodo anteuertendo de noſtris iniquitatibus vindictã ſumentes, non poteſt ieiuniũ non eſſe Deo gratũ, etſi cum charitate fiat æternæ vitæ, (vt diximus) meritoriũ, maxime accedente obediẽtia maiorũ, quos Deus vult vt ſeipſum obaudiri, ad quod ſufficeret aduerſarijs vnicũ Chriſti verbum, quod dixit de ieiunantibus Matth. vi. Pater tuus qui videt

te in

te in abſconſo reddet tibi. Vbi verbum ἀποδώσει redditionē debiti ſignifi- cat, quaſi Deus ſit obligatus, ſua liberalitate & magnificentia reddere ſuis pro ſacrificio Chriſtianę abſtinētiæ mercedē. Habes ſubinde, quod remoto per ſanctum ieiuniū prohibente & remorante mentē noſtram, ne ad ſuperna aſcendat cōcupiſcentia ſcilicet, mentē ipſam magis alle- uat, & ad cœleſtia contēplanda & cognoſcenda facilitat, vt in beato Da niele cōtigit. Hos fructus docte ſatis et pie diuus et magnus Gregorius in pręfatione ieiuniorum collegit, cum Deo loquens: Qui corporali (in- quit) ieiunio vitia cōprimis, mentē eleuas, virtutem largiris, et pręmia pęr Chriſtum Dominum noſtrum. Hic enim eſt fons ſufficientiæ no- ſtræ, et per quem Chriſtianus ſe placere Deo patri putat, cum ieiunat, et alia opera facit, de cuius plenitudine omnes accepimus, vt inquit Io- annes. Et in hoc ſunt et fuerunt omnes ſancti patres a tempore apoſto- lorum, vſque in præſentem diem confitentes huius ſanctæ abſtinentię neceſſitatem, eamque pro peccatorum expiationibus applicantes: ple- ni ſunt libri doctorum, teſtantur hoc antiquiſſimæ Synodi, quorū ex- empla prolixum eſſet recenſere, exceptis attonitis et phanaticis Gno- ſticis, de quibus Epiphanius affirmat, quod in vniuerſum ieiunia nō re- cipiebant, quia a principe huius mundi ſenſibilis introducta erant: cum tamen Chriſtus dicat, cœleſtem patrem ſuum, in quem iſti ſe credere di- cebant, non ſolum ieiunia approbare, ſed mercedem pro eis, ſi debite fiant, reddere. Ex quibus omnibus hanc colligo argumentationem: Quotieſcunq; morbus et infirmitas vos infeſtat, neceſſe eſt vt cura le- gitima non deſit, ſed ei pro loco et perſona, et alijs penſatis circūſtantijs applicetur: at morbus iſte carnalis cōcupiſcentiæ, membra Eccleſiæ ad- huc poſt baptiſmi ſanctificationem valde infeſtat: ergo neceſſe eſt vt cu- ra ei adhibeatur legitima. Nullum ex his aſſumptis negare poſſunt ad- uerſarij, maxime cum non pudeat illos dicere manere in nobis peccatum ſub propria ratione peccati poſt baptiſmū, reliquum in lumine natura- li notum eſt. At medicina legitima motibus inordinatis concupiſcentię, ieiunium eſt, quod probauimus ſcriptura, experientia & doctrina omni- um ſanctorum: ergo neceſſe eſt, quod hæc diſciplina maneat in Eccle- ſia. Nam neceſſitas eorū quæ ſunt ad finē, ex neceſſitate finis optime de- ſumitur: notanter dico in Eccleſia, quia reſpectu omnium mēbrorum il- lius, non eſſet neceſſaria hæc medicina, quibuſdam propter magnas in- firmitates, aut neceſſitates, aut forte propter donum ſpeciale Dei, huiuſmodi motus parū vel nihil ſentiētibus, loquor hic de obligatiōe, quæ ex parte diuini iuris eſt. Quo fit, vt exceptio illa, qua multi adoleſ- centes omnes vſq; ad ſtatū augmenti a ieiunio prorſus eximūt, quaſi ad ieiuniū ſimpliciter nō teneantur, non ſit ſatis eccleſiaſtica, nec diuino iuri conformis: non enim Eccleſia vult, neq; protſus poſſet ſi vellet, eos

Gregor.

Ioan. 1.

Epipha.

Matth. 6

An adoleſcentes ieiunare debeant

eximere

eximere omnino, vt non ieiunent, quos peccati & morbi neceſſitas, & diuinum ius exigit, vt in ordinem redigantur. At ſunt multi adoleſcentes, imo ferè omẽs, qui a decimo quarto anno & ſupra, magnopere ſolicitantur ad venerea & illicita cõmertia, vt ipſa experientia nos docet, ergo de iure diuino redigendi ſunt in ordinem ieiunantium.

Nec opus eſt prętextu cuiuſdã magis humanæ, quam ſpiritualis miſericordiæ (qua euitare volunt moderni doctores, ne impediatur ſcilicet naturæ augmentũ) animã ſauciatam & magnopere laborantem ſine medicamine a Deo inſtituto relinquere: quia notabiliter nõ læditur natura, vt experientia docet. Nam apud Orientales Chriſtianos nullus adoleſcens eſt, qui nõ ieiunet, nec ob id euadunt breuiores ſtatura, aut robore imbecilliores, et quid ſi euaderent? Ieiunium Chriſtianũ, vt vidimus, non ordinatur ad corporis ſalutem, aut robuſtam valetudinem ſeruandã, ſed ad animæ profectum per caſtigationẽ corporis, maxime quod fieri ab eis poſſunt ieiunia cum diſcretione: deinde etiã quia crudelis miſericordia eſt, propter corporis perituri meliorem habitũ acquirendum, relinquere animã languentem in peccatis. Inualuit certe multũ in huius præcepti declaratione, caro et ſanguis, quæ regnum Dei non poſſidebunt.

Quare cenſerem adoleſcentes iſtos, quorũ multi ipſiſſima petulantia ſunt, quamprimum titillatione libidinis ſe ſentiunt vulnerari, vt ad ſancta ieiunia Eccleſiæ, tanquam ad legitimã medicinam cõcurrant, diſcere ta tamen ratione & moderatione accepta: alias rei mihi videntur ſuæ ſalutis, qui cũ infirmi ſint, pręſentaneam curam a Deo præſcriptã non admittunt. Eſſet etiã eis valde expediens, vt iugum diſcerent portare ſanctiſſimũ ab adoleſcentia ſua. Quibus vero diebus, & quibus non, non pręſcribimus eis tẽpus, quia ſolum eſt nobis ſermo de ieiunio, vt eſt diuinitus ordinatũ, non vt in hoc vel illo tẽpore eſt ab Eccleſia præſcriptũ. Nam tunc aliud eſſet dicẽdum, quanq̃ cum limitatione. Sequitur etiã, nullum hominem quacunq; præmineat poteſtate diſpenſare poſſe cum Chriſtianis, taliter vt non teneantur ad Chriſtianam abſtinentiã et ieiunium, ſed ſolum illũ qui ſua gratia & omnipotentia cauſam ieiunij, hoc eſt animæ morbos, poteſt depellere: cederet enim talis diſpenſatio in perniciẽ infirmarum animarũ, auſerendo ab eis legitimam et a Deo pręſcriptam medicinã, quæ per hominẽ aboleri non poteſt, quanq̃ poſſit bene a ſuprema poteſtate Eccleſiæ determinari aut declarari: ſecus tamen dicendũ eſt de præſcriptione tẽporis et cibariorũ ieiunij, et alijs quæ circũſtare poſſunt ieiunij ſubſtantiã. Nam hæc vt a ſanctis patribus ortũ habuerũt, iuſtis cauſis emergentibus mutari poſſunt, aut abrogari, ſed nõ in totum. Dixi cum Chriſtanis confuſa quadã appellatione, quia cũ certis & determinatis perſonis propter aliquas rationabiles cauſas, vt propter

pter infirmitates aut incōmoda alia quæ ſequerentur, & quando maiorum bonorum impeditiua eſſent, quam ſit ipſum ieiunium, relaxari poſſent: ſed iſtud magis eſſet declarare ius diuinum q̄ diſpenſare, quod Eccleſiæ pontificibus procul dubio tribuendum eſt.

Sequitur duplici nomine miſerandos eſſe iſtos nouos Pſychicos, qui euangelium vertunt in carnalem libertatē. Primo, quia fatentes in Chriſtianis hoc incenſiuum peccati, quod fornacem vitiorum appellant, poſt baptiſmum manere, ſanctum & a Deo præſcriptum remedium ſpernūt, putantes ſe ſola ſobrietate cōmuni Philoſophorum eſſe tutos, aut ſatisfacere obligationi ieiunij, cum clare monſtrauerimus, non eſſe hoc ieiuniū quod Deus vult a nobis obſeruari, & ſancti omnes ab apoſtolis vſq; nunc obſeruarunt: ſed quale Deus introduxit, Chriſtus conſecrauit, & apoſtoli & omnes ſancti reipſa præſtiterunt. Secundo, quia licet admittant neceſſarium eſſe ieiunium, præſcriptionem tamen temporis ab Eccleſia præfixam nolunt admittere: quæ manifeſta apoſtaſia & barbaries eſt. Nam ſi neceſſe eſt ieiunare, aliquo tēpore, aut omni, neceſſe eſt ieiunare. Si ergo aliquo tēpore eſt ieiunandum, cum non ſit maior ratio de vno q̄ de alio, illo tempore debet fieri, in quo a maioribus præſcriptum eſt, cum æqualis æquali legem præſcribere nō poſſit. Rurſus ſi vt illi dicunt, in quolibet tempore ieiunandum eſt, ergo in tempore ab Eccleſia præſcripto etiam ieiunandū eſt. Si dicant, ego volo mihi præſcribere tēpus, non opus eſt vt ab alio præſcribatur, euangelium fecit me liberum, vti poſſum mea libertate. O barbariem, o carnalem libertatē, velle ſibi tribuere, quod Eccleſiæ & vicarijs Ieſu Chriſti dicūt minime cōuenire: quaſi Chriſtianiſmus has pariat libertates, qui totus in cruce & abnegatione voluntatis, & obedientia poſitus eſt. An non vident iſti carnalem hanc libertatem eo tēdere, vt præceptū Domini de ieiunio a nemine ſeruetur, quod ipſa eos docet experientia. Nam nemo eſt qui inter eos ieiunet: oportet ergo vt lex hæc ab alio præſcribatur & nō ab æqualibus, aut a ſeipſis, reſtat ergo vt a ſuperioribus. Nec obſtat quod dicūt Chriſtum Ieſum ieiunaſſe & ſatisfeciſſe pro omnibus: nam hoc modo poſſent ſe excuſare ab omni actione quam Chriſtus fecit: orauit enim Chriſtus nō pro ſe, ſed pro nobis, non ergo eſt quod oret Chriſtianus. Crucem portauit Chriſtus pro nobis, non opus eſt ergo vt noſtrā tollamus, & eum ſequamur: obediuit patri Deo, non opus eſt vt obediamus. An non dicit Paulus quod oporteat cōpati ſi volumus glorificari? Et Ioannes, quod oporteat eos qui ſe dicunt in Chriſto manere & ſtare, ambulare ſicut et ipſe? Et vbi eſt illud: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, et tollat crucem ſuam et ſequatur me. Et alibi: Qui non tollit crucem ſuam et ſequitur me, non eſt me dignus. Deus autem non ſequitur pedibus, ſed affectibus, et ſanctorum operum ſimilitudine. Nunqd

Rom. 6
1. Ioan. 2

a hoc

hoc ignorabant apoſtoli, Martyres, & ſancti Heremitę, qui caſtigabant ſua corpora, ieiuniis cõtinuis carnem ſuã macerantes, et aliĳs Chriſtianis diſciplinis vitam exercentes? imo non ob aliud videtur illa opera feciſſe Chriſtus, niſi vt fideles et mẽbra ſua ad ſui imitationẽ traheret. Gregor. Recte dicit Gregorius, quod omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio: & nos ſi ad caput iſtud volumus pertinere, ſimilitudinem habere oportet cum eo, quare carnalis et diabolica eſt hæc libertas, quam ſub euangelĳ prætextu iſti prædicant, et Aërianã hæreſin de ieiunio in Eccleſia denuo ſuſcitãt, vti iamiã videbimus. Sed quia neſcio quas ineptas calũnias præſcriptionibus ieiuniorum et ciborum delectui opponunt aduerſarĳ cõtinentiæ, putãtes in huiuſmodi inſtitutis ſanctam Eccleſiam galatizari aut iudaizare, age videamus a quibus fontibus hæc ortũ habuerũt.

DE PRAESCRIPTIONE TEMPORIS, ieiunĳ et cibariorum.

Pſy.hi. Tertull. ERror fuit olim Pſychicorum, id eſt, animalium hominum, qui ieiuniorum præſcriptiones damnabant, dicentes ſuo arbitrio relinquendos eſſe homines in ieiunio, quos Tertullianus dãnat et efficaciter cõuincit in tractatu quem ædidit cõtra eos ſatis eccleſiaſtico et erudito, quorũ errorem poſtmodum Aëriani renouarunt: dicebant enim vt Epiphanius refert in ſecta eorum, omnino id quod Lutherani hodie de ieiuniis dicunt, iudaica ſunt hæc, et ad iugum ſeruitutis pertinẽtia, iuſto nõ eſt lex poſita, ſed patricidis, aut matricidis et reliquis: ſi omino voluero ieiunare, qualẽcunq; diem elegero, ieiunabo, vnde apud ipſos, vt Eccleſiæ iugum a ſe excuterent, Dominicis diebus ieiunabatur, et in diebus hebdomadis pœnoſæ ante reſurrectionẽ cachinnabãtur, ridẽtes et ſubſannãtes alios Chriſtianos, carne et vino venas ſuas explentes. Hæc de illis refert D. Epiphanius cum hos hæreticos perſequitur, ſalua tamẽ res eſt, a Iudaiſmo. Nam præſcriptio ieiuniorum nõ iudaica, ſed apoſtolica: nõ Gallatica, ſed diuina: id quod iamiam demõſtrabimus.

A quo instituta Quadragesima. Quis autem fuerit qui ieiuniorum tempus præſcripſerit, præſertim Quadrageſimę, quod omnium ieiuniorum ſolemniſſimum et antiquiſſimũ eſt, ſolet eſſe diſceptatio inter aliquos Eccleſiaſticos viros, quibuſdam dicẽtibus a Petro apoſtolo hoc inſtitutum effluxiſſe, aliĳ a ſancto Theleſphoro martyre, qui octauus poſt eũ Romanã ſedem rexit. Neutri tamẽ meo iudicio rem tenẽt. Nam ſi Petrus illã inſtituiſſet, certe Clemens eiuſdẽ Petri diſcipulus, qui tã diligens fuit in tradendis ſui magiſtri præceptionibus, poſteris fidelibus non reliquiſſet hanc tam celebrem Traditionẽ intactam, præſertim cum de aliis longe minutioribus faciat

faciat tam particularem mentionē. Nec ſiluiſſet hoc ſanctus Theleſphorus, cum de ipſa Quadrageſima loquitur. Platina ergo, aut quiſquis ille fuit, qui hoc primus aſſeruit, cum ſine autoritate & ſuadente ratione loquatur, non eſt quod in hac re admitti debeat.

Porro, Theleſphorum non fuiſſe huius inſtituti autorem, cōſtitutio ipſius ſatis demōſtrat, quippe quæ generalis nō eſt, quantum ad perſonas, ſed tantū loquitur cū clericis & ſacerdotibus, nec vt ipſe præfixit ſeruatum fuit ab vniuerſali Eccleſia: vix enim aut nunquā ſeptē hebdomadas plenas ante diem reſurrectiōis populus ieiunauit in vniuerſa Eccleſia occidentali, ſed mos hic retentus eſt in cœnobijs religioſorū recte inſtitutis, quod ex ipſius patet canone, cuius ſeries hic habetur.

Septē hebdomadas plenas ante ſanctū Paſcha, omnes clerici in ſortē Domini vocati, a carne ieiunēt, quia ſicut diſcreta debet eſſe vita clericorum a laicorum cōuerſatione, ita et in ieiunio debet fieri diſcretio: hęc Theleſphorus. Quare ieiunium Quadrageſimæ nō eſt Romani Pontificis alicuius inſtitutum, ſed omniū apoſtolorum, quod Hieronymus et Epiphanius affirmarunt, & canō ab ipſis Antiochiæ æditus numero lxviij. iuxta grecam ſeriem manifeſtat in hunc modum: Canon Theleſphori de Quadrageſima.

Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cātor, ſacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartā feriam, aut Paraſceuen nō ieiunauerit, deponitor, pręterquā ſi imbecillitate corporis impediatur. Si vero laicus ſit, cōmunione priuator: hæc apoſtoli. Canon apoſtolorū de Quadrageſima.

Adeſt præceptum generale apoſtolici cōuentus, quātum ad præſcriptionem temporis ieiunij, tam in Quadrageſima, ꝙ in duabus ferijs cuiuſcunq; hebdomadæ: quod vſq; in hodiernum diem tam mordicus tenēt Orientales Chriſtiani, vt nec diem vnum prætermittant, nō dico viri robuſti, ſed etiam puellæ, adoleſcentes, ſenes, & quotquot ſunt firmæ valetudinis.

De præſcriptione vero ciborum, Epiphanius allegat eoſdem apoſtolos cōtra Aerianos, vnde ſuſpicor adhuc plures canones apoſtolorū poſſe deſiderari. A quo (inquit) non aſſenſum eſt in omnibus orbis terrarū regiōibus, quod quarta et proſabbato, ieiuniū eſt in Eccleſia decretum: & oportet cōſtitutionem apoſtolorum proferre, quomodo illic decreuerunt quarta & proſabbatho ieiunium per omnia, excepta Pentecoſte. Et ex ſex diebus Paſchatis, quomodo præcipiunt nihil omnino accipere, ꝙ panem & ſalem & aquam. hæc Epiphanius. Et aduerte obiter, q̄d non ſolum ex apoſtolis cōſtat certis temporibus ieiunandum, ſed etiam quod aliquibus ieiunare non liceat: quo ſatis conuincitur falſitas dogmatis nouorum Aerianorum, puta non omni tempore ieiunandum eſſe, nec ieiunium Eccleſię eſſe tantum moralem quandam ſobrietatem. Eſt enim Canon apoſtolorum ab eodem diuo Epiphanio citatus, qui Canon apoſtolorū de delectione ciborum.

Canon apoſtolorũ de non ieiunanda Dominica. Epipha. Synods Gangrẽſis

in hunc modum circa hoc diſponit: Qui afflixerit animam ſuam die Dominico, maledictus eſt a Deo. Vnde Epiphanius in hęreſi Maſſalianorum, delicatas dies appellat dies Dominicas ſanctæ Eccleſiæ, quia in eis Chriſtiani non ieiunant, ſed cõmunicant. Quem Canonem recte interpretata eſt ſynodus Gangrenſis canone decimo octauo, ne ſcilicet per contemptũ in ea ieiunetur. Sufficeret certe magiſterium hoc apoſtolicũ, ad omnes controuerſias in hac materia dirimendas, ſi Chriſti ſpiritu & non Apoſtaſiæ ducerentur aduerſarij: probanda tamen eſt ratione, & conſenſus omnium ſanctorum antiquitate ſtatuti apoſtolici veritas, quandoquidem hæretica rebellio nudis apoſtolorum verbis ſuperba mente aperte contradicit.

Probabimus prius æquitatem apoſtolici inſtituti tam ratione, quam vſu totius Eccleſiæ, quæ errare minime poteſt: deinde paucis declarabimus vim & robur eius,

Plato

Meminiſſe opus eſt eorum, quæ ex mente ſanctorum Patrum dudũ dicebamus, quod ſancti apoſtoli hac ſua inſtitutione non intendunt iuſtam & æquam ieiuniorum menſuram præſcribere ſecundum vnius cuiuſque Chriſtiani neceſſitatem, quippe quorũ variæ ſunt cõplexiones, inclinationes, morum conſuetudines, ætates & valetudines, pro quibus ſi regulas particulares voluiſſent præſcribere, impoſſibile quiddam attẽtaſſent. (Lex enim ſicut & ars non eſt de ſingularibus, ſed de vniuerſalibus & cõmunibus. Recte enim iubet Plato indiuidua ab arte debere relinqui:) Sed tantum intendunt regulam præſcribere craſſa quadã Minerua, vt in legum æditione ſolet cõtingere, quæ ab omnibus, vel fere ab omnibus, vel maiori parte ſeruari poſſit & debeat. Et hoc quidem valde rationabiliter: nam cum in ſuperioribus probatum ſit, ieiunium Chriſtianum ſecũdum ſuam abſolutam rationem iuris eſſe diuini, idque affirmatiui, neceſſe erat quod aliquibus tẽporibus a Chriſtianis exerceretur, cuius tẽporis præſcriptio non ad alios q̃ ad apoſtolos, & eorum ſucceſſores ſpectabat, quippe qui præſides Eccleſiæ, Chriſti vicarij, duces Chriſtiani populi a Deo creati erant, relinquentes Chriſtianorum iudicio et optioni reſiduum tempus liberum et alias abſtinentias, ſi maiores et auſteriores abſtinẽtias neceſſitati carnis ſuę iudicaſſent cõuenire.

Hieron.

Vnde Hieronymus ad Nepotianum: Ieiuniorum tantum imponito, quantum ferre poteſt. Sintque ieiunia pura, caſta, ſimplicia et moderata. Et ſermone de Quadrageſima, in omni tempore ieiunãdum eſſe docet. Nec apparet quid poteſtatis eſſet in apoſtolis, et eorum ſucceſſoribus, ſi ea quæ diuinum ius aut naturale indeterminate agendum proponit, ipſi non poſſent ad tempus determinatum coarctare. Sic enim fecerunt in obſeruatione diei Dominicæ, et aliquorum aliorum feſtorum, ius diuinum aut naturale de Dei cultu, vt illis diebus fiat, pręcipientes: ſic in

præcepto confeſſionis & alijs multis. Quod ſi determinationẽ cultus in die dominica, quæ Traditione apoſtolica tantum cõſtat, non damnant aduerſarij, nõ video qua ratiõe poſſint damnare determinationẽ ieiunij ad certum & præſcriptum tẽpus. Vtrobiq; enim par ratio eſt & æquale magiſterium. Adde quod ſancta mater Eccleſia cũ nobis hęc tẽpora ieiuniorum proponit atq; diſtinguit, mirũ in modum noſtræ vtilitati cõſuluit: tum, quia de noſtra miſeria & neceſſitatibus peccatorum, quibus valde addicti ſumus, ſalubriter nos monet, vt ad medicũ recurramus, et medicinam ab ipſo propoſitã totis viribus amplectamur: necnõ de corporibus noſtris iram Dei pręueniẽtes, iuſtam vindictã ſumamus, et hoſtias ſanctas rationabiles, corpora ſcilicet noſtra, per caſtigationẽ abſtinentiæ offeramus. Eſt etiam non vulgaris vtilitas ex hoc præcepto, quia in eo conueniunt omnes Chriſtiani vnanimes ad ieiuniũ, quorum conſenſum, ſicut in oratiõe, ita & in hoc exercitio ſancto multi valoris apud Deum eſſe, valde credibile eſt. Si enim vbicunq; cõgregati ſunt duo in nomine Chriſti, illic ſe promittit adeſſe, vt ipſos & opus quod faciunt, ſanctificet: quanto magis credendum eſt in ſanctis abſtinentiæ actionibus a Deo approbatis in tantum nobis neceſſarijs? Multũ valet apud Deũ opus ſanctum cõmuni omnium ſenſu fidelium, maxime interueniente maiorũ obedientia, expletũ. Eleganter diuinus ille Leo nobis cauſam huius viciſſitudinis ieiuniorũ declarat ſermone octauo de quatuor temporibus, quam dixit eſſe, vt totius anni decurſu cognoſceremus nos indeſinẽter purificationibus indigere, ſemperq; eſſe nitendũ, dum huius vitæ varietate iactamur, vt peccatũ quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione cõtrahitur, ieiunijs atq; eleemoſynis deleatur. Item ſermone tertio de Quadrageſima, ſecundam cauſam quã tetigimus etiam ipſe explicat: Chriſtianam (inquit) fortitudinem nulli magis quã pręſentes exigunt & cõferunt dies: quibus dũ obſeruantia ſpiritualis impenditur, cõſuetudo in qua perſeueretur, acquiritur: notũ enim vobis eſt hoc eſſe tempus (& loquitur de Quadrageſima) quo per totũ mundum ſæuiente diabolo, acies debet Chriſtiana cõfligere, vt ſi quos deſidia tepidos, aut ſolicitudo habuit occupatos, nunc oportet armis ſpiritualibus inſtrui, & cœleſti tuba ad ineundũ certamen accendi. Elegerunt autem apoſtoli inter anni tẽpora, vernum, in quo ſanctam Quadrageſimã inſtituerunt, multis & iuſtis de cauſis. Prima, vt paſſionẽ Chriſti, & admirabilem reſurrectionẽ eius ſanctum hoc ieiunium procederet, quatenus capiti noſtro per carnis afflictationem aſſimilati, ſanctius & purius a reliquijs peccatorum purgati, myſteria redemptionis, reſurrectionis, iuſtitiæ & reformationis noſtræ recoleremus. Eſt autẽ reſurrectio illuſtriſſima & antiquiſſima feſtiuitatũ omniũ quas Eccleſia celebrat. Itẽ vt memores eſſemus, principium noſtrũ, quod ex Adã traximus dignum eſſe,

Quadrageſimæ ratio & vtilitas

Leo

Cur verno tempore [illegible]

quod per ieiunia, vigilias, labores & crucē Chriſti debeat a nobis expugnari, & quoad poſſumus cum Dei adiutorio extenuari, & ſpiritui ſubiectum fieri.

Cur vero in quadragenario numero magis quam in alio ſtatuerint, non caret etiam res ſuo myſterio & pia ratione: factum enim eſt, vt Chriſtum Ieſum caput noſtrum noſtra fragilitate imitaremur, qui totidem diebus antequā euangelij prędicationem auſpicaretur ieiunauit: & vt in illis, quaſi decimam omniū dierum annis, in ſancta obſeruatione (vt D. Gregorius docet) offeramus.

Gregor. homilia de Quadrageſima

Vnde D. Auguſtinus nōnullas ex his rationibus complectēs, epiſtola cxix. ſic docet: Habet Quadrageſima ieiuniorum autoritatē in veteribus libris, de ieiunio Moyſis & Heliæ: & ex euāgelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit. Demōſtrans euāgelium non diſſentire a lege et prophetis. In qua ergo parte anni cōgruentius inſtitueretur, niſi cōfinis Dominicæ paſſioni? quia in ea ſignificatur hæc vita laborioſa, cui opus eſt cōtinentia, vt a mundi amicitia ieiunetur, quæ vtiq; fallaciter blandiri, et illecebrarū fucos circūſpergere ac iactare nō ceſſat: hæc Auguſtinus. Idipſum atteſtāte D. Hieronymo, et aliam adhuc rationem addente ſermone de Quadrageſima: Omni tempore (inquit) ſeruis Dei ieiunādum eſt: ſed tunc amplius cum ad immolationem agni, ad myſterium baptiſmatis, ad Chriſti ſanguinem et carnem, præparamur. Et infra: Quia ergo fratres chariſſimi a Domino ad ſacramentū quadraginta dierum ieiunio pręparamur, ieiunemus tot dies pro peccatis noſtris, quot pro ſceleribus noſtris Dominus ieiunauit. Eſt etiā ſua ratio et myſterium de alijs diebus ieiunij: nā ſexta feria Dominus paſſus eſt, vt euāgeliſtæ teſtātur: quarta vero, venditus et proditus a Iuda maligno, vt teſtantur Lactātius et Epiphanius, autores nō contemnēdi. Optat ergo per hæc Eccleſia, mēbra fidelium Chriſto capiti cōformari, et quantum in ſe eſt aſſimilari: quamuis quartam feriā Eccleſia Occidentalis in Sabbatum videatur cōmutaſſe, cuius ieiunium Auguſtinus cōmemorat in epiſtola ad Ianuarium, et Innocētius primus videtur innouare in quodam decreto ſuo. Aut propter memoriā ſepulturę Chriſti, cui dū ieiunamus nos oportet aſſimilari, mundi mortificatos et Deo viuentes. Aut propter victoriam quam Petrus apoſtolorum princeps virtute Dei cōtra Symonem illum magnum et inſignem impoſtorem, tota Roma ferè ſpectante habuit, ut Auguſtinus refert in quadam epiſtola. Quæ quidem ieiunia dierum, quantum ad ciborum delectum in eccleſia Occidentali adhuc obſeruantur: quamuis parum de virtute ieiunij curātes (ſicut in nonnullis alijs) exteriore ritu duntaxat ſumus contenti.

Auguſt. — Hieron. — Lactan. — Auguſt.

De Ciborum delectu.

Habent

HAbent etiam ciborum delectus ſuam vnà cum apoſtolica
diuinam et naturalem autoritatem. Naturalem, quia nega-
ri non poteſt cibaria eſſe inter ſe naturaliter multum diuerſa,
alia ſuapte natura frigida, alia calida, alia temperata: rurſus
quędam ad Venerem et intemperantiã incitatoria, quædam ad tempe-
rantiam: item quędã multi nutrimenti, quę multũ generant ſanguinis et
ſpiritus, quędam modici & quæ parum ſanguinis et ſpiritus generẽt: hoc
in aperto eſt apud omnes philoſophos & medicos, & multos etiã vul-
gares. Cum igitur intentio ſanctæ Eccleſiæ in hac diſciplina ieiunij ſit, fi-
lios ſuos taliter informare & dirigere in ea, vt melius & cõmodius ipſius
fructus acquirant: rectiſſima ratione & naturali cõſuluit profectui ſuo-
rum filiorum, huiuſmodi genus cibariorum a quo abſtineri debeant
præſcribendo & indicando. Nemo autem dubitat carnes maioris et me-
lioris nutrimenti, magiſq; conducibiles & delectabiles eſſe naturæ iſti
ſenſibili et corporali, quam intendit Eccleſia vt per ieiuniũ affligetur, q̃
aliæ quæ cõmuniter comeduntur ſubſtãtiæ. Inſuper cõpertum eſt oua
& lacticinia multũ ſpiritus & ſanguinis generare, vt teſtes etiã ſunt me-
dici. Quis vero eum iure culpauerit, qui cum aliquẽ laudabilẽ finem in-
tendat, media talia eligit, quibus cõmodius & facilius finem illũ conſe-
quatur? Certe non niſi homo brutalis, & qui nihil cõmune habet cum
naturali prudentia. Hęc eſt ergo cauſa, cur Eccleſia præſcribat & ſuis fi-
delibus inhibeat nõnulla cibaria, vtputa, carnes, oua & lacticinia, non
quod putet ea eſſe abominabilia aut immũda: abſit hoc ab Eccleſia Dei
ſpiritus ſancti magiſterio edocta, vt cum damnatis Gnoſticis et Ma-
nichęo ſentiat. Si enim hoc putaret, nunquam aliis diebus vteretur hu-
iuſmodi cibarijs. Affirmatiuam autem præſcriptionem cibariorum in
his diebus non legi. Ideo circa hoc varij mores permiſſi ſunt in Eccleſiis.
Eccleſia enim Africana, vt Tertullianus refert contra Pſychicos, et nõ- Tertul.
nullæ Orientales eccleſiæ, vt Epiphanius etiã tradit in Quadrageſima,
aut ſaltẽ in hebdomade pœnoſa, quæ ſancta dicitur, ſiccis quibuſdã ci-
barijs vtebantur, quas xerophagias nuncupabant, quæ nec coquebãtur
nec aſſabantur. In Romana autẽ eccleſia & alijs Occidẽtalibus et Ori-
entalibus, in vſu erant herbæ et piſciculi parui ſimpliciter ſumpti, ſine
vllis irritatorijs condimentis, vt ipſe vſus declarat et doctrina ſanctorũ.
Sed et Pythagorei quoſdam cibos ſibi laudabiliter præſcribebant, vt
philoſophica ſobrietas melius acquireretur et conſeruaretur, carnes non
comedebant, a fabis etiã et alijs intumeſcentibus abſtinebant. Nõ ergo
poteſt eſſe ſuperſtitioſum aut iudaicum, quod recta ratione fit, et natu-
rali cognitioni rerum innititur.

Habet etiam diuinam autoritatem, tum in lege naturæ, tum in lege
ſcripturæ. Nam primis parentibus legimus, certum genus cibarij fuiſſe

Geneſ. 2 prohibitũ,puta fructum ligni ſcientiæ,boni & mali. Deus enim inquit: De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. Nec illis indifferenter omia cibaria, ſed tantũ herbas aut fructus arborũ in primo illo ſtatu cõceſſit. Ecce (inquit) Deus dedi vobis omnẽ herbam afferentẽ ſemen ſuper terrã,& vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementẽ generis ſui,vt
Geneſ. 1 ſint vobis in eſcã. Et ſub hoc præſcripto durauit genus humanũ,quouſ-
Geneſ. 9 que poſt diluuiũ facta eſt copia Noe veſcẽdarum carniũ. In lege quoq; ſcripta legimus delectũ ciborum eſſe Deo placitũ:nã angelus qui apparuit matri Sampſonis,antequã Sampſon cõciperetur, a vino iubet eã abſtinere & ſicera,prædicens filiũ eius fore Nazaręũ. Et mater illius ſancti Samuelis prophetæ,cum deprecaretur Deũ pro ſterilitate ſua,Deo pro-
Iudic. 13 mittit quod efficiet filium ſuũ Nazaręum:erat autẽ lex Nazaręi,abſti-
Regũ 1 Nume. 6 nere a vino,& ab omni quod inebriare poteſt. Quod ergo Deus reuelat eſſe faciendũ,& ſancti promittunt,& Deus ipſe ducit acceptandum, (maxime quod figuratiuũ non eſt, ſed habet rationẽ moralem) non ſolum laudabile,ſed imitabile eſt. Omitto quod Dominus Deutero. xvi. Septem diebus ieiunij panes azymos iubet comedere, et Helię ſancto,
Dani. 10 quarto regũ,panis ſubcineritius traditur ab angelo. Beatus Daniel ieiunans vinũ non bibebat, neq; carnibus ſed leguminibus veſcebatur, & interdũ pane voluntarie priuabatur. Ego Daniel(inquit)lugebam triũ hebdomadarum diebus,panem deſiderabilem nõ comedi, & caro et vinũ non introierũt in os meũ. Ioannes Baptiſta ab ipſa veritate tãtopere laudatus,carnes nec piſces comedebat,ſed locuſtas et mel ſylueſtre, vt oẽs euangeliſtæ teſtantur.

Delectꝰ ciborum ex traditiõe apoſtolica Habet etiã delectus ciborum in Teſtamento Nouo ex apoſtolica Traditione ſuam autoritatẽ,quod plane ſignificatur in regulis apoſtolicis l. et lij. Prima regula ſic habet: Si quis epiſcopus aut presbyter, aut diaconus,aut quis omnino de ſacerdotali cõſortio,nuptijs, et carnibus et vino abſtinuerit, nõ propterea quo mens ad cultũ pietatis reddatur exercitatior, ſed propter abominationẽ, oblitus quod omnia pulchra valde,et quod maſculum et fœminã Deus creauit hominẽ,ſed diffamationibus laceſſens,creatiões Dei vocat ad calumniã,aut corrigitor, aut deponitor,et ab Eccleſia reijcitor:cõſimiliter et laicus. Secundus vero Canon ſic: Si quis epiſcopus,aut presbyter,aut diaconus,carnibus et vino feſtiuis diebus nõ vtatur,nõ propter exercitationem ad cultũ pietatis,ſed per abominationem,deponitor. Hos eoſdẽ Canones in vno cõ-
Eleutherius prehendit,et corroborat ſanctus Eleutherius papa, ij. epiſtola ſua. Idi-
Synodo Ancyra pſum decernente ſynodo Ancyrana, cano. xiiij. quam intentionẽ recte tenet Eccleſia,quæ(vt dixi) a cibis non abſtinet, quod putet illos eſſe abominandos,aut iudaica opinione immundos, vt calũniantur aduerſarij:ſed ad exercitationem ieiunii et abſtinentiam.

Super-

Supereſt nunc, vt vſu totius Eccleſiæ ab ipſis apoſtolis continua ſucceſſione vſq; ad nos promanante, ciborum delectum, vna cum ſanctæ Quadrageſimæ ieiunio comprobemus.

1.Tim.5 — Principio conſtat, ſanctum Timotheum Pauli apoſtoli diſcipulum vinum aliquando propter abſtinentiam non bibiſſe, vt colligitur ex epiſtola ad eum miſſa. Noli adhuc aquã bibere, ſed modico vino vtere propter frequentes infirmitates tuas. Petrus apoſtolorũ princeps, quod iam allegauimus, vt refert Clemens vij. lib. recognitionum (Clemens), pane & oliuis ſolum propter abſtinentiam fere quotidie veſcebatur.

Theleſphorus — Theleſphorus apoſtolorum quaſi coætaneus (vt vidimus) abſtinentiam a carnibus in Quadrageſima pręcepit. Philo Iudæus, qui apoſtolos vidit, & cum eis cõuerſatus eſt (vt refert Euſebius libro ſecundo, de Eremitis illis a D. Marco edoctis) (Euſebius) inter alia mirabilia quæ de illis narrat, dicit: Cibum potumq; nullus eorum capit ante ſolis occaſum, nonnulli poſt triduum in cõmunionem veniunt cibi, quo ſcilicet edacior ſtudiorum fames perurgeat, maxime in diebus illis cum paſſio Dominica ſolenniter celebratur, cum ieiunijs pernoctare, & lectionibus ſanctis inſiſtere ſolent, in ipſis diebus in terra recumbentes, vinum quidem nemo ne guſtat quidem, ſed nec quamlibet carnem, ſed tantũ aqua eſt eis poculum, & panis cum ſale vel hyſopo cibus. Hæc ibi Euſebius ex Philone. Admirabilis ille Paulus quem D. Hieronymus tanti facit, palmæ fructibus veſcebatur, & aqua & pane. (Hieron.) Nota ſunt quoq; ea quæ narrat idem Hieronymus in regula, cap. xiij. de ſanctis illis patribus Heremi, quos dicit ſe vidiſſe, qui iuxta Syriã, quę Sarracenis cõiungitur, agebãt, quorum alter per xxx. annos ordeaceo pane & aqua lutulenta victitabat, alter vero in ciſterna veteri per dies ſingulos quinq; maſſis caricarum ſuſtentabatur. Nemo etiã ignorat, quæ Auguſtinus ad Cyrillũ de laudibus Hieronymi refert: Quatuor (inqt) annos in heremo quaſi cũ feris egit, et vt ab Euſebio accepi, quinq; annis vinũ et ſiceram non bibit, ab omni eſu carnium & piſciũ abſtinuit, nec coctũ niſi in ægritudine, idq; vix, comedit, cilicio ſacco indutus, inſuper panno viliſſimo ſe tegebat, ſtratũ non nouit niſi terrã, ſemel in die herbis vel fructibus veſcebatur veſperi. Admirabilis ille Hilarion, vt Hieronymus refert in regula, paucis maſſæ caricis ſumptis duntaxat, poſt biduũ, aliquãdo poſt triduũ & quatriduũ ſumebat. Tẽpus me deſereret, ſi omnia illuſtriſſima ſanctiſſimorum virorum exempla in nouo Teſtamento recenſere vellẽ, ſatiſq; eſt in confuſionẽ horũ Epicuręorũ ea q̃ magis autẽtica ſunt, attuliſſe, quare ad doctrinã antiquorum patrũ breuiter ſuper hoc expendendã accedamus.

Tertull. — Tertullianus lib. de cultu mulierum, loquens de Chriſtianis exercitijs: Quidam (inquit) creaturas ſibi interdicunt, abſtinentes vino & animalibus, quorum fructus nulli periculo aut ſolicitudini adiacent ſed

humili-

humilitatē animæ ſuæ in victus quoq; caſtigatione Deo immolant. Itē aduerſus Pſychicos, qui deſcriptiones & delectus ciborū damnabāt, dicentes ieiunia debere eſſe voluntaria & nō præcepta, ob idq; deligebant ſibi tēpora ieiunij ab Eccleſia interdicta, totus in hoc eſt Tertullianus, vt ſcripturis & ratione vrgeat illos falſo ſentire, liciteq; & ſancte ieiunia cibariorūq; delectus ab Eccleſia pręcipi: Ecce (inquit) cōuenio vos, qui præter Paſcha ieiunātes citra illos dies quibus ablatus eſt ſponſus, et ſtationū ſemiieiunia interponētes, & vos interdū pane & aqua victitātes, vt cuiq; viſum eſt, deniq; reſpondetis hæc ex arbitrio agenda nō ex imperio, mouiſtis gradū excedendo Traditionē, cū ea quæ nō ſunt conſtituta obitis: quale eſt autē, vt tuo arbitrio permittas quod imperio Dei nō das? plus humanæ licebit voluntati, q̄ diuinæ poteſtati? ego me ſeculo nō Deo liberum memini: ſicut meū eſt vltro officiū facere Domino, ſic indicere illius eſt, non tantū obſequi ei debeo, ſed & adulari: illud enim imperio eius, illud arbitrio meo pręſto. Bene autē, quod et epiſcopi vniuerſi plebi mandare ieiunia ſolēt, non dico de induſtria, ſed interdū ex aliqua ſolicitudinis eccleſiaſticæ cauſa. Tria audis ab hoc peruetuſto doctore, apoſtolorum fere coętaneo. Primum Traditone approbatum eſſe ciborum delectū, & tēporum ieiunij pręſcriptiōes. Secundo, quod Chriſtiana libertas nō conſiſtit, vt aduerſarij Eccleſiæ carnaliter docent in rebellione & paruipendio eccleſiaſticarū & diuinarum inſtitutionū, ſed in libertate a peccato & ſecularibus deſiderijs. Tertium, quod epiſcopi poteſtatē habent pręſcribendi huiuſmodi ſpiritualia, de ſolicitudine eccleſiaſtica a Deo ſibi iniuncta, quæ omnia ſuperbi iſti Pſychici cū ſuis progenitoribus negāt. Meminit etiam hoc loco Tertullianus xerophagiarum, id eſt, aridorum ciborum eſus, bis vel ter, qui tunc erat in vſu apud Eccleſiam Africanam.

Athanaſ. D. Athanaſius expreſſe quoq; approbat delectum ciborū, libro de virginitate, afferens Danielis exemplum a nobis iam citatum, vna cum tempore, quo in ieiunijs prandere debeat illa virgo ad quam ſcribit, quā de huiuſmodi rebus in hunc modū docet: Tu vero in ieiunio perſeuerato, ieiuna totum annū, etiam ſi nulla cogat neceſſitas: hora vero nona diei, cum iam in hymnis & precibus perſeueraueris, ſume panes tuos cōſperſos oleo, omnia pura quæcunq; carent anima.

Baſilius Magnus quoq; Baſilius libro de virginitate docens, qualia cibaria virginibus ieiunantibus conueniunt, quoſdam cibos eſſe ſuapte natura ad libidinem irritantes, a quibus abſtinendū eſſe in ieiunio docet. Non ſemina (inquit) ſolum & legumina ſed & olera nō pauca ſunt, quę non ad manſuetam gubernationē pietatis exercitatori in alimoniā omnino conducunt: vbi eſum carnium latenter corpora perturbare affirmat, & ſalſa etiam cibaria pruritus corpori inducere, magiſq; quam alias res ad coitum

coitum irritare. Vbi excludit etiam omne nucum genus, tanquam libidinis irritatorium. Nec aliam habet Eccleſia, vt diximus, in huiuſmodi delectu ciborum intentionem, quam talia cibaria fidelibus præſcribere, quibus et corpus magis caſtigent, et ad libidinem minus irritetur, non quod cibaria damnet abominando naturas eorum, vt regulę apoſtolorum nobis oſtenderunt, vbi propter exercitium pietatis ratum habuerũt delectũm ciborum. Vnde facile eliditur aduerſariorum calumnia, qua eccleſiaſticos viros apud vulgus male traducũt quaſi ſuperſtitioſos, putantes ad illos pertinere, id quod Paulus ad Timotheum ſcribit, quod in nouiſſimis diebus erunt homines, qui prohibebunt abſtinere a cibis quos Deus creauit ad percipiendũ. Quod ex eo euidenter cognoſcitur ad eos non pertinere, quia apoſtoli ipſi hunc delectum introduxerunt. Adde quod cauſa quam ibi aſſignat Apoſtolus, qua iſti dãnandi ſunt, viris eccleſiaſticis cõuenire nõ poteſt. Dicit enim omnem creaturam eſſe bonã. Per quę verba ſatis declarat, de illis dũtaxat loqui, qui a quibuſdã creaturis abſtinendũ eſſe putabant, naturam talium creaturarum execrantes tanquam a malo principio procedentiũ, quod fecerunt olim Gnoſtici, Marcion & Manichæus. Et hoc modo exponit Tertullianus lib. a nobis dudum allegato locos omnes qui delectum ciborum videntur damnare. Epiphanius ſanctam Quadrageſimam approbans cum Maſſalianos inſequitur, varios ritus circa tempora ieiuniorum, & cibaria præſcribit, nullum eorum repręhendens, ſed magnopere laudans, valoremque remiſſionis peccatorum eis tribuens. Quarta (inquit) & proſabbato ieiunium ſtatutũ eſt vſque ad horam nonã, & tradiderũt apoſtoli vt in his diebus ieiunia fierent, ita vt impleretur dictum hoc: Cum ablatus fuerit ab ipſis ſponſus tunc ieiunabunt: & non vt gratiam aut beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis paſſus eſt, ieiuniũ nobis conſtitutũ eſt, ſed vt cõfiteamur ad noſtrã ſalutem Domini paſſionẽ, quã pro nobis ipſe ſuſcepit, & vt pro peccatis noſtris, ieiunia nobis apud Deũ ſupputentur, excepta ſola Pentecoſte per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectunt, neque ieiunium imperatum eſt. Vides iam ab iſto Diuo factam eſſe memoriã de hora qua in diebus ieiuniorum prandiũ liceat ſumere, hora. ſ. nona, id eſt, tertia poſt meridiem, prout Hebręi cõputant, cuius veſtigium adhuc manet in eccleſia Occidentali: nam diebus Quadrageſimæ anteque prandium ſumatur, veſpertinæ horæ dicuntur, quãuis per anticipationẽ: vides etiã quomodo ieiunia valeãt ad remiſſionem peccatorũ, id quod ſuperius probabamus. Quare habes ex Athanaſio & Epiphanio horã prandij in diebus ieiuniorum pręſcriptã, et hoc ex apoſtolica Traditione. Infra vero de Quadrageſima & ciborũ delectu iuxta varias conſuetudines ſic docet. Porro Quadrageſimam ante Paſcham ſeruare ſolet eadem Eccleſia, in hac ieiunijs perſeuerãs. Dominicis

1.Tim.4

Tertull.

Epipha.

Tempus prandij ieiunij ex apoſtolis

vero

vero diebus non ieiunat: cæterum per ſex dies ipſius Paſchatis, omnes populi in ſiccorum eſu perſeuerant, pane inquam, aqua & ſale tunc vtentes ad veſperam, ſed & pietatis ſtudioſi biduũ, triduum & quatriduum nihil accipientes tranſmittunt, & aliqui tota hebdomada vſq; ad gallicinium Dominicæ illuceſcẽtis. Et paucis interpoſitis: Sunt præterea alię præeminentes vitæ cõuerſationes, quæ in eadem ſancta Catholica eccleſia ſeruantur, eorum inquã, qui ab omnibus carnibus abſtinent, & quadrupedibus, volatilibus, piſcibus, oleo, caſeo, alij a volatilibus ſolũ, alij a piſcibus ſolis, & concludit: Vnuſquiſq; autem ſecundum proprium laborem accipiet mercedem. Vbi non ſolum meritũ adſcribit huiuſmodi abſtinentijs ex præcepto factis, ſed & his qui libertate animorum & conſilio hæc faciunt.

Diuerſi mores in delectu ciborum

Baſilius

Diuus Baſilius ſecunda conciõne dogma pietatis appellat Quadrageſimam, ad cuius ieiuniũ omnes inuitat & monet, diuites, pauperes, mulieres, viatores, milites & pueros: Quãdoquidem (inquit) reuolutio temporis deſiderabiles illos dies nobis reduxit velut veteres nutrices, ipſos benigne omnes excipiamus, per quos Eccleſia, nos nutricis more ad pietatem nutriuit. Et infra: Noſtis quod caro concupiſcat aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnem: cum igitur hæc inter ſe oppoſita ſunt, ſubtrahamus carnis delitias, & augeamus animarũ robur, vt per ieiunium victoriam cõtra affectiones adepti, coronis abſtinẽtiæ coronemur. Hæc Baſilius, qui vltra hoc quod ſanctam Quadrageſimã cõmendauit, ieiunijs animarũ robur augeri dixit cõtra carnis affectiones, nec nõ debite ieiunantes coronas apud Deum promereri affirmauit.

Theoph. Alexan.

Theophilus ille patriarcha Alexandrinus, in libris de Paſchate, quos tranſtulit D. Hieronymus, nil frequentius inculcat, aut cõmendat obnixius, quam ſanctæ Quadrageſimæ ieiunium, potiſſimũ tamen in tertio lib. tum Quadrageſimę ieiuniũ, tũm eius circũſtantias magnopere cõmendat fidelibus. Quo quidẽ ieiunio Chriſtianos dicit de dęmonibus triũphare, & pręmia æterna promereri, his verbis: Ieiunia rite celebremus, gratia Domini triũphos nobis de ſceleratiſſimis dæmonibus pollicente, neq; diebus Quadrageſimæ, ſicut luxurioſi diuites ſolent, vini pocula ſuſpiremus: neq; in procinctu & prelio vbi labor & ſudor eſt neceſſarius, carnium edulio delectemur: crapula quippe & ebrietas, et cęteræ huius vitæ illecebrę, opulentiſſimũ animarũ theſaurum exhauriunt, et ſementẽ ſcientię Dei vberrimũ ſua admixtione ſuffocant: qui legis pręcepta cuſtodiunt, ignorant vinũ in ieiunijs, carnium eſum repudiant, et inſatiabilem auaritiã Dei timore cõpeſcunt. Vnde de cõtinentibus ſcriptura quotidie clamitat, vinum et ſicerã non bibet. Et paulo inferius: Non docet ieiunantes tẽpore agonis et prelij veſci carnibus, monente ſcriptura, affligetis animas veſtras: neq; phaſides aues ſolicito labore perqui-

perquirere et garrulas volucres, earumq́ pinguedinem hianti ingerere gulæ, nec inueſtigare magni precij coquos, qui ventris rabiem iure multiplici & carnis cōfuſione, diuerſorṹ ciborum ſapore demulciãt, fumantibus pateris, nidore ſuo gutturi blandientibus: nec cũ iniuria cōtinentię diuerſi ſaporis & oloris vina quærantur. Et allegat ad hæc hiſtoriã ſancti Danielis a nobis allegatã. Vidiſti ciborum delectum multum facere ad perfectionem ieiunij, ipſa natura rerum hoc ipſum demōſtrante, quæ differentiam facit inter ipſas rerũ facultates. Audi nunc eundem ieiuniorum Chriſtianorũ mercedē nobis promittentē: Qui ieiunia (inqt) imitantur in terris per continentiã, breui & paruo labore, magna ſibi æterna cōciliant prœmia, et multo plus accipiunt q̃ offerunt, et futuri tēporis gloria pręſentes anguſtias mitigãt, quia in hoc ſtadio pro virtute pugnantibus finis erit aliquãdo certaminis: qui autem pugnã ineũt contra vitia, et ſapientiæ diſciplinis ſuas animas dedicarũt, regni cœlorum conſequentur ęterna prœmia. hæc Theophylus. D. Hieronymus epiſtola ad Lętam: In Quadrageſima (inquit) cōtinentiæ vela pandenda ſunt, vbi etiam iubet virgini oluſculis veſci. et epiſtola xxxiiij. ad Paulinũ: Sit vilis et veſpertinus cibus tuus, olera et legumina, interdumq́ piſciculos, pro ſummis ducas delitijs. Hæc itē ipſa cōfirmat ſynodus Carthaginēſis quarta, canone lxvi. vbi baptizandi ſub abſtinentia vini et carnium iubentur baptizari. Item Gerundenſi, quæ in Letanijs menſis Nouembris a carne et vino cenſet abſtinendũ, et Toletana iiij. cap. ix. et viij. quæ ſic habet: Quiſquis ſine ineuitabili neceſſitate et euidenti languore in Quadrageſima carnes comederit, cōmunione priuetur. Canone iiij. Toletanæ vbi prohibetur Alleluia tēpore Quadrageſimæ cantari, aſſignãtes Patres huius prohibitionis rationē, dicunt: quia tunc eſt opus fletibus ac ieiunijs inſiſtere, et corpus cilicio et cinere induere, animũ mœroribus deijcere, quæ dicunt totius Eccleſiæ cōſenſu roborata eſſe. In ſumma, tota Eccleſia ab apoſtolis vſq; in pręſentem diem in hoc eſt, vt eccleſiaſtica ieiunia eo modo quo nunc Eccleſia pędicat, fiant, grata diuinæ maieſtati officia per hæc putans ſe exhibere.

Hieron.

Syno. 4. Cartha. Gerundenſi ſynodi. 4. Toletana

Ecquis obſecro melius noſſe potuit diuinum beneplacitum circa hæc? hi ne ſeducti homines, qui heri aut nudiuſtertius nati ſunt, quos neſcimus vnde venerint, qui nihil aliud ſub vmbra euangelij, quam carnem et ſanguinem ſpirãt? an apoſtoli ſancti, martyres glorioſi, cōfeſſores et Pontifices Deo pleni, per quorum doctrinam et exempla, voluntatem Dei ſacroſanctã intellexit Eccleſia, et vſque in hodiernum diem ſeruare docet? Et quis tam ceruicoſus eſt, qui negare audeat, et improbare, quæ tam ſanctiſſima capita, qui cum Chriſto conuerſati ſunt, et cum eo iam regnant, non ſolum docuerunt, ſed et opere vſque ad finem vitæ confirmarunt et pędicarunt? Certe qui in hac re pernitioſis his nouitatibus

ſe ſinit abduci, carnis mancipium manifeſte ſe oſtendit, & ſanctis omnibus aduerſum ſe eſſe fatetur, qui ieiuniorum abſtinentijs alijſq; rigoroſis diſciplinis, viam illam arctiſſimã, quam Chriſtus affirmat ducere ad vitã, et approbauerũt & cõplexi ſunt. Sed videamus qd ieiuniorũ & abſtinẽtiæ aduerſarij ructãt aduerſus ieiunia Chriſtiana & apoſtolica: nẽpe q̃d olim ructarũt anteceſſores ſui Pſychici & Aëriani, hæreticiã dãnati.

Matt. 15 Chriſtus videtur improbare ieiunia & delectus ciborum, quando dicit: Non quod intrat per os coinquinat hominem. Paulus etiã epiſtola ad Galatas videtur eos reprehendere, qui dies obſeruant & tempora, & eos qui ad infirma & egena elementa ſe cõuertũt: regnum Dei nõ eſt eſca & potus, ſed iuſtitia et pax &c. Et alibi: Omne quod in macello venit, manducate: nihil interrogãtes propter cõſcientiam. Item, Omnis creatura bona eſt, nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione accipitur, et alia ſimilia quæ ſono duntaxat vocis ſancta ieiunia videntur damnare aut paruipendere, allegant cõtra apoſtolicam de ieiunijs Traditionem. At ſalua res eſt, nam nec Chriſtus damnat ieiunia, qui ſuo exẽplo et magiſterio ea fieri docuit: neq; Paulus apoſtolus, q vſq; adeo de ieiunijs gloriatur. Primus locus Chriſti nil contra nos facit: nam loquitur de cibarijs ſecundum ſuam naturam cõſideratis, quæ nemo Catholicus damnauit. Vſus enim rerum ad eum finem, ad quem ſunt ordinatæ, non eſt ſecundum ſe malus: nemo tamen qui rectam rationẽ habeat, negare poteſt aliquando ea quæ ſunt bona de ſe, male interdũ applicari poſſe ad vſum: vtputa ſi aliquis propter delectationẽ quę in cibis eſt, vtatur cibis cõtrarijs ſaluti corporis, aut excedendo in qualitate, aut in quãtitate. Vel poteſt eſſe malus vſus cibariorũ, quæ bona ſunt alias per ſe, quãdo huiuſmodi cibaria nõ conueniũt ſtatui & facultati accipientiũ, vtputa ſi ruſticus vellet ſemper perdices, capos, aut phaſianos comedere. Quis enim dubitat creaturas omnes iſtas eſſe bonas, et ſecũdum naturam ſuã non inquinare poſſe comedẽtes? Attamen qa contra rectam rationẽ vtitur eis ruſticus, animam eius coinqnant, quia comedendo eas prꝗuaricatur. Sic eſt in propoſito. Sancti apoſtoli prohibuerunt certa cibaria ieiunãtibus, non quia mala ſunt aut abominabilia, ſed quia multum cõducunt ad puritatẽ & eſſentiam ieiunij, et ad corporis afflictionẽ, quæ in ieiunijs præcipitur: et hoc equidẽ recta, pia, et naturali ratiõe ducti. Quiſquis ergo ſine cauſa, et maxime ex contemptu apoſtolici magiſterij huiuſmodi cibariis vſus fuerit in diebus ieiunij, peccabit procul dubio, quia indebite et contra legem ſumit quod non licet ſumere, nec decet ſtatum lugentis et pœnitentis, aut ieiunãtis. Nõ eſſe autem illicitam præſcriptionem iſtam ciborũ, Paulus oſtendit aperte Roman. xiiij. Bonũ (inquit) eſt non manducare carnem, nec bibere vinum. Atque generaliter omne id per quod proximus offendi poteſt: tunc enim malum

Rom. 14
1. Ma. 4

malum eſt illi,qui per offendiculum manducat, cum magno proximorũ ſcandalo ,in contemptum apoſtolici magiſterij, prout iſti noui Aëriani faciunt et docent facere. Nam quod ad verba epiſtolæ ad Galatas,inſuper,et aliud dictum eiuſdem Apoſtoli ad Romanos, Regnũ Dei nõ eſt eſca & potus,&c.attinet: Tertullianus affirmat contra Pſychicos, et Auguſtinus epiſtola lxxxvi. illa debere intelligi de obſeruatione inſtitutorũ legalium,in quibus Galatæ collocabant fiduciam & ſubſtantiam pietatis,derogantes Ieſu Chriſti beneficiũ. Putabant enim Galatæ, vt ex ipſo argumento epiſtolæ cõſtat, Chriſtum ſine Moyſe nõ ſufficere ad Chriſtianam iuſtitiam. In ſumma,duplici nomine delectus ciborum ab Apoſtolo damnantur: quando fiducia & ſubſtantia pietatis collocatur in huiuſmodi delectu,aut quando reijciuntur in ignominiam creatoris, putãtes eos immũdos,aut natura malos,vt Martion, Tatianus,& Manichæus,a quibus ꝙ longiſſime abeſt Eccleſia Dei, ſciens omnem creaturam Dei bonam eſſe. Quæ etſi ieiunia quodãmodo doceat eſſe neceſſaria,nõ tamen in ijs collocat ſubſtantiam pietatis,quam ſcit in vita cordis collocari,puta fide,ſpe & charitate. Aliud enim eſt eſſe neceſſarium ad aliquid cõſequendum, aliud eſt pertinere ad ſubſtantiam illius rei: veluti medicina corporalis neceſſaria eſſe dicitur ad ſalutem cum corpus infirmatur,non tamẽ in ſumptione eius cõſiſtit ſubſtantialiter ipſa ſanitas. Omnino eodem modo cõtingit in ieiunio,quod medicina morbidæ animæ eſt,vt faſſi ſunt omnes ſancti. Hoc quia non diſtinxerunt aduerſarij,putarunt nos falſo iuſtitiæ Chriſti derogare: Atq; huc videtur pertinere illud Apoſtoli: Exercitatio corporalis ad modicũ vtilis eſt, pietas autem ad omnia valet. Quaſi dicat, pietas ad omnes ſe extendit, omnibus eſt neceſſaria,nemo ſaluatur adultus niſi per illam. Ieiunium autem,aut alia exercitatio corporalis non ſic,quæ per cõparationem ad pietatem,modicæ vtilitatis eſt, cæterum infirmis eſt neceſſaria. Et quod Apoſtolus in illis nõ damnet opera ſed intentionem,ex eo patet: nã ipſe Apoſtolus Hieroſolymã aſcẽdit celebraturus Pentecoſtem, et alia cerimonialia nullius fere vtilitatis ſeruauit, vt patet ex apoſtolorum actis. Sed neque obſeruationem dierum Chriſtianorum illic damnat, ſed obſeruationem gentilitiã,qua quoſdã dies quaſi nefaſtos cauebãt ſuperſtitioſe,alias nec die dominica, nec ſacratiſſima reſurrectiõis debuiſſent eſſe celebres,quæ tamẽ tẽpeſtate ipſius Pauli ab Eccleſia ſeruabantur. Hæc eſt ſumma argumentorum ſiue nugamentorum aduerſariæ factionis, repetere nobis ea quæ prædeceſſores ſui Eccleſiæ ſanctæ oblique ſatis & pueriliter obiecerunt.

Tertull. Auguſt.

Quomodo delectus ciborum inhibiti.

1.Tim 4.

Nunc paucis declaremus inſtitutum apoſtolicum. Vbi primo vides præceptum eſſe ieiunium, id enim pręcipiunt apoſtoli his temporibus fieri,quod diuina voluntas indeterminate ſeruari volebat: eo enim ten-

dunt apoſtolica pręcepta,vt diuina, certo et determinato tempore ſeruentur,quando affirmatiua ſunt. Quod autem diuinum ius præcipit, virtus Chriſtiana eſt, non tantum externa quædam ceremonia: quare quod in canone Apoſtoli iubent,ieiunium eſt, id eſt, abſtinentia Chriſtiana,qua caro affligatur & cōcupiſcentia reprimitur. Nec curo hic illam difficultatem,quam aliqui ſolent facere,an Eccleſia præcipere poſſit actum interiorem nec ne. Crediderim enim, quando pręceptū eius eſt determinatiuum præcepti diuini inducētis ad virtutem, poſſe actum interiorē pręcipere:alias nullam virtutē poſſet pręcipere, quippe quæ in actu interiori conſiſtit. Pręcipit autem ſacerdotibus,vt attente et deuote orent,quod ſine actu laudabili interiori perfici nequit.

Quo fit,vt qui in ieiunij fraudem ſemel comedendo, tantum cibi & potus accipiunt,vt nullam carnis afflictationem ſentiant, aut qui cibarijs magni nutrimenti & ad libidinem excitandam aptis,nec nō ad gulam notabiliter irritandam & explendam ſcienter vtuntur, nō ſatis huic apoſtolico præcepto ſe cōforment:niſi cōſuetudo aut a maioribus iā diſſimulata licentia eos forte excuſet. Quippe qui videantur ſubſtantialiter non ſeruare ieiunium,hoc eſt,abſtinentiam,& corporis caſtigationē. Videtur enim quod materia huius præcepti non ſolum ſit comedere ſemel in die quomodocunq; comederint aut biberint fideles: ſed quod ſic comedant & bibant,vt quantum eſt ex parte victus & potus,corpus humilietur & affligatur:id quod ex vſu antiquæ Eccleſiæ tam Orientis quã Occidentis ſatis cōprobatur,quæ hanc corporis caſtigationem non finē præcepti remotū(qui ſub obligatione præcepti cōcludi nequit,vt eſt veniam promereri & in contemplationē eleuari)ſed materiam & ſubſtantiā reputauit. Adde quod tunc adimpleretur aliquod virtutis pręceptū, per contrariū illius quod præcipitur: q̃d nemo doctus credo affirmabit. Eſto em̄ q̃d peccādo aliqs poſſit implere laudabile pręceptū,apponēdo malā circūſtantiam,aut finis,aut loci,aut tēporis,non poteſt tamē adimpleri per contrarium eius quod præcipitur. Ille autem qui ſe ingurgitat cibis aut incaleſcit vino plus æquo, apertam gulam per cibariorū luxuriam exercet contrariam abſtinentiæ,quæ in ieiunio pręcipitur. Pręterea quod nihil videretur præcipere Eccleſia,nec aliqua in re diuinū ius promoueret,ſi tantum iuberet ſemel comedere in die ieiunij,imo magis videretur præiudicare: quia dum putāt homines ſe præcepto ieiunij ſatisfacere per illum modum,non vere amplius ieiunant. At iudicio maiorū iſta relinquo.

Cum audis in canone ſacroſancto omnes teneri ad ieiunium, pręterq̃ ſi imbecillitate corporis impediantur, intellige non eſſe tam latam exceptionem eorum qui ad ieiunia non tenentur, quantum eam faciunt nōnulli doctores,volētes eos qui ſine legitima cauſa ieiunium omittūt, excuſare

excuſare. Nam & hic modus thologizandi, in vſu eſt apud aliquos, re-ctitudinem regulæ ad corruptos mores multorum cõtorquere, & nõ vice verſa mores corruptos ad iuris & rationis regulam attẽperare. Idcirco volentes multas animas ſaluare, animas nõ ſaluant, et regulam perdunt, & ius corrũpunt. Nõ eſt enim in manu noſtra facere de recto non rectũ, nec decet veritatẽ in doloſis ſtateris librari. Hoc dixerim, quia non video qua ratione ab obligatione ieiunij excipiantur adoleſcentes robuſti & petulantes, & multi alij, propter frigidas alias quaſdam occaſiones, aut occupationes voluntarias, quæ faciliter poſſent omitti: aut propter aliqua alia leuia incõmoda tot perſonas eximũt a ieiunio, vt vix ſuperſit in Eccleſia, qui hanc ſanctam hanc abſtinentiam teneatur obſeruare.

Cum vero audis cõmunione priuari ſanctum ieiunium infringentes, intellige ſanctam Eccleſiã non ſolũ dare cõſilium in huiuſmodi ieiunijs, ſed obligationis neceſſitatẽ imponere: quæ ſatis laudabilis eſt, cũ ad meliora cõpellit, ac ſubinde non leuiter peccare eos qui hæc ſine cauſa legitima quæ eos excuſet, nõ obſeruant. Priuatio enim cõmunionis nunquã imponitur ab Eccleſia pro leui crimine. Eandem pœnã apponit ſynodus Toletana ijs, qui in delectu ciborum peccãt in ieiunio Quadrageſimæ. Auguſt. ad armẽtarium Toleta. Cano 9.

Beatus quoque Hieronymus neceſſarium dicit eſſe ieiunium Quadrageſimæ, ix. epiſtola ad Marcellã: Nos (inquit) vnam Quadrageſimã ſecundum Traditionẽ apoſtolorum toto anno nobis cõgruo ieiunamus, illi in anno tres faciunt Quadrageſimas: non quo et totũ annũ, excepto Pentecoſte, ieiunare nõ liceat, ſed quod aliud ſit ex voluntate, aliud ex neceſſitate munus offerri. Vbi clare de neceſſitate, et nõ de conſilio ieiunium Quadrageſimæ eſſe dicit. Et quoties Auguſtinus et Ambroſius in cõcionibus ſuis in Quadrageſimã incidunt (incidũt autẽ ſæpiſſime) tanquã neceſſarium videntur hoc ieiunium cõmendare: quod ſi neceſſarium eſt, conſilium nõ eſt. Sed ſufficiant hæc de ieiunio Quadrageſimæ dixiſſe. Hieron. Auguſt. Ambroſ.

Ieiunium quod in quatuor anni tẽporibus eccleſia celebrat, Apoſtolica etiã Traditio eſt: nam Linum beatũ ſucceſſorem Petri legimus ordines celebraſſe in ieiunio menſis Decẽbris, quod vnum eſt ex his quatuor ieiunijs: et Calixtus primus ante mille ducentos annos hoc ipſum inſinuat, qui huius apoſtolicæ Traditionis in vniuerſali Eccleſia prouulgator magis q̃ inſtitutor fuit, hoc modo in prima epiſtola ſua: Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrari didiciſtis (Ecce inſinuat antiquitatem Traditionis ante ſua tẽpora introductæ) cõuenientes nunc per quatuor tempora fieri decernimus, vt ſicut annus per quatuor voluitur tẽpora, ſic et nos, quaternũ ſolenne agemus ieiuniũ per quatuor anni tempora: et ſicut replemur frumento, vino, oleo ad alenda corpora, ſic repleamur ieiunio ad alendas animas. Vbi obiter nota, alimentũ animæ vo- Ieiunium 4. temp. Calixt.

tari ieiunium eccleſiaſticũm ab hoc martyre ſacratiſſimo: quare non eſt externa quędam ceremonia ieiuniũ ab Eccleſia receptum. Sed redeant iterum pręcipui Canones apoſtolici,& Traditiones ſacroſanctæ.

6. Quod epiſcopus aut presbyter ſeculares & publicas cauſas non agat, alioqui deponatur. Quem canonem Petrus apoſtolus in ordinatiõe Clementis inuulgat & renouat, epiſcopis et presbyteris iubẽs, ne mundanis & ſecularibus implicentur negocijs, ſed tantũ orationi & prædicationi vacent,& de ſalute animarum ſuæ Eccleſiæ ſint ſolliciti. Hunc etiã tertiũ Carthaginenſe concilium inter ſuos canones poſuit,& Gratianus diſtinctione lxxxviij. allegat, id quod multorum epiſcoporũ ambitio magno ſuæ conſcientiæ periculo,& ſubditorum damno hodie non obſeruat. Gratian.

7. Ne Paſcha & reſurrectio Dominica ante æquinoctium vernale celebretur.

11. Quod nemo in vna domo cum ex cõmunicatis oret, id quod tota ſeruauit Eccleſia: quæ regula ſecunda eſt in numero decretorum ſynodi Antiochenę ſecundæ, ante mille et centũ annos celebratæ.

13. Quod excõmunicatus in vna Eccleſia, in alia ſine formata, hoc eſt, literis cõmendaticiis ſui epiſcopi, nõ recipiatur ſub anathematis pœna. Hunc Nycęna ſynodus prima & magna, tertium inter ſuos canones facit. Item octaua ſynodus Conſtãtinopolitana, et Carthaginẽſis tertia inter ſuos etiam cõmendat: & nõnihil ex eo mutuatur canon. xv. Sardicenſis cõcilij, et nunc hodie ſeruatur fere in omibus benerectis Eccleſiis. Nycęna ſynodus

14. Quod epiſcopus non transferatur de ſua Eccleſia ad aliã, niſi propter maius animarum lucrum: id quod promouendorũ ambitus, et promouentium aliquãdo mala libertas, in multis hodie Eccleſiis non ſeruant. Hunc canonem ſaluberrimum' pręfata ſynodus Antiochęna ſecunda. xxi. ſuorum decretorum capite renouauit. Itidem et ſynodus Chalcedonenſis canone xv. Synodus Antiochęna.

15. Quod presbyter aut diaconus abſq; ſui epiſcopi copia, propriam parochiam non dimittat, neq; abſens fiat: quod tempeſtate noſtra nõnullorum epiſcoporum negligentia, et Romanenſiũ clericorum exceptiones et priuilegia, in multis cõtra apoſtolicã Traditionem male inuertunt.

18. Item vt nemo per pecuniam aſcendat ad presbyteratus et diaconatus ordinem, alioqui ordinatus & ordinator a gradu deijciantur, & a cõmunione modis omnibus abſcindãtur, ſicut Symon magus a Petro. Quod neſcio an recte ſeruetur a nõnullis. Nam prætextu chartarũ, bullarum, et teſtimoniorũ, exactiones fiunt iniquæ,& cõtra Traditiones & euangelium: præcipue autem nõnulli titulares epiſcopi a veteri Eccleſia nõ multum cogniti de iſto vitio ſunt notati. De his loquor qui nihil habẽt redditus vnde ſuſtẽtentur, niſi quęcunq; ab his, quos ordinant quaſi pactione quadam corradũt, contra diuinam legem & apoſtolica inſtituta.

Hanc

Hanc regulam apoſtolicam percelebris Chalcedonenſis ſynodus gene- ralis, magnis etiam pœnis innouauit canone ij. Chalcedonenſ.

Quod epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat, & arbitrio ſuo re- 40 gantur. Id quod canone xvi. Chalcedonenſis ſynodi ratum habetur, & Chalcedonenſ. canone viij. Gangrenſis, & Gratianus allegat xij. q. i.

Quod epiſcopus & presbyter baptiſma & ſacrificium hæreticorum 45 non permittat in ſua Eccleſia, alioqui cõmunione ſuſpenditor.

Item quod nemo laicus vxorem propriam expellat, necꝫ dimiſſam ab 48 alio ducat, alias a cõmunione ſegregator: id quod legibus firmiſſimis Pontificum Romanorum in Eccleſia inuiolabiliter ſeruatur.

Quod epiſcopus aut presbyter, qui non baptizauerit in nomine Tri- 49. nitatis, deponatur.

Quod epiſcopus aut presbyter, eum qui a peccato reuertitur, recipiat, 52. & non reijciat: & ſi nõ receperit, deponatur: quem canonem contra No- uatum ſynodus D. Fabiani martyris confirmauit. Item Cornelij ſucceſ- ſoris eius, & D. Cypriani decretum ſtabiliuit: nec non ſynodus ſeptima ſeptuageſimum ſeptimum inter ſuos canones ponit.

Quod nemo Clericorum cum Iudæis oret in ſynagogis, necꝫ ab hę- 64. reticis ordines recipiat.

Item de ſeruis non ordinandis octuageſimo primo canone ſic decer- De ſeruis non ordinandis. nunt. Serui ſi in Clerum promoueantur citra dominorũ voluntatẽ, hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando vero ſeruus, gradus ordinati- one dignus videatur, qualis & noſter Oneſimus apparuit, & domini cõſenſerint, manucꝫ emiſerint, et a domo ſua ablegauerint, efficitor. Hęc Apoſtoli, quæ ideo ad verbum poſui, vt id quod paulo ante dicebamus, de horum ſcilicet ſanctorum canonum non cõtemnenda autoritate, confirmetur.

Hactenus de regulis apoſtolorum, quæ ſubſequentium epiſcoporum inſtitutis roboratæ ſunt, & hodie in bene rectis Eccleſiis obſeruantur dixiſſe ſufficiat, quorum bonam partem multi ſancti patres agnouerũt, & reuerenter ſuſceperunt, vt ſcias non leuem rem eſſe apoſtolicum a no- bis ſæpe allegatum magiſterium.

Sunt præter eas, quas in ſuperioribus adduximus in epiſtolis D. Cle- mentis, Traditiones minime floccipendendæ, quæ nec antiquitate po- tuerunt obliterari, necꝫ hæretica prauitate cõuelli, quorum præcipua eſt de ſacro cœlibatu, a nouatoribus noſtri temporis, vt a Iouiniano olim damnato hæretico fruſtra impugnato. Traditio apoſtolica ſic habet.

TRADITIO DE SACRO COElibatu. Clemens in ſecunda epiſtola ſua.

Lex cœlibatus

AD dominica myſteria tales eligantur, qui ante ordinationē coniuges ſuas non nouerūt. Quod ſi poſt poſt ordinationē contigerit miniſtro propriū inuadere cubile vxoris, ſacrarij nō intret limina, nec ſacrificij portitor fiat, nec altare cōtingat, nec ab offerentibus holocauſta oblationē ſuſcipiat, nec ad dominici corporis portionē accedat, nec aquam ſacerdotibus porrigat ad manus, ſed oſtia forinſecus claudat, & minora agat officia, nec vrceum ſiue calicem ad altare ferat. Non eſt quod reijciant aduerſarij cœlibatus legem, de nouitate eam falſo notantes, quaſi a Siricio Pontifice, aut Innocentio ſecundo inſtitutā. Quandoquidē D. Clemens Petri diſcipulus et ſucceſſor, ex mēte eius nobis eam promulgat. Dicit enim in fine epiſtolæ, quod hanc Traditionem cum alijs a D. Petro tradēte audiuerit, quę non ſolum obligat eos qui volunt ſacerdotes fieri, a cōtrahendo matrimonio, ſed cōiugatos, ſacerdotes creatos, ab vxorum cōgreſſu inhibere videtur: quod adhuc magis durū aut impium aduerſarijs videbitur. Sic enim noui iſti apoſtolici legem cœlibatus appellant, quos nos vice verſa oſtēdemus ſcripturis & ratiōe, & apoſtolica Traditione, & omniū ſanctorum cōſenſu, non ſolū falſum dicere, ſed ipſa impietate nequiores eſſe, & carne craſſiores. Quod vt cōmodius & diſtinctius patere poſſit, per articulos procedemus.

PRIMVS ARTICVLVS.

Cœlibatus non repugnat naturæ humanæ adhuc ſine dono ſpiritus ſancti.

DAri poteſt in aliquo vel aliquibus hominibus tam frigida cōplexio, aut tā innata motū auſteritas, tamq; ad res ſerias et ſpeculationē propēſa, tam frugalitati & tēperantiæ dedita, & denicq; cōſuetudo in ijs omnibus tam lōga & firmata, vt in eo nulli aut leues inſurgant motus libidinis, aut facile cū inſurrexerint, ijs adiumentis, longo & firmato conſuetudinis habitu, quo in oppoſitū inclinantur, ſupprimant & non multum difficulter refrenent. Nec eſt quantū ad hoc meo iudicio maior repugnātia in hominibus, q; in auibus & quadrupedibus. Quippe quæ in eo quod viuētia ſunt, & animalia hoc habēt nobiſcum cōmune, vt ad generatiōis actus inclinentur, vt Ariſtoteles docet, & Cōmenta. ij. de anima. Videmus autem in viuarijs beſtiarum, nōnunquam fœminas, aliquando mares per multos annos abſq; alterius ſexus cōſorte viuere, & ſine perceptibili damno vſq; ad finem perdurare. Itē in auiarijs & caueis, magnas aues, mediocres & paruas abſq; acceſſu ad ſuæ naturę cōparem, etiam vitā ſine incōmodo ſenſibili tranſigere cōſpicimus. Nōnulla etiam exempla hominum nar-

Ariſtot. Cōment.

narrant nobis autores nõ contemnendi, quæ nõ oportet credere prorſus eſſe mendacia, vt de veſtalibus virginibus, de viduis Africanis Cereri dicatis, quarum Tertullianus meminit lib. de cultu mulierum. Rurſus de filia Pythagoræ, de decem aut tredecim Sybillis, de Platone, Hyppolito, Heſæis, quibus in hac parte tantũ tribuit Ioſephus lib. antiquitatũ, vt cœlibes eos ſemper fuiſſe contendat. Rurſus Valeria ſoror Meſſalorum nunquã perſuaderi potuit, vt poſt defunctum Seruiũ maritum ſuũ, (quãuis iuuenis vidua eſſet,) alium virũ cognoſceret. Arthemiſia quoq; vſq; ad inſaniã excolere viduitatem viſa eſt. Dido Carthaginenſis, de cuius caſtitate multa narrat Auguſtinus, cœlebs omnino prędicatur, poſtquã primum maritũ amiſit, vt Hieron. dicit epiſt. ad Geruntiã, quãuis Virgilius falſo eam de Aeneæ amoribus infamet. Hæc ſiue ſint vera, ſiue falſa, non curo, credibile tamẽ eſt aliquod iſtorũ exemplũ eſſe verũ: ijs vero quis dicet donũ ſpiritus ſancti adfuiſſe? niſi donum ſpiritus ſancti extẽdas in tantũ, vt inclinationes & aptitudines naturales, et affectus nimios dicas eſſe Dei gratiã, in quo nolo multũ moroſus eſſe. Quia tamen iſta vix aut nunquã accidunt & cõueniunt hominibus, nec poſſunt multis naturaliter accidere, prouidẽtia diuina hoc diſponente pro ſpeciei humanæ conſeruatione. Salomon dixit de ſe & de multis, & pene omnibus, non poſſum eſſe continens niſi Deus det. Adde quod cum potentia generandi ordinetur ad cõſeruationem ſpeciei, & non ad cõſeruationem indiuidui, ſicut aliæ facultates & operationes in homine, non repugnat, quod ſalua ſubſtantia indiuidui ab actu huius facultatis & potentiæ priuetur homo. Et quid ſi quodãmodo pugnet virtus hæc cœleſtis cum animalibus inclinationibus, num ob id inſtitutio huius ſanctæ virtutis erit damnabilis, quæ naturæ rationali qua præditi ſumus, tam mire cõgruit? imo eo ipſo, quod de animalibus iſtis motionibus palmam refert atque victoriam, laudabilior & pręcioſior eſt: gratia nãq; excellentior & potentior eſt natura, per quam homines tales euadunt, vt angelicis ſubſtantijs aſſimilati animales motus vincant, & de carne glorioſum triumphum reportent. Si enim certa eſſet hæc regula, quod omne id quod appetitui noſtro, (ratione adhuc naturali minime repugnante) quodammodo aduerſatur, minime admittendum eſt: reijciẽda eſſent ſtatim tanquam mala omnia conſilia Chriſti, & non liceret euangelium ſeruare, aut euangelicam vitam profiteri. Nam ipſa natura inſtigante inclinamur ad odium inimicorum, ad propulſandas iniurias, ad reſiſtendum incommodis noſtris, & ad vitam priuatam et cõmoda noſtra: & tamen euangelica perfectio (quę gratia mediatoris Ieſu Chriſti hominem reformat in melius, adeo vt naturæ corporalis quaſi oblitus puriſſimam et cœleſtem vitam agat) aliud iubet & conſulit eſſe faciendum. Nec oportet adhuc philoſophice loquendo omnem inclina-

Tertull. Liuius & Valer. Ioſeph. Hieron.

Lib. de ciuitate. Hieron.

Sapien. 8

inclinationem naturalem aut animalem appetitum ad actum & vſum reduci ab vnoquoque indiuiduo illius ſpeciei, cuius eſt talis inclinatio aut appetitus: ignis enim & quælibet pars eius appetitum habet & inclinatione ad ſurſum aſcendendū & calefaciendū, non tamē quælibet pars ignis aſcendit aut calefacit, vt patet de illa quæ cōuexo cœli inmediata eſt: ſimiliter ſtirpes multæ ſunt & animātia, quorum omniū inclinatio aut appetitus ſingulatim in actum & vſum perpetuo minime deducitur, caſu aut cōſilio hominum, aut Dei prouidentia, aut aliqua alia cauſa impedientibus: ſed ſat eſt, vt Philoſophi recte docent ſuper primum cœli, quod talis appetitus & inclinatio in vſum deducūtur a multis aliis eiuſdem ſpeciei indiuiduis. Sed dimittamus animalium naturam & externa exempla, cū quibus parū cōmercij eſt veris Chriſtianis. Sat eſt nobis quod ſi naturæ repugnaret cœlibatus, non eſſet poſſibilis nobis per gratiam cōtinentia. At Chriſtus ipſe naturæ autor eā nobis cōſulit. Qui poteſt inquiēs capere capiat: aliqui ergo ſunt qui poſſunt hoc dono gaudere. Sed neque Apoſtolus ſpiritu Dei ductus illam cōſuluiſſet. Legimus autem & ipſa etiā experiētia Eccleſiā docuit, de multis qui hac virtute precellentes fuere, tā in ſtatu naturæ q̄ ſcripturæ & gratiæ: virgo eñ fuit Habel, Melchiſedech, virgo Helias, virgo Hieremias, virgo Eliſeus & virgo Daniel et filij Prophetarum, vt referūt Ignatius & Hieronymus, alter in epiſtola ad Philadelphienſes, alter cōtra Heluidium & Iouinianum: & virgo denique fuit Ioannes Baptiſta. In nouo vero Teſtamento virgo fuit Maria, virgo Chriſtus Ieſus, virgines filij Zebedei, vt Epiphanius affirmat cōtra Valleſios, & Hieronymus & tota Eccleſia ſenſit de Ioanne euangeliſta, Virgines aut continentes alij apoſtoli, Virgines filiæ Philippi, de quibus in actis apoſtolorum et Euſebio fit mētio. Virgo aut continens Marcus euangeliſta, et examina illa ſanctorum heremitarum ab eo edocta et inſtituta, de quibus tam admiranda refert Phylon Iudæus, et Euſebius lib. ij. ſuæ hiſtoriæ, et quorum exemplis illuſtriſſimis ſancta mater decoratur Eccleſia.

(Margin: Matt. 19; 1. Cor. 7; Ignatius; Hieron.; Epipha.; Hieron.; Phylon.; Euſ. 2. li.)

SECVNDVS ARTICVLVS.

Quod cœlibatus non ſit contra verbum Dei, nec ius naturæ, imo diuinitus ſit introductus.

IMpugnatores caſtitatis carnaliter ſapientes, locos quoſdam ſcripturæ adferunt, quibus impugnant euangelicam hanc virtutem craſſa quadam Minerua intellectos, quibus olim Cyprianus, Tertullianus, Hieronymus, Auguſtinus, Baſilius, D. Epiphanius, et ſancti alij doctores reſpōderunt. Nam illud Geneſeos: Creſcite et multiplicamini, et replete terram, longe aliter intellexit Cyprianus tractatu ſecundo de habitu virginum, quā iſti putant debere intelligi

(Margin: Cypria.)

intelligi:qui comparans legem iſtam primæui ſtatus hominis ad Chriſti cõſilium de cœlibatu & perfectione euãgelica,ſic exponit: Prima ſententia creſcere & generare pręcepit,ſecunda ad continentiã ſuaſit. Cum iam refertus eſt orbis,& mundus impletus,qui capere cõtinentiam poſſunt,ſpadonũ more viuentes caſtrãtur ad regnũ. Nec hoc iubet Dominus,ſed hortatur:nec iugum neceſſitatis imponit,quãdo monet voluntatis arbitrium liberũ. Sed cũ habitationes multas apud patrem ſuum eſſe dicat,melioris habitaculi hoſpitia cõtinentibus demõſtrat: habitacula iſta meliora,vos(virgines)petitis,carnis deſideria caſtrãtes,& maioris gratiæ pręmium in cœleſtibus obtinetis. Et infra:Apoſtoli vox eſt, quem Dominus vas electionis ſuæ dixit,quem ad promenda mandata cœleſtia Deus miſit. Primus homo (inquit) de terrę limo: ſecundus de cœlo. Qualis ille e limo,tales & qui de limo:& qualis cœleſtis,tales et cœleſtes. Quomodo portauimus imaginẽ eius qui de limo eſt,portemus & imaginem eius qui de cœlo eſt. Hanc imaginẽ virginitas portat, portat integritas,portat ſanctitas,portat & veritas. Hic aperte vides pręceptum illud:Creſcite & multiplicamini,nõ eo modo pertinere ad ſtatum gratiæ quo pertinebat ad ſtatũ naturæ primitus inſtitutæ. Principio enĩ neceſſaria erat omnibus procreatio filiorum, propter multiplicationem & conſeruationẽ ſpeciei: nunc autẽ cum humana ſpecies ſit ſufficienter multiplicata,nec deſint,imo innumeri ſint qui huic rei inuigilẽt,nõ opus eſt vt hæc lex omnes cõſtringat, maxime in Chriſtiana vocatione, quæ puritate cœleſti qua prędita eſt, omnẽ excedit naturã, in qua virginitas repleuit paradyſum:quare deficiente fine legis,mirũ non eſt, ſi legis vis & obligatio ſpiret,&nõ omnia indiuidua obliget:nec eſt timendũ quod omnes fiant cœlibes,quia nõ omnes capiunt verbum iſtud. Recte dicit Hieron.epiſt.ix.cõtra Heluidium tractãs hanc ſententiã, et loquens de patriarchis et cõiugĳs ipſorum. Pro conditione (inquit) temporũ,alię illi ſubiacuerunt ſentẽtiæ: et alteri nos, in quos fines ſeculorum deuenerunt: quia dum lex illa permanſit,creſcite et multiplicamini, et maledicta ſterilis quæ nõ parit ſemen in Iſrael, nubebant omnes et nubebantur. Cum vero vox illa pertonuit,tempus breuiatum eſt, reliquum eſt, vt habentes vxorem tanquam non habentes ſint, quia qui ſine vxore eſt, cogitat quæ Dei ſunt, quomodo placeat Deo. Aliter (ſcilicet) res ſe habet. Eundem intellectum patitur locus alius eiuſdem Geneſis, in quo volens creare mulierem,dixit:Non eſt bonum hominem eſſe ſolum,quia ſi ſolus fuiſſet creatus,ſpecies nõ multiplicaretur. Propter quã cauſam permiſſa eſt olim ſanctis patriarchis polygamia, nec exempla veteris legis adducenda ſunt ad propoſitum, etſi non defuerunt in ea qui hanc virtutem excoluerunt, tum quia in noua lege non eſt illa neceſſitas, tum etiam quia maior eſt nunc gratia et ampliora ſpiritus ſancti

Hieron.

Cor. 7

ſancti dona:deniqꝫ ſententia illa alio ſcripturæ loco ſatis accõmode temperatur,dicit enim Apoſtolus. Bonum eſt hominem mulierem nõ tangere.Multum certe debetur his noſtræ tẽpeſtatis proletarijs apoſtolis, quibus tantum curæ eſt de multiplicatione ſpeciei,vt pactiones quas libere Deo fecerunt,non ſolum temere reſcindant,ſed & alios ad hoc faciendum impellant,non contẽti ſemel cõcubinas prętextu matrimonij duxiſſe,(& eas quidem,quæ ſimili voto aſtrictæ Deo ſacratæ erant cõtra omne fas & nefas)verum ter aut quater nuptias iterẽt,contra oẽm Chriſtianam modeſtiã.Fateor inter nos quoqꝫ raros eſſe qui hac virtute prępolleant,& eam vt decet,exerceant: ſed aliud eſt virtutem aliquã operatione cõplere,aliud de virtutis excellentia bene ſentire. Prædicat Eccleſia cœlibatum,& ſacerdotali ordini merito fecit annexum, neminem abſolute cogit ad eum,vtpote quæ optime norit propriis viribus ab homine non poſſe impleri: cogit tamen eos qui libere huic ſtatui per votũ voluntariũ ſe adduxerunt,vt promiſſum adimpleant. Cęterum admiratur et ſuadet hanc ſanctam & euangelicã virtutem,& cum ſponſo ſuo inuitans dicit:Qui poteſt capere capiat,nemini diſſuadẽs,neminẽ deterrens ab officio ſanctæ virtutis,imo omnes ad meliora chariſmata et excellentiores virtutes æmulandas per ſcripturam & exempla ſanctorum incitat:non vt carnis iſti apoſtoli,qui ſcriptis,cõcionibus et exemplis ſuis corruptiſſimis ſacrum cœlibatum infamant & inhonorant: de hoc enim eſt quæſtio,pro hac virtute pugnãt viri Catholici & eccleſiaſtici,quam licet pauci aſſequamur,omnes tamen veneramur & admiramur. Nec deſunt hodie in Eccleſia per gratiam Dei,qui mortificationi carnis inuigilantes,huius triumphalis virtutis cõpotes facti ſunt.

1.Cor. 7 Alius locus Apoſtoli,in quo videtur iubere, vt vnuſquiſqꝫ propter fornicationem ſuam vxorem habeat,ex verbis ipſiuſmet Apoſtoli poteſt exponi.Nam cum ipſe ſuaſerit cœlibatum, & omnes homines velit eſſe ſicut ipſe erat in cõtinentiæ ſtatu,& de virginibus etiam conſiliũ dederit,qui fieri poteſt ꝙ abſolute pręcipiat omnes vxores ducere? implicaret enim ſe Apoſtolus,& manifeſto ſibi ipſi cõtradiceret. Nam cõtra pręceptum nõ admittuntur conſilia,neqꝫ cõſilia recta præceptis cõtraueniunt,imo ipſa pręcepta perficiunt. Quare ad ſolutos loquitur hic Apoſtolus,qui carnis tentationibus nunꝗ nõ ſuccumbunt.

Haud aliter interpretandus venit locus ille, ab aduerſariis toties decantatus,Melius eſt nubere q̃ vri:melius enim dixit cõparatione deterioris:nec dixit melius eſſe nubere,quam cœlibem eſſe, pugnaret enim manifeſte ſecũ Apoſtolus,quippe qui dixerat,patrem, qui matrimonio non iungit filiam ſuam virginem,melius facere,quam qui matrimonio tradit.Et de vidua quoqꝫ affirmauit,quod beatior erit, ſi ſic permanſerit,quam ſi denuo nupſerit. Vnde Hieronymus contra Iouinianũ: Tolle

Hieron.

ardorem

ardorem libidinis,& non erit melius nubere: melius igitur eſt ad cōparationem deterioris,ſicut melius eſt habere vnum pedem q̄ nullū. Neq; vri accipitur illic,vt aduerſarij putant,pro eo quod eſt tentari,alias Paulus continens nō fuiſſet, vtpote qui ſtimulum carnis habebat, a quo & collaphizabatur & tentabatur ſępiſſime, ac ſubinde nulli ſancti attentarent vſq; ad finem vitæ ſanctam continentiā conſeruare, quibus tam frequentes erant carnis tentationes, vt nihil magis obuium in eorum hiſtorijs inuenias,ſed ſuperabant & vincebant,& de carnis illecebris glorioſe triumphum reportabant,ſpiritus Chriſti virtute cōſortati atq; roborati, orationi inſiſtentes, corpus rigidis abſtinentijs & ieiunijs domantes,animam vero ſacris lectionibus, & ſanctorum virorum exemplis roborantes.Sine labore enim virginitatem habere aut poſſidere,aut inuſitati & diuini priuilegij eſt,aut non eſt laudis & virtutis, ſed naturę. Vnde nō ſatis euangelice ab aliquibus cōſulitur, vt tunc ſacrum cœlibatum amplectantur,cum ſenio cōfectos, leues aut nulli motus carnis pungunt. Vritur ergo non qui tentatur,ſed qui prope ſemper ſuccūbit tentationibus carnis, & qui carum occaſionibus delectatur, his dicit Apoſtolus (ſi liberi ſunt) conducibilius eſſe nubere, quam vaga & indiſſoluta luxuria diſtrahi, ob idq; præcipiebat Apoſtolus iuniores viduas nūbere.

Quid vri

Quis vritur

Et multo minus facit contra ſacrum cœlibatum,locus ille alius Apoſtoli, Oportet epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, imo magis videtur probari cœlibatus per ipſum:nam non pręcipit ibi Apoſtolus epiſcopis id,cuius oppoſitum omnibus alias cōſuluit, maxime epiſcopo, in quo maior requiritur vitæ puritas,& abſtractio a carnalibus & ſecularibus curis,ſed quia in principio naſcentis Eccleſiæ, non tot erant cœlibes, qui ſufficienter poſſent munus epiſcopatus obire, mariti interdum ad regimen Eccleſiæ aſſumebantur,a quibus illud expoſcit Apoſtolus, ne ſint polygami,hoc eſt,incontinentes. Polygamia enim manifeſtū ſignū incontinentiæ eſt,ideo in Eccleſia in deſpectu ſemper habita fuit,nec benedicuntur a ſacerdotibus qui nuptias repetunt. Et lege etiā eccleſiaſtica cautum eſt,ex hoc Apoſtoli præcepto deducta, ne bigami ad ſacerdotium aſſumantur,vt patet ex titulo de bigamis. Eſſe autem tēpore apoſtolorum epiſcopos & ſacerdotes cœlibes, ex ipſis apoſtolorum regulis colligi clare poteſt. Nam in trigeſimo nono canone, qui de teſtamento epiſcoporum facit mentionem, vbi faciunt apoſtoli copiam epiſcopis legandi res ſuas, hanc aſſignant rationem. Quia nōnunquam (inquiunt) vxorem, liberos, aut ſeruos, aut cognatos habent. Vbi bene nota nō ſolum non omnes epiſcopos eſſe coniugatos tempore apoſtolorum, ſed & raros eſſe qui cœlibes non eſſent. Canon tamen vigeſimus quintus clarius hoc exprimit,non ſolum de epiſcopis, ſed etiam de clericis. cuius

1. Timo. 3

Titul. de bigamis

Canon apoſtolorū 39.

Canon apoſtolorū 25.

c verba

verba ſunt:Ex his qui cœlibes in Clerum peruenerunt,iubemus volentes vxores accipere,lectores & cãtores ſolos.Sic enim ad verbum e Grɛco tranſlatus habet Canon iſte,qui ſatis clare indicat cœlibes tempore apoſtolorum ad clericatum & ſacerdotium aſſumi, ſoliſq; gradibus inferioris Cleri,vt vxores accipiant poſt ordinationem, permitti. Et ſi vxorem habere iuberentur epiſcopi, Ioannes apoſtolus in peccatis ſemper vixiſſet, qui virgo permanſit, apoſtolus & epiſcopus meritiſſimus totius Aſiæ. Ineptus epiſcopus fuiſſet Clemens, Anacletus, Ignatius, Dionyſius et Timotheus,qui omnes diſcipuli apoſtolorum fuerunt,& cœlibes fuiſſe conſtat.Illis ergo verbis Apoſtoli continentia magis cõmendatur,q̃ matrimonium prɛcipiatur, & hunc locum ſic intellexerunt omnes ſancti & tota Eccleſia.

QVOD LAVDABILIS SIT STVDIOSVS & Deo gratus cœlibatus.

Iſaiæ. ESaiæ lxv. Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbata mea,& elegerint quɛ ego volui,& tenuerint fœdus meum,dabo eis in domo mea & in muris meis locum, nomen ſempiternum. Quæ verba D.Baſilius libro de virgini-
Baſilius tate,de his qui voluntarie propter regnum cœlorum ſe caſtrant, intel-
Hieron. lexit.Item & D.Hieronymus. Chriſtus autem redemptor noſter Mat-
Mat. 19 thɛi xix. tres differentias ponit Eunuchorum:Sunt Eunuchi (inquit) qui de matris vtero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi qui facti ſunt ab hominibus,et ſunt Eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorũ.Et adijcit:Qui poteſt capere,capiat. Ex quo loco duo clare colliguntur: Alterum,cœlibatum eſſe laudabilem, nã non poſſet a ſumma veritate cõmendari,niſi eiuſmodi res eſſet. Alterum,quod ad regnum
Apoſt. cœlorũ acquirendum iuuat chriſtiane obſeruatus. Rurſus Apoſtolus 1.Cor.vij.Volo autẽ omnes homines eſſe ſicut me ipſum, ſed vnuſquiſq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius vero ſic: dico autẽ non nuptis et viduis,bonũ eſt ſi ſic permanſerint ſicut et ego. Ex quo loco ſatis clare cõuincitur apoſtolum Paulũ fuiſſe virginem, aut ſaltem continentẽ:nec volo hac in re multum moroſus eſſe, ſcio Igna-
Ignatius Euſebius tium et Euſebiũ affirmare, cum non fuiſſe virginem,ſed coniugatum,
Hieron. Epiphan. quãuis Hieronymus et Epiphanius, et fere omnes contrarium ex hoc loco nõ ſine apparẽtia affirment. Satis nobis eſt q̃d hic de ſe loquatur, veluti ſi vxorem non haberet,nec inter cõiugatos ſe numerat. Si igitur bonũ eſt manere ſine cõiugio,laudabile ſubinde erit,et ſi Chriſtiana intentiõe fiat, meritoriũ erit,qd ni? Quo fit vt obliqua,hɛretica et prorſus dãnata gloſſa ſit,quã aduerſarij illi loco Geneſeos aſſignãt, Nõ eſt bonum hominẽ eſſe ſolum,dicentes malum eſſe vxorem nõ ducere, quia

quod

quod Deus omnipotens dixit, vt creationem ſpeciei humanæ perfectã faceret, illi ineptiſſime detorquent ad coniugium, dicentes: non eſſe bonum hominem eſſe ſine coniugio. cuius omnino contrarium dicit hic Apoſtolus, vt videas quam ſint Paulini hi noui euangeliſtæ. Adde q̊d non cõtinuo ſequitur, quod quicquid non eſt bonum, vt ſubinde malũ eſſe debeat: non enim ſunt bonum & malum cõtraria immediata, ita vt ex negatione vnius, liceat inferre poſitionem alterius. Quod ſi bonum eſt ſic eſſe, vt Apoſtolus dixit, cum nõ ſit corpori bonũ, reſtat vt ſit animæ proficuũ. Et paulo poſt: De virginibus præceptum Domini nõ habeo, conſilium autem do tanquã miſericordiam conſecutus a Domino. qui ſubiungẽs cauſam ſui cõſilij, addit: Mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. quod D. Baſilius perpendens ait lib. de virginitate: Deo placere velle, nil aliud eſt quam ſe ipſum laudatũ & beatũ, & ſimilem ipſi efficere. Adeſt fructus pręcipuus Chriſtiani cœlibatus, vt ſcilicet in vtraq; natura corporis & animæ homo ſanctificatus, Deo indiuulſe adhęreat, propter quod ſubiungit Apoſtolus: Hoc autem vt vobis vtile propono, non vt laqueum inijcio, ἀλλὰ πρὸς τὸ εὔσχημον καὶ εὐπρόσεδρον τῷ κυρίῳ ἀπερισπάστως. Id eſt, vt decens quidam & indiuulſe adhærens Domino ſine vlla diſtractione propono. Hic enim eſt germanus ſenſus illorum verborum, vt Hieronymus epiſtola v. cõtra Iouinianum recte interpretatur. Certe ſi nihil poteſt eſſe ſanctius aut ſalubrius Chriſtianæ animæ, q̃ vnum ſpiritum fieri cum Deo, & cũ ipſo delitiari & conuerſari, tanquam cum ſponſo & factore ſuo ſacer cœlibatus, qui ad hoc ordinatur tanquam mediũ legitimũ et fere vnicum, non poteſt nõ eſſe res ſanctiſſima atq; laudabilis. Rurſus 1. Timoth. iiij. Honora (inquit) viduas quæ vere viduæ ſunt. At honor nõ debetur niſi aut dignitati, aut virtuti. Cum igitur Chriſtiana viduitas quæ pars cœlibatus eſt, dignitas non ſit, relinquitur quod ſit virtus ſecundũ Apoſtolum, ac ſubinde res ſancta et laudabilis, et ſi Chriſtiane fiat, apud Deũ valde meritoria. Illuſtriſſimus tamẽ eſt locus apud Ioannem in Apocalypſi, de his qui coronam & peculiarem aureolã, ob id quod corpus ſuũ cum mulieribus nõ coinquinauerũt ſunt promeriti, quod ſequẽtes agnũ cantabant quaſi canticum nouum ante ſedem, et ante quatuor animalia et ſeniores, et nemo poterat dicere canticũ niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt (inquit) qui cũ mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt. Cum enim canticũ illud nouum, nõ aliud deſignet nobis q̃ ſpecialem beatitudinem, quam virgines ex tropheo carnis ſuæ meruerunt, conſequitur virginitatẽ ipſam gratioſam et meritoriam eſſe apud Deum, ac ſubinde ſacrum cœlibatũ, ea parte qua cũ virginitate cõmunicat, (habent ſe enim ſic totum, et ſubiectiua pars) meritorium eſſe. Ad hæc, cum cœlebs continuum

Baſilius

1. Tim. 4

Apoca. 4

gerat bellum cum carne & cõcupiſcentia,et omnis qui legitime certat,a
Apoſt. Deo coronetur, vt ait Apoſtolus ij.ad Timoth.ij. non coronabitur niſi qui legitime certauerit,promerebitur plane pręmium apud Deum. Sunt etiam in hoc omnes eccleſiaſtici ſcriptores,& ſancti & antiqui viri apoſtolici,qui non ſolum,vt rem admirabilẽ,virtutem iſtam cõplexi ſunt, ſed tractatus de hac re ſcripſerunt,vt modis omnibus ad virtutem hanc
Hieron. complectendam fideles attraherent. De D. Clemente refert Hierony-
Martia. mus,quod librũ ſcripſerit de virginitate. Sanctus ille Martialis Christi diſcipulus,epiſtola ad Toloſanos cap. x. poſtquã egit de ſancto et laudabili matrimonio,ad cœlibem ſtatum ſe cõuertens, dicit: Vltra hunc autem gradum homini licite cõceſſum, viduitatem in pręmio maiore Chriſtus conſtituit,ſed et tertium excellentem gradũ honeſtatis in virginitate demonſtrauit nobis perfectum, et per omnia ſimilem angelicæ dignitati,ad quem inuitabat nos dicens: Non omnes capiunt verbum iſtud,ſed qui poteſt capere capiat.et paucis interpoſitis ſubiungit: Ideo prędico vobis,quicunq; viduitatem propter recõpenſationem elegerint, nõ fraudabuntur munere charitatis Dei: qui vero in ſublimitate excelſiori permanſerint,virgines eſſe eligentes,centuplicatã in perpetua benedictione gloriam cõſequentur. hæc ille. Vbi ſunt modo qui negãt fructus triceſimos,ſexageſimos,centeſimos,in bonis operibus, cum hic beatus Chriſti doctrina imbutus, eos tã aperte cõcedat, ſupremas partes virginitati tribuendo? Hic clariſſimus eſt & auguſtiſſimus fructus ſa-
Ignatius cratæ cõtinentiæ.Ignatius ſacratiſſimus epiſtola ad Tarſenſes & Philippenſes,& ad Philadelphienſes,magnũ honorem exhibet virginibus & cõtinentibus. Primo in loco ſic dicit:Eas qui in virginitate ſunt,honorate,ſicut ſacras Chriſto viduas pudicas, vt ſacrariũ Dei veneremini. Secundo loco cõmendans cõiugatis amorem mutuũ ſanctus iſte martyr adiecit de cõtinentibus: Qui caſtus eſt vel cõtinens,nõ extollaẽ,ne perdat mercedem ſuã. In primo loco,quia honorandã dicit eſſe cõtinentiam, ex conſequẽti,inſinuat cœlibatũ eſſe virtutem. In ſecundo aperte dixit mercedem apud Deum cœlibẽ habere. Putabis duos vel tres fuiſſe cœlibes tẽpore iſtius beati,audi quod in ſubſcriptione epiſtolæ dicit: Saluto cõgregationem virginum,legionẽ viduarum,a quibus adiutus ſum. Tertio vero loco ſic docet: Virgines ſolũ prę oculis Chriſtũ habete,memores ſitis ſanctitatis veſtræ,ſicut Heliæ Ieſu naue,ſicut Melchiſedech, ſicut Heliſęi,ſicut Hieremię,ſicut Ioannis Baptiſtæ,ſicut dilectiſſimi diſcipuli,ſicut Timothei,ſicut Titi,ſicut Euodij, ſicut Clementis, & eorũ, qui in caſtitate de vita exierũt. Bone Deus quantũ chorũ ſacratiſſimorũ cœlibũ nobis propoſuit hic martyr ſanctiſſimus,tũ ex diſcipulis apoſtolorũ,tũ etiã ex veteri Teſtamento? Certe nõ ignorabant hi prophetæ & apoſtolorũ diſcipuli Dei volũtatẽ,quantũ ad hoc attinet,nec apoſtolicã

doctri-

doctrinam,et intellectũ eius. Neſcio quæ dilucidior intelligentia poſſit eſſe locorũ Apoſtoli, aut euangelij,quam iſtorum ſanctorũ ſenſus atq; exercitiũ,qui veluti omniũ virtutum matrẽ,ſanctam cõtinentiam cõplectebantur: cõfirmantibus hoc ipſum alijs ſanctis & eccleſiaſticis viris ſubſequentis ætatis.

Tertullianus enim lib.vij.ad vxorem de ſancta cõtinentia & duabus partibus eius,præclarum exhibet teſtimoniũ. Continẽtia(inquit)nobis ad inſtrumentũ æternitatis demõſtrata eſt a Domino & ſalutis a Deo, ad teſtimonium fidei ad cõmendationem carnis iſtius exhibendæ,ſuper venturo indumento incorruptibilitatis. Tertull.

In virginibus integritas ſolida & tota ſanctitas, de proximo viſura faciem Dei:tamen vidua habet aliquid operoſius,quia facile eſt non appetere quod neſcias,& auerſari,quod deſideraueris nunquam. Glorioſior cõtinentia quæ ius ſentit. Poterit virgo fœlicior haberi,at vidua laborioſior:illa quod bonũ ſemper habuit: iſta quod bonum ſibi inuenit: in illa gratia,in iſta virtus coronatur. Tertull.

Hic clare ſancto cœlibatui tribuit ſanctitatem, fœlicitatem, et quod inſtrumentum ſit perueniendi ad æternitatem. Narrat etiam Euſebius ex mente Philonis,qui contemperaneus extitit apoſtolorum,ij.libro ſuæ hiſtoriæ,de ſchola illa benedicta Heremicolarũ, quam D.Marcus euangeliſta in partibus Aegypti inſtituit,a qua tot examina & myriades cœlibum et admirabilium virorum in Eccleſia proceſſerũt. Quæ inter alia Chriſtiana exercitia ſanctum cœlibatum tanquã fundamentum perfectionis ſtatuebant. Hæc ſunt verba eius de illis:Continẽtiam vero velut fundamentum quoddã primo in animo collocant, et ita demũ reliquas per hanc pergunt ædificare virtutes. Et paulo poſt: Cum viris autem quos diximus,ſunt et fœminæ,in quibus plures iã grandæuæ ſunt virgines,integritatem caſti corporis,nõ neceſſitate aliqua, ſed deuotione ſeruantes:qui tertio etiam libro de filiabus Apoſtoli Philippi faciens mentionem,ipſas dicit virgines permãſiſſe vſq; in finem vitæ. Euſebius

Cyprianus tantũ tribuit ſanctæ virginitati,tractatu de habitu virginum,vt illuſtriorem portionem gregis Chriſti virgines ſanctas appellet. Nunc(inquit) nobis ad virgines ſermo eſt, quarum quo ſublimior gloria, maior et cura eſt. Flos eſt ille eccleſiaſtici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ ſpiritualis,læta indoles,laudis et honoris opus integrũ atq; incorruptũ,Dei imago reſpondens ad ſanctimoniã Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Et paucis interpoſitis cõuertens ſe ad virgines,ait:Primus cum centeno martyrum fructus eſt, ſecundus ſexagenarius veſter eſt. Vt apud martyres nõ eſt carnis et ſeculi cõtagio, nec parua et leuis et delicata cõgreſſio:ſic et in vobis,quarum ad gratiã merces ſecunda eſt,ſit et virtus ad tolerantiam proxima. Non eſt ad magna fa- Cypria.

tilis aſcenſus. Quem ſudorem perpetimur, quem laborē cum conamur aſcendere colles & vertices montiū? Quid vt aſcendamus in cœlum? Si premium pollicitationis attendas, minus eſt quod laboras. Immortalitas perſeueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur. Seruate virgines, ſeruate quod eſſe cœpiſtis, ſeruate quod eritis. Magna vos merces manet, premium grande virtutis, munus maximum caſtitatis. Quam eleganter, quam pie damnauit hic ſanctus martyr aduerſariorum ineptas blaſphemias. Prędixit enim omnino cōtraria his quæ ab ipſis affirmātur. Nec his cōtentus ſanctus hic pater, ſed elegantem de ſingularitate clericorum cōpoſuit libellum, in quo milies approbat & laudat hoc ſanctum de cœlibatu inſtitutum.

Mirabilis fuit pietas D. Cōſtantini magni, in eos qui ſe propter regnū cœlorum caſtraſſent. Nam inter alia egregia pietatis opera, quæ de ipſo narrāt hiſtoriographi fide digni, Romanā illam legē, quam in odiū humanę ſterilitatis Romani olim excogitarunt, qua cauebatur vt cœlibes priuilegijs habentiū cōiuges non gauderent, nec capaces eſſent hæreditatis per teſtamentum relictæ, abrogauit, et publica lege inſtituit, quatenus cœlibes æqualibus priuilegijs gauderent atque vxorati, inſuper & amplius illo habere ſanciuit, vt ſiue eſſent maſculi ſiue fœminę, quāuis legitimam ætatem condendi teſtamentum non attingerent, nihilominus de bonis ſuis teſtari poſſent, contra cōmunem legem. Et addit Zozomenius rationem (nam is eſt qui iſta refert:) Quia (inquit) omnes bene cogitare iudicabat, quorum eſſet Deo placere ſemper. quod clarū argumentum eſt vſitati olim cœlibatus in tota Eccleſia: nam pro paucis lex iſta non fieret.

Lex Cō-
ſtantini
fa-
uorem cœ-
libum
Zozome-
nus cap.
10. primi
libri tri-
partiti.

Magnus quoq; Athanaſius librum ſcripſit egregium de virginitate, in quo omnes lineæ vſq; ad apices ipſos, nihil aliud quam approbatio & laus ſunt huius ſacroſancti ſtatus. Ex multis quæ dicit, vnum duntaxat afferam teſtimonium, & id quidem illuſtriſſimū. Dicit igitur loquens cum virgine: Memento cui oporteat te exhiberi. Grauis eſt exercitatio, difficilis cōtinentia, ſed nihil dulcius cœleſti ſponſo. Hic laboramus pauliſper, illic autem vitā æternam recipiemus. Ait enim ſanctus Paulus: Non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Bonum eſt effugere turbas & recedere in ſolitudinem. Magna virtus cōtinentia, magna gloria caſtitas, magna ſunt virginitatis pręconia. O virginitas, diuitiæ incompręhenſibiles. O virginitas, corona inmarceſſibilis. O virginitas templum Dei, et ſancti ſpiritus domicilium. O virginitas margarita precioſa, apud multos latens, a paucis vero vix inuenitur. O cōtinentia, amica Dei, et apud ſanctos laudata. O continentia, vulgo inuiſa, ſed ijs qui te digni ſunt nota. O continētia, mortē & inferos effugiēs, et immortalitati adhęrens. O cōtinentia,

Athanaſ.

Apoſt.

tinentia, gaudium prophetarum, apoſtolorũ gloria. Ô continentia, angelorum vita, et ſanctorum hominũ corona. Beatus qui te tenet. Beatus qui per ſapientiam tibi conſtanter adhęret, quoniam poſtquam paululũ laborauerit, multa recipiet munera in te. Beatus qui per totum hoc tẽpus ieiunarit, quoniam in æterna Hieroſolyma habitabit, cumq; angelis choreas ducet, cumq; ſanctis prophetis & apoſtolis requiem habebit. hęc ille. Non ſolum encomia admiranda de ſacra continẽtia prædicauit nobis Athanaſius, ſed et locos Apoſtoli 1. Cor. vij. q de hac virtute loquuntur, nõ aliter intelligit in hoc tractatu, quam hodie ſancta mater Eccleſia intelligit. Omitto hic magnum Baſilium, qui tractatum ſcripſit de virginitate, & inter alia encomia ipſius dicit, alam eã eſſe animæ, qua ad Deum currit, per ſimilitudinem ei ſe aſſimilando. Baſilius

Item Epiphanius contra Valeſios tractans illud, Sunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt: Qui ſunt (inquit) iſti, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum? generoſi apoſtoli, & monaſticam vitã degentes, deinceps virgines. Ioannes quidem & Iacobus filij Zebedęi, qui manſerunt in virginitate, neq; tunc proprijs manibus mẽbra reſecuerunt, neq; nuptia cõtraxerunt, ſed proprio corde decertarunt, & mirabiliter gloriam coronæ huius certaminis abſtulerũt: poſt ipſos vero, quot millia in mũdo ſolitariam vitã degentes, qui corporibus mulierum nõ corrupti ſunt, ſed in perfectiſſimo certamine decertauerunt. Velut etiã Helias in veteri Teſtamento reperitur. Et Paulus dum dicit: Bonum eſt enim ſi ſic permanſerint. et Paulus dum dicit: Bonum eſt enim ſi ſic permãſerint, ſicut & ego. Vides vt interpretatur locum Pauli, ſicut & nos, hic vir grauiſſimus. Epiph.

Chryſoſtomus homil. in Geneſin xviij. Cogita (inquit) dilecte, quanta virginitatis dignitas, ſublimis et magna profeſſio, atq; ſuper humanam naturam, & quę opus habeat manu ſuperna, quandoquidẽ qui virginitatẽ alacriter arripiũt, in corpore ea agunt q̃ incorporea ſunt virtutũ. Chryſo.

Diuus Ambroſius de virginitate librum elegantẽ ſcripſit, item epiſtolas multas ad virgines. Ambroſ.

Diuus Hieronymus totus in certamine eſt cõtra Heluidij & Iouiniani latratus, ſacram hanc virginitatem & cœlibatum defendens & ſtatuens. Vnum non ſilebo quod ſcribit ad Euſtochiũ: Habeant nuptiæ tẽpus ſuum, & titulus mihi virginitatis in Maria dedicatur & in Chriſto. Dicat aliquis: audes nuptijs detrahere, quæ a Domino benedictæ ſunt? non detrahitur nuptijs, cum illis virginitas antefertur. Glorientur & nuptæ cum a virginibus ſunt ſecundæ, creſcat & multiplicetur ille, qui impleturus eſt terram, tuum agmen in cœlis eſt. Poſt paradyſum & nuditatem ſunt folia auſpicantia pruriginem nuptiarum, nubat & nubatur ille, qui in ſudore vultus ſui comedit panem ſuum, cuius Hieron. Epiſt. ad Euſtoc.

terra ſpinas generat et tribulos: cuius verba ſentibus ſuffocatur. Meum ſemen centenaria fruge fœcundum eſt. Et epiſtola v. cõtra Iouinianũ. Sicut abſq; cæteris operibus virginitas ſola non ſaluat: ſic omnia opera abſq; virginitate, caſtitate, abſtinentia, imperfecta ſunt. Item capite ſeptimo cõtra eundem tractans illud, Qui poteſt capere capiat: Grandis (inquit) fidei eſt, grandiſq; virtutis, Dei templum eſſe puriſſimum, & iuxta eundem Apoſtolum ſanctum eſſe corpore & anima.

Hieron. contra Iouinia.

Auguſt.

D. Auguſtinus epiſtolam ſcribit ad virgines & viduas. Item regulã præſcripſit de virginibus in monaſterio coadunatis. Cœnobia quoque conſtituit monachorum et clericorum: & generaliter omnes iſti ſancti patres & ſequentes, aut monaſteria cœlibũ erexerunt, aut modũ viuẽdi, caſtitatem profeſſis tradiderunt, aut ipſi ſeruauerunt. Nec vnquam illos pertæſum eſt, aut inſtituta ſua in hac parte retractauerunt, neq; nos lateret, ſi retractaſſent, ſed magis poſteros ſuos in hoc propoſito confirmauerunt, vt patet ex ipſa rerum conſequẽtia. Quod ſi aliquãdo ſancti iſti patres inſtitutum retractarunt, veluti nugantur aduerſarij, oſtendãt nobis, & tunc nõ opponemus eis totum chorum ſanctorum patrum ſuæ carnali opinioni repugnantem, quod ſat ſcio nõ oſtendent. Nec cœlibatum vitioſum reddit & illaudatum, quia mediocritatem nõ videatur ſeruare virtus hæc: tum quia hæc virtus ſupercœleſtis eſt, nec de numero illarum, quibus Ariſtoteles mediocritatis regulas ſecundum prudentiã humanam præſcribit: tum etiam quia licet non ſeruet mediocritatem, quantũm ad medium rei, ſeruat tamen eam ſecundũ rationem ſpiritu Chriſti reuelatam, ita vt de carne triumphet, ſecundum quod recta ratio ſpiritus cõſulit, non deficiens neq; ab ea diſcedẽs: quod non ſolum in virtute hac ſupernaturali cõtingit, ſed in magnanimitate & magnificẽtia, quæ virtutes morales ſunt, concedunt philoſophi, illam circa maximos honores, hanc circa maximos ſumptus præſcribentes.

TERTIVS ARTICVLVS.

SANCTA CONTINENTIA NECESSARIO gaudet Eccleſia ſicut & alijs donis & virtutibus.

Mirabitur aliquis quod rem quam ex cõſilio & voluntarie cõplectendam Chriſtus dixerit, nos dicamus eam eſſe neceſſariam. At non eſt quod miretur qui recte perpenderit: non tribuimus hoc ſingulis mẽbris Eccleſię, nec intendimus eos obligare ad continentiam, ſed volumus dicere quod ſicut aliæ virtutes, fides, charitas, ſpes & alia dona, per Chriſti meritum & Dei munificentiã corpori Eccleſiæ cõmunicantur, ita vt ſecundum leges adeo pręſcriptas a corpore Eccleſiæ nequeant ſeparari: ita & hæc virtus angelica ab ea

minime

minime abeſſe poteſt,nunc in his mēbris,nunc in illis,nunc in pluribus, nunc in paucioribus. Cum enim Eccleſia Chriſti militans ad inſtar corporis naturalis ſe habeat,ex varijs coadunata mēbris,prout docet Apoſtolus 1.Cor.xij.et hæc mēbrorum diuerſitas accipiatur ſecundum diuerſitatem graduū,gratiarum atq; donorum Dei, in vno ſpiritu, dicit enim ibidem Apoſtolus diuiſiones gratiarū ſunt, idem autē ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt,idem autē Dominus,et diuiſiones operationum ſunt,idem vero Deus,qui operatur omīa in omnibus, ſitq; per eundē apoſtolum cœlibatum manifeſtū Dei donū. Dicit enim : Volo autē omnes homines eſſe ſicut me ipſum, ſed vnuſquiſq; proprium donum habet ex Deo,alius ſic,alius vero ſic: cōſequitur neceſſario ex his duobus locis,ad perfectionē corporis Eccleſiæ, donū cœlibatus pertinere. Et cū ipſa ſit perfecta,quippe quæ ſponſa illius eſt, qui pro ea morti ſe tradidit, vt exhiberet illam ſanctam,glorioſam, non habentē maculam neq; rugā:neceſſario ergo ſuppoſita Eccleſię perfectione,quā nemo recte ſentiens poteſt negare,virtus hæc regnat in ea, nūc in his, nūc in illis, id quod ipſe ætatum decurſus ſatis oſtēdit. Semper enim proſpexit Deus benedictus ſuæ Eccleſiæ de ſanctis viris,virginibus delicatis,qui in corporibus infirmis de carne ſua glorioſe triūphaſſent,& in terra iam poſiti vitam cū angelis quodāmodo habuiſſent cōmunem. Ratio etiā ipſa efficaciſſime videtur hoc ſuadere. Nam cū Eccleſia Chriſti, et religio eius tota ſit in ſpiritu fundata, minime credendū eſt, ab eius corpore abeſſe virtutē tam admirabilem & ſpiritualē. Perfectiſſimo enim excellentia debentur:alioqui ſi hac virtute ſanctiſſima Eccleſia careret, cum ſit donum Dei,cuius capaces ſunt rationales creaturæ, expectanda eſſet in hoc mūdo aliqua cōgregatio perfectior, aliqua religio ſanctior,q; Chriſtiana et apoſtolica,cui Chriſtus perfectius cōiungatur,cui dona omnia hęc virtutū ab ipſo cōmunicentur: quod eſt incidere in fatuum errorem Montani et Maximillę. Et huc tendebat pſalmographus,quādo in pſalmo xliiij. epytalamiū cecinit Eccleſiæ ſponſæ veri Meſſiæ Dei & hominis,prout omnes ſancti in ſenſu literali intelligūt: Aſtitit (inquit) regina a dextris tuis,in veſtitu deaurato,circūdata varietate. et oſtendens partē varietatis huius admirabilis, ſubiungit: Adducentur regi virgines poſt eā,proximę eius offerentur tibi. de qua dicitur Cantico. iij. quod eſt ſicut virgula ſumi,ex aromatibus myrrhę & thuris,& vniuerſi pulueris pygmētarij. Pręclarū ad hoc propoſitū eſt in D. Epiphanio teſtimoniū, cū hereticos qui ſe vocabāt Angelinos,impugnat: Similis eſt (inqt) ſancta Dei Eccleſia naui:nauis autē non ex vno ligno conſtat,ſed ex diuerſis,& carinā quidem ex vno ligno habet,ſed nō vno modo. Ancoras autem ex alia materia, mali item & tabulata & puppis, partes parietum atque tranſtrorum, velorum, item artemonum, gubernaculorumq;

ac alio-

Marginalia: 1.Cor. 7 — Pſal. 44 — Epipha.

ac aliorum omnium, ex diuerſis linguis cõpactionem habent, et ſubdit: Sancta autem Dei Eccleſia,nuptias quidẽ habet reuerendas,et colit has. Nam venerabiles ſunt nuptiæ et lectus impollutus:habet continentiam in admirationem,& laudat talem, quoniã certat certamen , & cõtemnit vitam:velut adhuc potentior habet virginitatem,& magnificat talem, velut virtuoſam & pena leuiſſima ornatam. Habet qui renunciauerunt mundo,&non inflatur cõtra eos qui adhuc in mundo ſunt,ſed gaudentes talibus,velut etiam apoſtoli,qui & ipſi nihil poſſidebant, & ipſe ſaluator omnium Dominus cum in carne eſſet nihil extra poſſedit. Sed nõ reiecit mulieres,ipſe et diſcipuli eius miniſtrãtes.Et infra:Dei enim nauis omnem inſcenſorẽ admittit, præter latronem & pyratã, & fugitiuum, qui a proprijs domibus recedit. Sic et ſancta Dei Eccleſia nõ admittit ſcortationẽ,non ſuſcipit adulterum, non abnegationẽ Dei, necꝫ reprobantes Domini ordinationes & apoſtolorum. Suſcipit autẽ aliũ in magna negotiatione,alium in experiẽtia nauigantẽ, alium gubernatorem & ſcientem,alium in prora,alium in puppi,habentem ſpeculatiõis experientiam,alium in ſolo,vt tranſeat ſolum,&nõ ſubmergatur in mare,nouit omnes ſaluare,vnumquemcꝫ iuxta propriã negotiationem & ſalutẽ. Vnde illud: Salutãt vos qui ex domo Cæſaris ſunt. Non vides neceſſitatem diuerſitatis ſtatuũ atcꝫ donorꝝ et gratiarũ (inter quas donum huius ſanctæ virtutis numerat hic vir apoſtolicus in ſancta Dei Eccleſia) ex quibus in vno ſpiritu,impartiẽte vnicuicꝫ mẽbro donum prout vult, vnitas reſultat in corpore Eccleſiæ mirabili diuerſitate coaptata? Quo fit vt cõuenticula aduerſariorum ad Chriſti Eccleſiam minime pertineant.Cum in illis non reperiatur diuerſitas ſtatuũ, & diſtributio donorꝝ & gratiarum,quippe qui ab ea cõgregatione ſe ſeparent, in qua floruit, floret atcꝫ florebit ſanctiſſima virtus hæc.Non enim admittit hæc nauis apoſtatas atcꝫ transfugas.

Quomodo cõtinentiæ donum inſit nobis

Qualiter vero hoc donum cõmunicetur,videor mihi quod aliquãdo Deus præuenit homines dono iſto:quod negare nõ poſſumus in Chriſto,qui omni benedictione repletus eſt ab inſtanti incarnatiõis ſuæ, & non eſt illi datus ſpiritus ad menſurã:& in virgine matre, et Ioanne Baptiſta,et Hieremia,quos ſanctificatos et præuentos eſſe credimus in vtero matris ſuæ,qui hac virtute mirum in modũ præpolluere: alijs vero cõmunicatur per orationis exercitium, quod omnem naturã vincit, et per Chriſtianam diſciplinã,cauendũ quantum in ſe eſt,omnẽ occãſionem et irritamentum cõcupiſcentię.Magnus namcꝫ Baſilius in ſuis exercitamentis,eum quem ab irritamentis quæ integritatem poſſunt impedire libenti animo abſtinere ſe cognoſcit, gratiam veræ virginitatis habere affirmat,quod donum exercitio ſuadet, vt cõparetur monachis ſuis: Non ſola(inquit)abſtinẽtia a procreandis pueris virginitatis donũ acquiritur

quiritur,ſed vniuerſa vita,et victus,et mores virginitatem agere debēt, cōtingit enim ſermone ſcortari,oculo adulterum eſſe,per manus inquinari,per cor inquinamēta ſuſcipere,et immodeſtiam circa cibum ac potum accidere. Qui enim in his om̃ibus ſub regula virginitatis ſe ipſum per continentiam cuſtodit,re vera oſtendit perfectum per ſe ipſum per omnia abſolutum,in virginitatis gratia. Vbi vides clare virginitatis donum nō eſſe in nobis ſolum gratia Dei, ſed exercitio etiam cōparari.

QVARTVS ARTICVLVS.

Voto firmare cœlibatum,nō ſolum pium, ſed expedientiſſimū eſt Eccleſiæ, & ex Traditione apoſtolica deſcendit.

IAm ex prædictis ſequitur multum falſos eſſe aduerſarios, cū putant nullos debere ad legem cœlibatus adſtringi, niſi qui Dei dono ſunt præuenti. Eo quod qui ſic aſtringuntur, rē promittunt (vt illis videtur) quæ nullo modo eſt in ſua poteſtate. Probauimus enim in poteſtate noſtra quodāmodo eſſe continentiam ſeruare. Et quāuis Dei gratia perficiatur, & nobis hoc donum cōdonetur,nō ob id ſequitur ſtultam eſſe promiſſionē cœlibatus:promittimus enim in baptiſmo abrenunciare diabolo & pompis eius. Inſuper legis Dei perfectam obedientiam:quā tamē nemo perficit ſine ſpeciali gratia Dei. Adde quia cū rari aut nulli ſint,qui dono iſto præueniantur, nec a Deo donetur taliter, vt is cui datur clare poſſit cognoſcere donū iſtud in ſe perfecte habere,expectanda eſſet ſpecialis reuelatio Dei,quotieſcunque aliquis cōtinentiam voluiſſet profiteri: quod videtur eſſe ridiculum,et minime in Eccleſia vſitatū. Sed neq; in his qui dono Dei ſe putaſſent eſſe præuentos,poſſet cōtinentia perdurare,nam cū non poſſit vita hæc,etiam ſi perfectorum ſit,ſine tentatione tranſigi, cum ille qui ſe putauit donum continentiæ habere,carnis tentationibus valide ſolicitaretur,facile poſſet dicere,ſi vellet a propoſito cōtinentiæ reſilire,deceptus ſum,non habeo donum Dei,quod me putabam habere, nolo amplius cœlibatū ſeruare. Quod præter hoc q̃d magnū ſcandalū in fidelium cordibus generaret,vocationem ſanctam cōtinentiæ ludibrio exponeret,ſi huiuſmodi virtutis perſeuerantia, mobilitate proponētis caſtitatē relinqueretur. Pugnat præterea doctrina iſta carnalis cū his quæ Eccleſia vidit & legit in multis membris ſuis, qui hanc heroicam virtutem mirifice excoluerunt. Legimus enim multa agmina ſanctorum cœlibatū perfecte ſeruaſſe, de quibus non conſtat quod hoc dono perfecte fuiſſent præuenti, cum ad vitæ continentiam ſe accingebant, ſed per orationem & abſtinentiæ rigorem,item ſeceſſum & ſacram lectionem,ſanctorum exemplorum refricationem, donum iſtud ſibi comparabant,

& a Deo

et a Deo impetrabant. Itaq; iudicio meo ſufficiet ad hoc, quod aliquis cœlibatui nõ temerarie ſe aſtringat, quod in ſe exploret nõnulla, quæ quaſi ſeminaria virginitatis ſunt. Primo inclinationem ad huiuſmodi genus vitæ, ita vt ſit collecti animi & nõ diſſoluti, neq; leuis: & hoc eſt quodãmodo naturale. Secũdo ſi cognouerit in ſe deſideriũ vehemẽs & deuotionem ad cõſequendam hanc excellentem virtutem. Tertio, quod ſit exercitio oratiõis deditus, & tẽperantiæ amator, aut magnopere deſideret profectũ in ijs. Quarto, ſi fiduciã habet in Domino, quod iſtam gratiam ab ipſo acquiret, fretus promiſſiõe Chriſti, qui dicit: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. In his videntur mihi (quę etiam ad gratiam Dei pertinẽt) ſeminaria quædã ſacri cœlibatus diuinitus eſſe, quibus in nomine Domini laudabiliter & recte poteſt quis ſe cœlibatus legi aſtringere. Cui enim iſta inſunt, cum a Deo ſint quaſi per anticipationem donata, nec ſint donata fortuito aut caſu, qui apud Deũ eſſe non poteſt, Deus qui dedit velle, dabit & perficere, ſi iſte nõ ſocorditer agit, ſed Deo cooperatur. Hic enim eſt mos Dei, vt ſemper velit perficere quod incepit. Nemo repẽte ſit magnus, ſed per quoſdã gradus ab imperfectis ad perfectiora tendimus. Hæc vero ſeminaria cõmunicari nobis in baptiſmo valde veriſimile eſt. Non enim putandũ eſt vt nõnulli Theologi putant virtutem virginitatis perfecte cõmunicari nobis in eo, quia Paulo repugnant, qui dixit cũ de Continẽtia loqueretur: Vnuſquiſq; donum habet ex Deo, alius ſic, alius vero ſic, ob idq; nõ inuitauit omnes ad cœlibatũ. Repugnat etiã experientiæ, quia fruſtra videtur poni habitus talis, cuius nullam ſentiũt inclinationem fideles, cũ veniũt ad vſum rationis: æquaq; ratione affirmare poſſint, quod infunditur in omnibus gratia interpretationis et prophetię, & curationum: quod pugnat cũ diuerſitate donorũ quã aſſignat Apoſtolus in Eccleſię corpore. Iſta ergo abundantia gratiarũ Eccleſiæ ſolum eſt, non quorumlibet indiuiduorum. Itaq; duos modos cõplectendi cœlibatum poſuimus: Priorem rarũ, qui ſine ſudoribus acquiritur, ſed credo q̃d nõ ſine ſudoribus conſeruatur. Secundum cõmunem, per quem fere omnes ſancti cœlibes perſecerunt, et e carne triumpharunt, initiatiue quidem gratuitũ, perfectiue autem ſudoribus & exercitijs, & ſpeciali Dei auxilio perficiendũ. Et de hoc loquebatur Chriſtus, & ad hunc inuitabat Apoſtolus, nõ ad priorem, quia ille, ex quo pręuentiõe Dei perfecte cõmunicatur, ipſe incitat, et quaſi cõpellit hominem ad ſanctum hunc ſtatum amplectendũ. Ad eos vero qui ſecundi ordinis ſunt, pertinent cõſilia & exhortationes, vt perficiant cum adiutorio Dei, quod ipſe diſſeminauit in illis. Et propterea dixit Chriſtus redemptor noſter: Qui poteſt capere capiat. Si enĩ loqueretur de primo ordine, dixiſſet: Qui habuerit donum proſequatur ipſum. qui enim dono pręuentus eſt, non capit donum, ſed quodãmodo

Duo modi habendi cœlibatus.

capitur

capitur a dono,quia mere paſſiue ſe habet,& nihil effecit in eius acquiſitione.Cum autẽ dixit:Qui poteſt capere capiat, plane deſignauit donum iſtud perfici poſſe in nobis noſtra diligentia, adiuuante tum ſua gratia.et quod dicit:Non omnes capiunt verbum iſtud,eo videtur pertinere,quia non omnes habent ſeminaria illa, quibus ſanctum donũ caſtitatis perficiatur,et quibus ad perfectum aſpirent.

Quod vero cœlibatus perfecte poſſit acquiri ab his, q ſeminaria hęc ſpiritus habent,ſi diligentiam prędictam cum gratia Dei apponant, Baſilius,Chryſoſtomus,Auguſtinus,Cyrillus,Iſidorus affirmant. Baſilius in lib.de virginitate applicans illud Deut. xxx. Mandatum quod ego pręcipio tibi hodie,non ſupra te eſt,neq; procul poſitum,neq; in cœlo ſitum,vt poſſis dicere:Quis noſtrum valet cœlum aſcendere,vt deferat illud ad nos,ſed iuxta te eſt valde ſermo tuus,vt facias illud. Sic(inqt) de virginitate, ne dixeris:Quomodo aſcẽdero in cœlum,vt illuc mihi virginitatis integritatem detraham, aut quomodo deſcẽdam in abyſſum, vt hanc olim a diabolo corruptam, mihi ipſi recuperem? verum quod dicit:Prope te eſt(inquit) et ſecundum naturam tibi ingeneratur virginitas,neq; igitur maria ad inquirendam ipſam penetrare opus habes,neque aërem immẽſum peruolare, neq; terræ circuitus ipſam inueſtigãdo dimetiri,aut ad cœlum ex terra ſub volando ad inuentionem ipſius prodire,verum velut dixi,teipſam,quomodo habes,cõſidera, et in te ipſam ſecundum naturam hanc occultam reperies,et ſi vis hanc apud te ſecurã manere,per vitã ſabbatũ age.Quibus verbis diuina manu ſimul et noſtra diligentia valde poſſibile affirmat eſſe,conſequi virginitatem: nam ſabbatum agere ſpiritualiter, nil aliud eſt q̃ Deo totũ debere vacare, et in ſanctis exercitijs occupari. qui virtutem hanc nãciſci cupit, quæ ſine ope DEI minime fieri poſſunt, quare non totum virginitatis negotium defert naturæ iſtæ vir ſanctiſſimus,vt verba illius videntur præ ſe ferre. Quod cœlibatus Baſilius

Chryſoſtomus homilia xxxvi. in Geneſin de hac eadẽ re ſic diſſerit: Continentiã eligere volentes non ſpectemus quod laborem habeat virtus,neq; quod virginitas magnum habet certamẽ,ſed quietem quę nos accipiet,cogitemus:hanc ſemper ante oculos noſtros depingentes, malę cõcupiſcentię refrenemus rabiem,vincamus carnis motus indecentes, et retributione mercedis laborum difficultatem abbreuiemus. Sufficit enim bonorum ſpes,vt etiam pericula cõtemptim aggrediamur: quanto magis vt virtutis labores fortiter feramus? Quãdo enim animo verſas,quod ſi ad breue tempus certaueris, et fulgidam ſeruaueris virginitatis lampadem, beata vita cenſeberis dignus,et cum ſponſo intrare poteris,modo accenſas habeas lampades et ſufficiens oleum, bonorum operum actionem inquam, quomodo non cum omni facilitate, diffici- Chryſo.

d lia

lia omnia tranſcurrere poteris, cogitans illud quod a beato Paulo dictũ eſt: Pacem ſectemini cum omnibus, & ſanctificationẽ, abſq; qua nullus videbit Dominũ? Vidiſti quomodo ſanctificationi pacẽ coniunxit. Nã vt ſciamus quod nõ ſolum corporis requirit puritatẽ, ſed & pacẽ, opportune meminit vtrumq; volens munire, & de vtroq; ſollicitas eſſe cogitationes, ita vt nulla ſit in nobis turbatio nullusque tumultus, ſed in trãquillitate & quiete verſemur, & cũ omnibus pacifice agamus, & manſueti ſimus & mites et humani, atq; adeo vt omnes virtutis colores in facie noſtra reluceant.

August. Beatus Auguſtinus cap. iiij. de libero arbitrio, conſecutionem huius doni labori noſtro et liberi arbitrij operibus, et gratiæ tribuit, libro de gratia et libero arbitrio, verſans illud, non omnes capiunt verbum iſtud.

Nunquid non liberum arbitrium Timothei eſt exhortatus Apoſtolus, dicẽs: Contine teipſum, et in hac re poteſtatem voluntatis oſtendit, vbi ait, non habens neceſſitatem, poteſtatẽ autem habens, vt ſeruet virginem ſuam: et tamen nõ omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datũ eſt: quibus enim non eſt datum, aut nolunt, aut nõ implent quod nolũt: quibus autem datum eſt, ſic volunt, vt impleant quod volunt: itaq; hoc verbum quod non ab omnibus capitur, quod aliquibus capiatur, et Dei donum eſt, et liberi arbitrij. Si ergo liberi arbitrij eſt aliquid oportet, nos agere vt ipſum conſequamur, et poſſideamus: non ergo nobis nihil agẽtibus expectandũ eſt, quod prævenìamur a Deo, ad hoc quod ad ſacrã continentiam accingamur.

Iſidorus D. et ſanctus noſter Iſidorus lib. ij. de ſummo bono cap. xl. præclare nobis hunc ſecundũ modum habendi cœlibatum præſcribit, uidelicet per gratiã et per orationẽ, et abſtinentiã, et alia ſancta exercitia, excellentiam huius ſtatus obiter declarans: A Deo (inquit) datur cõtinentia: ſed petite et accipietis. tunc autẽ tribuitur, quãdo Deus gemitu interno pulſatur, prælata eſt virginitas nuptijs: illud tm̃ bonũ, hoc melius: coniugiũ cõceſſum, virginitas admonita, nõ iuſſa: ſed ideo tamen admonita, q̃a nimis excelſa: geminũ eſt bonũ virginitatis, quia in hoc mũdo ſolicitudinẽ ſeculi amittit, et in futuro æternę caſtitatis prǽmiũ percipit. virgines fœliciores ſunt in vita ęterna. Eſaia teſtãte hęc dicit Dñs eunuchis, dabo eis in domo mea et in muris meis locũ, et nomen melius a filijs et filiabus illud q̃ cãtent quaſi canticũ nouũ, quod nemo poſſit cãtare, niſi illi, et ſequantur agnum quocunq; ierit. Ex craſſo ventre ſubtilis ſenſus gigni non poteſt, gulæ ſatietas nimia aciem mentis obtundit, ingenium hebeteſcere facit, & fomitem auget, neque enim poteſt quiſpiam virtutum perfectionem attingere, niſi prius eius domuerit ingluuiem. Vtrunque coniungit hic ſanctus, & diligentiam noſtram, & DEI gratiam:

Geminũ virginitatis bonum.

A Deo

A Deo(inquit)datur continẽtia,ſed oratione & abſtinentijs,& hanc vocat meritoriam,& excelſam facit virtutem:

Sanctus pater Cyrillus loquẽs de caſtitate libro nono ſuper Leuiticũ: Non auditis(inquit)ex diuinis ſcripturis, quod certamẽ eſt inter homines,carnis aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnẽ? & neſcitis quia ſi carnẽ ſolam nutriatis,& ipſam frequenti mollitie,ac iugi deliciarum fluxu foueatis,inſoleſcet neceſſario aduerſus ſpiritũ, & fortior illo efficietur?quod ſi fiat,ſine dubio eum in ditionem ſuam redactũ,ſuis coget legibus ac vitijs obedire:ſi vero ad Eccleſiam frequenter venias,aurem literis diuinis admoueas,explanationem cœleſtium mandatorũ capias, ſicut cibis & delitijs caro,ita ſpiritus verbis diuinis cõualeſcet, ac ſenſibus & cupiditatibus robuſtior effectus,carnem ſibi parere coget,ac ſuis legibus obſequi:nutrimenta igitur ſpiritus ſunt, diuina lectio, orationes aſſiduæ,ſermo doctrinæ:his alitur cibis,his cõualeſcet,his victor efficitur:quod quia non facitis,nolite cõqueri de infirmitate carnis,nolite dicere,quia volumus,ſed nõ poſſumus, volumus continenter viuere, ſed carnis fragilitate decipimur. Tu das ſtimulos carni tuæ, tu eam aduerſus ſpiritum tuum armas,et potentem facis,cum eã carnibus ſatias,vino nimio inundas,omni mollitie palpas,et ad illecebras nutris. An neſcitis quia non poteſt ædificium iſtud Eccleſiæ ex leproſis lapidibus conſtrui? audi quod dicit Apoſtolus, modicum fermentum totam maſſam corrumpit,expurgate ergo vetus fermentum,&c.hæc ille. Ad carnales certe iſta dicuntur,et ad nouos noſtri temporis epicureos,qui vt ſuis ſatisfaciant deſiderijs,Chriſtianas & angelicas virtutes,quantum in ſe fuit ludibrio et paruipendio expoſuere. Fateor ſi carnis curam fecerimus,gulæ frena laxemus,mollia et delicata amemus,poculis vini certemus, orationes negligamus,ieiunia ſancta irrideamus, occaſiones nõ carnis deuitemus,et alia exercitia Chriſtiana poſthabẽda putemus,non dico caſtitatem corporis et mentis,quæ ardua virtus eſt,ſed nec minimam virtutem Chriſtianam acquiremus aut cõſeruabimus: cæterum ſi cum adiutorio Dei accingamur, cum corporis illecebris fortiter pugnaturi, et alia quæ docent ſancti facientes,aſſiſtet noſtris deſiderijs Deus pientiſſimus,aſpirabit proculdubio noſtris inceptis, quodcunq; voluerimus petemus,et aſſequemur.

Cyrillus

Spiritus nutrimenta.

Si igitur liberi arbitrij per Dei gratiam ſuffulti viribus,per ſancta exercitia donum iſtud a nobis poteſt cõparari, cœlibatus ſtatus eſt laudabilis & Deo gratiſſimus,vt probauimus:laudabiliter etiam voueri poteſt,nam per votum nihil aliud fit ꝙ facere neceſſarium quod erat voluntarium,& perpetuum quod erat temporarium, & ſic quodãmodo reddimus ipſum bonũ melius:nã bona quo diuturniora ſunt,cęteris paribus,eo ſunt meliora. Nec obſtat, vt dixi,quod per nos nõ poſſit pfici,

Quod voueri licite poſſit & cõtinentia.

Per votũ quid agimus.

nam necꝙ vita Chriſtiana a nobis perfici poteſt, & tamẽ aſtringuntur Chriſtiani ad eam voluntarie ſeruandã, quia per adiutorium, quod probabiliter orationibus & ſanctis exercitijs credimus nobis adfuturum, nobis eſt ſimpliciter poſſibile. Non ſecus euenit in ijs, quæ recte & maturo conſilio vouentur. Quod ſi qui alij ſunt qui ob alias cauſas cœlibatui temere ſe aſtringant, turbulenti homines & vagi, orationis exercitio minime dediti, nec ipſam caſtitatẽ ex corde deſiderãtes, puta vt pinguia beneficia poſſideant, aut ob alios carnales reſpectus, principaliter nõ cogitantes, quid valeant humeri, quid ferre recuſent, nec intendũt vacare ſanctis exercitijs vt illam acquirãt: quid dico intendũt? necꝙ ſomniant, quos ſcio eſſe multos: hi tales temere & damnabiliter vouent, & quodãmodo ſibi impoſſibile in ſenſu cõpoſito. Deus enim iã miracula paſſim non facit, necꝙ dormientibus & crapulę quotidie deditis, ſancta hęc dona cõmunicat: nõ hos defendo, ſed necꝙ eos qui huiuſmodi homines ad ſacrum cœlibatũ admittunt. Certo ſi ſine delectu aliquo admitti debẽt huiuſmodi homines ad ſacerdotium, neceſſarium mihi videtur vt lex iſta cœlibatus pro huiuſmodi hominibus in futurũ relaxaretur, vt euitarentur tot ſcandala et peccata, & ne blaſphemaretur ſancti ſacerdotij nomen, & cœlibatus a carnalibus hominibus propter multorum incontinentiam impoſſibilis diceretur: ſolum intendo defendere, cœlibatũ laudabiliter poſſe voto ſolenni firmari, ſi diſcrete & mature fiat, vt Cyrillus bene notat capite xxiij. ſuper Ioannem, dicens: Nõ oportere homines ardua ſupra ſe Deo promittere, quaſi exiſtimantes ſe eſſe dominos illarũ rerum quas promittunt. Quod probabimus ab honeſtate, ab vtilitate, ab autoritate diuina et apoſtolicæ Traditionis. Primo, quia (vt diximus) rationi valde conſonum eſt et multũ laudabile, bonum temporarium et voluntariũ quantum in nobis eſt, facere nobis neceſſarium et perpetuum, fœlix enim eſt neceſſitas, quæ ad meliora cõpellit, et ſi cętera paria ſint, plus meriti eſt operari bonum ex neceſſitate obligationis, maxime ex propria voluntate orta, quam ex ſola libertate: hic enim actionem tantum præſtamus, opus bonum tantum Deo offerimus: illic vero bonum opus cum ipſa voluntate. Adde quod hæc vota ſunt Eccleſiæ valde vtilia, nam per eam cõpelluntur multi ad perfectiora, qui ſi in facie Eccleſiæ nõ vouerent, modicis occaſionibus et tẽtationibus homines in hac via poſiti reſilirent, & ſic ſtatus eccleſiaſtici confunderentur, vocatio Chriſtiana illuderetur, & ſancta dona Dei, quibus hi, qui ad cœlibatum aſpirarũt, & viam illam perfectionis ceperũt, prophanarẽtur & conculcarentur, quæ omnia per vota euitantur.

[Margin: Honeſtas votorum.]

[Margin: Vtilitas votorũ.]

Quod vero de huiuſmodi rebus vota & promiſſiones fieri poſſint, ex ſcriptura quodãmodo patet. Nam mater illa Samuelis pro filio ſuo vouit ſtatum Nazaræorum, in quo includebatur abſtinentia a vino

[Margin: 1. Reg. Vota ex ſcriptura Gen. 28]

& ab omni quod inebriari poteſt. ſimiliter quod in templo deſeruiret omnibus diebus vitæ ſuæ. Iacob etiam patriarcha vouit decimas Deo ex cunctis quæ poſſederat, quæ accepta a Domino eſſe dicuntur. Item Numeri xxi. Vouet populus Iſrael ſe diruturum ciuitates Chananæi, ſi tradiderit eum Dominus in manu ſua, & hæc abſq; verbo Dei. Et per Pſalmographū dicitur: Vouete & reddite Domino Deo veſtro &c. Ex quibus locis non ſolū conſtat nobis de diuina voluntate, ſed de materia eorum quæ voueri debent a nobis, puta quod ſit bonum & laudabile, quod alias nō teneamur ad illud, ſed ſit opus ſupererogationis, ſit res bona per ſe, ſit indifferens & ad bonū ordinata, perinde eſt: omnia cōſtant hæc ex ſcriptura, & in voto cœlibatus concurrunt. Et quanquā iſtud votum cœlibatus ſit de re quodāmodo ſupra nos, ea tamen moderatione qua diximus eſſe vouendū, in noſtra quodāmodo poteſtate eſt, quod enim per amicos poſſumus, per nos etiam quodāmodo poſſumus: quare nō eſt quod poſſint calumniari aduerſarij in hoc inſtituto, nec oportet hic miſceri abuſus cum dogmate: non enim hic agimus de moribus multorum, qui hac lege male vtuntur, ſed de rectitudine & pręſtantia ipſius legis.

Rurſus non poteſt eſſe non bonum, & valde laudabile, quod Traditione apoſtolica introductum eſt, at vota iſta & de huiuſmodi rebus, ab apoſtolis ſunt introducta, et tempore apoſtolorum, & a diſcipulis eorum vſitata: digniſſima ergo inſtitutio eſt, tantū abeſt vt ſit impia, vt carnales iſti euangelici paſſim falſo prędicant, metientes poſſibilitatem et rationem legis, per inclinationes et incontinentiam ſuā: quaſi lex quæ furtum prohibet, mala eſſet, quia corrupti homines, et qui ad furta ſunt maxime propenſi, vix poſſunt a furto abſtinere: ſimile mihi omnino videtur, quod iſti opponunt huic ſanctæ continentiæ legi.

Reſtat vt probemus minorem noſtri argumenti antiquitatis eccleſiaſticæ teſtimonijs irrefragabilibus, nam de collectione et maiori nullus Chriſtianus dubitare poteſt.

Ante omnia illuſtris eſt locus Pauli 1. Tim. v. ab omnibus fere ſanctis de voto et promiſſione cœlibatus interpretatus: Adoleſcentiores (inquit) viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationē, quia primā fidem irritam fecerunt. Non eſt dubium quin Apoſtolus illic loquatur de fide, qua promiſerunt ſe in viduitate permanere: nam de fide Catholica nō loquitur, ſed propterea dicit habere damnationē, quia poſt promiſſionem viduitatis nubere volebant, irritantes fidem quam dederunt: ſi enim de fide Catholica loqueretur, nullam curam vellet habere de illis Apoſtolus, quibus tamen iubet vt nubant. quem locum exponens Tertullianus lib. de Monogamia, de profeſſione caſtitatis ipſum interpretatur, hoc modo: Ad

Apoſt. 1. Tim. 5

Tertull.

tas dirigit(ſermonem)quæ in viduitate deprehenſæ,poſtquã in delitijs habuerint Chriſtum,nubere volunt,habentes iudicium,quod primam fidem reſciderunt,illam videlicet,a qua in viduitate inuentæ & profeſſæ eam,nõ perſeuerant:propter quod vult viduas nubere,ne primam fidem ſuſceptæ viduitatis poſtea reſcindant:non vt toties nubant quoties in viduitate tentantur,etſi in delitijs habitæ,noluerint perſeuerare. Hieronymus quoq; eodem modo hunc locum exponit,tractans aliũ Pauli

Cap. 7. aduerſus Iouinianum. locum,Si nupſerit virgo nõ peccauit:Non(inquit)illa virgo quę ſemet cultui Dei dedicauit.Harum enim ſi quæ nupſerit, habebit damnationem,quia primam fidem irritã fecit.ſi autem hoc de viduis dictum obiecit, quanto magis de virginibus præualebit, cum & his non liceat, quibus aliquando licuit.Virgines enim quæ poſt conſecrationem nupſerunt,non tam adulteræ ſunt quã inceſtæ. Eodem modo exponit hunc

Auguſt. locum Auguſtinus ſermone ſexageſimo ad fratres in eremo. Quare nõ habent pro ſuo errore aduerſarij locum illum Pauli, quem allegare ſolent ad probandũ indifferenter omnibus virginibus licere ſumere maritos, ſed tantum his, quæ liberæ ſunt voluntatis, nullaq; voti aſtrictæ profeſſione.Neq; id quod ſuperius dixit Apoſtolus, cum videtur dare copiam patri collocandi virginem ſuam ſi voluerit, fauet ſuo errori,imo magis videtur locus ille facere pro nobis: nã ex illo colligitur, patrem poſſe firmiter ſtatuere apud ſe,vt in perpetuum ſeruet virginem ſuam,& non locet marito. Ad quod forte attendentes Baſilius & quę

4 ſynod. Toletana dam ſynodus Toletana,dixerunt, quod promiſſio & deuotio parentũ obligabat filios. de quo ad præſens non diſputo. ſatis nobis eſt, quod ſi parentes apud ſe poſſunt firmiter ſtatuere, ſeruare virginẽ ſuam in perpetuum, multo maiori ratione ipſa virgo poteſt hoc ſtatuere apud ſe, quæ maius dominium ſupra ſe habet: quod ſi in perpetuum laudabile eſt propoſitum illud habere,quare non illud voto firmare.Locus Apoſtoli hoc modo habet: Si quis turpem ſe videri exiſtimans ſuper virginem ſuam,quod ſit ſuper adulta,& ita oportet fieri,quod vult faciat,nõ peccat ſi nubat,nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habet neceſſitatem,poteſtatem autem habet ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſeruare virginem ſuã,bene facit. Quem locum ſicut in parte illu-

Eraſmus. ſtrauit Eraſmus,ita & in parte corrupit: nam vbi pro vocabulo ἑδραῖος antiquus interpres interpretatus eſt, firmus,ipſe tranſtulit infirmus:non ſatis bene aduertens verborum conſequentiã. nam quomodo quis ſtatuit in corde ſuo infirmus. implicatio certe videtur. Adde quod vocabulum illud in genuina et cõmuni ſignificatione, tantundem ſignificat ſicut firmus & ſtabilis. Ex hoc loco tamen nõ directe probatur quod vouere liceat,& multo minus,quod virgines Deo per votum aſtrictas liceat parentibus locare maritis, vt contendunt nõnulli ſuper hunc locum.

cum. Rectam illius loci intelligentiam, nemo rectius eſt aſſecutus diuo Epiphanio, cum impugnat Angelinorum ſectam, qui ſatis in ſauorem Eccleſiæ locum iſtum interpretatur, quaſi videatur nouatores iſtos habere preſentes. Nunquid Apoſtolus eam quæ ſemel virginitatem Deo ſeruare decreuit, a proprio curſu detrahere volens, hæc præcipit? Non (inquit) de his eſt ſermo, ſed de virginibus, quæ nubendi tẽpus exceſſerunt, quæ non ob virginitatem, in vigore permanſerũt, ſed quod viros nõ habuerint qui eas ad nuptias petiuiſſent. Cum enim ex Iudęis proceſſiſſent apoſtoli, & ſecundum legem cõuerſati eſſent, initium prędicationis ſecerunt, ſtatutis legis adhuc detenti: non ſecundũ carnis iuſtificationẽ, ſed ſecundũ conſonam legis rationem. Mirabiliter enim prędicabat lex ne darent filias Iſrael alienigenis, ne ſeducerent ipſas ad ſimulachra. Vnicuiq; igitur credenti tunc imperabatur, vt non amplius filiã ſuam Iudæis elocaret, ſed Chriſtianis idem ſentientibus, ac eiuſdẽ mentis. Cum autem noua eſſet hæc prædicatio, nondũ multitudo Chriſtianorum, & Chriſtianæ doctrinæ in hominũ ſrequẽtia erat: qui igitur tũc habebant filias virgines, cũ non daretur copia ipſas Chriſtianis elocãdi, ſeruabant virgines ſuas ad multum tẽpus: Illę vero nubiles annos tranſgreſſæ, incidebant in ſcortationem propter naturalem neceſſitatẽ. Apoſtolus itaq; videns damnum propter exactam rationẽ accidens, permiſit dicens: Si quis vult ſuam virginem, & nõ dixit propriam virginitatem, non enim de proprio corpore hoc dixit, ſed de patre virginẽ aſſeruante. Nubat, inquã, et ſi nõ fuerit copia .ſ. Chriſtianorũ: qui enim pręcipere habebat virginibus iã Deo deditis, qui cõſuluit, volo omnes eſſe ſicut meipſum, & incõiugatis & viduis bonum eſt eis ſi ſic permanſerint vt ego. Paulo vero poſt, manifeſtam dicit eſſe hic beatus apoſtolorũ Traditionem, vouere ſanctam virtutẽ continentiæ: exponens illum eundem locum Apoſtoli de viduis, qui primam fidẽ irritam fecerunt, eodẽ modo ſicut alij tres patres pręcedẽtes, & tota Eccleſia intellexit. verba Epiphanij hæc ſunt: Tradiderunt itaq; ſancti apoſtoli peccatũ eſſe poſt decretã virginitatem ad nuptias cõuerti, & ſcripſit Apoſtolus, ſi nupſerit virgo nõ peccauit, quomodo igitur hoc non in illo concordat? imo etiã. Hic enim illam virginem dicit, quæ non eſt dicata Deo, ſed propter penuriam raritatis in illo tempore eorum qui in Chriſtum credebant, neceſſario ſic fiebat. & quod hęc ſic habeant, docet nos idem Apoſtolus, dicens: Iuniores viduas reijce, poſtquam enim laſciuierint contra Chriſtum, nubere volunt, habentes iudicium, quod primam fidẽ reiecerint. Si itaq;, & ea quæ poſt mundi experientiam vidua fuit, atq; Deo dicata, & poſtea nupſit, iudiciũ & cõdemnationem habebit, quod primã fidẽ reiecit, quanto magis quæ citra mũdi experientiã Deo dicata virgo fuit & nupſit, & cõtra Chriſtũ laſciuijt, & maiorem fidẽ reiecit, & iudicium

Epiph.

Votorũ adimpletio apoſtolica Traditio

habebit velut quæ proprium erga Deum propoſitum relaxauit. Clarius nil aut apertius dici poſſet contra fœdifragos, in noſtræ cauſæ fauorem.

S. Martialis. Sanctus ille Martialis Chriſti diſcipulus, epiſtola ad Toloſanos, emiſſionem voti cõtinentiæ (non ſolum in his, qui ſui iuris ſunt, ſed etiã in cõiugatis, ambobus cõſentientibus) per eius pr̨dicationem a principibus Aquitaniæ, quos ad fidem conuertit, libenti animo factam affirmat, prius de ſponſa, deinde de ſponſo: Valeria (inquit) ſponſa regis terreſtris, ſeu melius ſponſa regis cœleſtis, quæ per meam prædicationem virginitatem mentis & corporis Deo deuouerat, gladio decollata, dũ vitam temporalem cõtempſit, æternam inuenit. De ſponſo vero, inferius ſic refert: Sponſus autem virginis adeo eſt effectus teſtis paſſionũ Chriſti, vt in corpore ſuo cœleſtem conuerſationẽ iam pr̨beat ſubditis, deſideria carnis ſuæ crucifigens, quem ad hoc perduxit germen nouellæ fidei, vt ſuauitate quoq; pr̨mij futuri illectus, copulam carnaliũ nuptiarum deuitauerit per meam pr̨dicationem. Hic vides expreſſe tempore apoſtolorum ab ipſis Chriſti diſcipulis introductum eſſe votum continentiæ. Sanctus quoq; Ignatius in epiſtolis ſuis, de virginibus Deo ſacratis ab ipſo edoctis & enutritis facit mentionem, quarum cõſecratio non videtur quid fuerit, niſi publica quædam firmi propoſiti manendi in virginitate manifeſtatio ſeu profeſſio, dicit enim epiſtola ad Antiochenos, poſtquã vnumquemq; gradum eccleſiaſticum ſui muneris admonuit, ad virgines deueniens: Virgines agnoſcant cui ſe conſecrauerunt. Itaq; peculiaris deditio & dedicatio erat in huiuſmodi virginibus, qua perpetuo aſtringebantur in continentia permanere. Polycarpus ſimiliter martyr Deo dignus virgines monet, vt caſta conſcientia ambulent.

Ignatius. Polycarpus ad Philipp.

D. Clemens Petri diſcipulus epiſtola v. ad fratres Hieroſolymitanos, de voto facit mentionem, quantum ad vitam cõmunem, & eius annexa, quæ hodie ſeruant cœnobia recte inſtituta: Hortamur (inquit) vt ab apoſtolicis regulis non recedatis, ſed cõmunem vitam ducentes quæ Domino vouiſtis, adimplere ſatagatis. Pluraliter loquitur hic ſanctus de votis Deo factis, non ſolum quantum ad vitam cõmunem, ſed quantum ad annexa eius, quorum pr̨cipuum continentia eſt: & quãuis de ſola vita cõmuni intelligi poſſit hoc dictum, ſat eſt nobis quod tempore apoſtolorum fiebant vota iſta, de rebus quæ non minus cum corruptione noſtra pugnant q̃ cœlibatus: Vnuſquiſq; enim quod ſuũ eſt quærit. Item amabile bonum, ſed vnicuiq; proprium, dixit Ariſtoteles in moralibus.

Clemens. Ariſtot.

Sother martir. Sanctus item martyr Sother, qui tẽpore Cõmodi Imperatoris martyrio coronatus eſt, & ſedem Romanam glorioſe rexit, expreſſam facit mentio-

mentionem in ij. epiſtola ſua, de monachis & ſacratis Deo fœminis, in hæc verba: Sacratas Deo fœminas vel monachas ſacra vaſa vel ſacratas pallas penes vos cõtingere, & incẽſum circa altaria deferre, perlatum eſt ad apoſtolicam ſedem, quæ omnia reprehenſione & vituperatione digna eſſe nulli rectè ſapientum dubium eſt.

Vrban.

D. etiam martyr Vrbanus, idemq; Romanus pontifex voti paupertatis meminit, ſuo tempore vſitati, & violatores voti nõ paruo peccato aſtrictos eſſe prædicat, cõtra vero voti ſeruatores prœmijs a Deo affici, ac ſubinde vota meritoria eſſe affirmat. Quicunq; veſtrum cõmunem vitam ſuſceptã habet, & vouit ſe nihil propriũ habere, videat ne pollicitationẽ ſuam irritam faciat, ſed hoc quod Domino eſt pollicitus, fideliter cuſtodiat, ne damnationem, ſed prœmium ſibi acquirat: quoniam ſatius eſt non vouere, quam votũ prout melius poteſt, nõ perficere. Item Origenes homilia xxv. in Leuiticũ: Alij vitulos aut arietes, aut alia, voto Deo offerunt, ſemetipſum vero offerre Deo, & non alieno ſed proprio labore Deo placere, hoc eſt perfectius votis omnibus, quod qui facit imitator Chriſti eſt. Et paulo poſt: Qui in caſtitate viuit, corpus ſuum vouit Deo, ſecundũ eum qui dixit: Virgo cogitat quomodo ſancta ſit, ſancti enim dicuntur qui ſe vouerunt: nam & aries ſi vouetur Deo, ſanctus appellatur, quem tondere ad cõmunes vſus iam non licet: ſic tu ſi Deo te voueris, nihil facere quod ad homines & prœſentem vitam pertineat, ſed quicquid ad animã pertinet & diuini cultus obſeruantiam.

Origen.

Tertull.

Tertullianus libro primo ad vxorem multos refert cõiugatos cõmuni conſenſu ab actu coniugij diſtractos, abſignatione quadã exteriori, quæ non videtur quid ſit niſi profeſſio: Quot ſunt (inquit) qui ſtatim a lauacro carnem ſuam obſignant? hi qui conſenſu pari inter ſe matrimonij debitũ tollunt, volũtarij ſpadones pro cupiditate cœleſti. In lib. quoque exhortatorio ad caſtitatẽ idipſum cõfirmat: Quantæ (inquit) & quę ordinari in Eccleſia ſolent, quæ Deo nubere maluerunt, quæ carnis ſuæ honorẽ inſtituerunt, quæ ſe iam pudoris filias dedicauerunt, occidentes in ſe concupiſcentiã libidinis, & totum illud quod intra paradyſum non potuit admitti. Hic dicatas filias dicit eſſe pudori, & Deo nuptas virgines affirmat, pro cœleſtis patriæ amore, quod non niſi ſponſione quadã fieri oportet.

Cyprian.

Mirum tamen in modũ confirmat totam de ſacro cœlibatu doctrinam ſanctiſſimus pater Cyprianus, tractatu de habitu virginũ, reddens cauſam quare ſit ſollicitus de uirginibus Deo dicatis: Neq; (inquit) inanis cautio eſt, & formido uana, quæ ad ſalutis uiam conſulit, quæ dominica & uitalia pręcepta cuſtodit, ut quæ ſe Chriſto dedicauerint, & a carnali cõcupiſcẽtia recedentes, tam carne q̃ mente ſe Deo deuouerint, opus ſuum conſument, magno prœmio deſtinatum. Adeſt tibi uoti &

dedica-

dedicationis in ſtatu continentię expreſſa mentio apud hunc teſtem Eccleſiæ apoſtolicum: adeſt magnum pręmium deſtinatum eſſe vere continentibus. Et inferius etiam dicit, quod virgo ad meliora ſe ſeruat, quã cõiunx: & in eodem, adulteras Chriſti appellat virgines Deo dicatas, quæ virginitatem amittunt: Dum ornari (inquit) cultius, dum liberius euagari virgines volunt, eſſe virgines deſinunt, furtiuo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, non mariti, ſed Chriſti adulteræ, quam fuerant pręmijs ingentibus virgines deſtinatæ, tam magna ſupplicia, pro amiſſa virginitate ſenſuræ. Hic Chriſti adulteras vocat quotquot Deo dicatæ virgines virginitatem amittunt. Prope finem vero, virginitatis profeſſionem iteratam natiuitatem vocat, per quam anima denuo ſanctificatur, conferens illam quodãmodo baptiſmo: quæ cõparatio quantum ad particularem ſanctitatem quæ ex noua abdicatione carnis deſideriorum accedit, intelligi debet: Omnes (inquit) qui ad diuinum munus & patrimonium baptiſmi, ſanctificati perueniũt, hominem illic veterem gratia lauacri ſalutaris exponunt, & innouati ſpiritu ſancto a ſordibus contagionis antiquæ iterata natiuitate purgantur: ſed natiuitatis iteratæ vobis maior ſanctitas & veritas cõpetit, quibus deſideria carnis & corporis nulla ſunt, ſola in vobis quæ ſunt virtutis & ſpiritus, ad gloriam remanſerunt.

Chriſti adulteræ.

An ſit diſpenſabile votũ continẽtiæ ſecundum Cyprianum

Sed ſuper relaxatione voti propter incontinentiam in virgine Deo dicata, quidam de ſecta Lutheranica multum ad ſuæ cauſæ ſtatum facere putant, verba iſtius viri ſanctiſſimi in lib. I. epiſt. xi. ad Pomponiũ, qui loquens de virginibus Deo dicatis, quæ continentiã aut nõ poſſunt aut nolunt ſeruare, copiam eis videtur facere nubendi, verba Cypriani hæc ſunt: Si ex fide Chriſto ſe dicauerunt, pudice et caſte ſine vlla fabula perſeuerent: ſi autem perſeũerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt quod nubant, q̃ in ignem delitijs ſuis cadant. Locus iſte etſi quodãmodo appareat difficilis, videtur tamẽ mihi quod non loquatur in eo Cyprianus de virginibus, quę per ſolennem profeſſionẽ ſe Deo deuouerũt. Vnde in antiquis canonibus differentia ſit inter virginem Deo dicatam & velatam, & quaſi eadem eſt cũ illa, qua hodie moderni autores vtuntur, de virgine puta, quæ per votum ſolẽne in poteſtatem ſui ſponſi iam tranſiuerit, & de ea quæ propoſito duntaxat & probatione Chriſto debet quodãmodo eſſe dedicata: de qua videtur loqui Cyprianus, & nõ de alia: id quod ex antecedentibus & ſequentibus, certa coniectura intelligi poteſt. Nam argumentum epiſtolæ de his virginibus videtur loqui, & non de alijs. Dicit enim: Legimus literas tuas frater chariſſime, quas per Pachonium fratrẽ noſtrum miſiſti, poſtulans & deſiderans vt tibi pręſcriberemus, quid nobis de his virginibus videatur, quæ cum ſemel ſtatũ ſuum cõtinenter & firmiter cõtinere decreuerint, detectę ſunt

poſtea

poſtea in eodem lecto pariter mãſiſſe cũ maſculis. Ecce loquitur de virginibus, quæ firmo propoſito decreuerunt cõtinenter viuere: non dicit, quæ vouerunt, aut cõſecratæ ſunt, & in ſponſi poteſtatem tranſierunt: nã de his poſtea dicit illos mœchos eſſe, qui ad eas accedunt: Chriſtus (inquit) Dominus, & iudex noſter, cum virginem ſuam ſibi dicatã, & ſanctitati ſuæ deſtinatã iacere cũ altero cernit, quam indignatur & graſſatur? & quas pœnas inceſtis eiuſmodi cõiunctionibus cõminatur? Et infra dicit, quod virgo huiuſmodi ſi crimen carnis admittat, nõ mariti, ſed Chriſti adultera eſt: quam dicit ſe nõ admittere in Eccleſia, ſi perſeueret, & ſimul viuere pergat cum hominibus. Ex ijs verbis ſic arguo: Si virgo huiuſmodi propterea grauiter peccat, quia Chriſti ſponſa eſt, et cum homine copulatur, ſemper erit ergo adultera quomodocunq; copuletur, ſiue prętextu matrimonij, ſiue furtiua coitione, quippe cuius maritus perpetuus eſt. Quare locus ille non fauet aduerſariorum cauſæ. Et quamuis loqueretur Cyprianus indifferenter de quacunq; virgine, ſiue ſolenniter profeſſa, ſiue non, ſolum probatur quod votum poteſt diſpenſari, atque reſcindi, nõ tamen autoritate priuata, et vniuerſaliter reſpectu omnium, prout ipſi barbare et ſcandaloſe fecerunt, ſpoliantes omnia monaſteria, & inducentes indifferenter omnes ad inceſtuoſos concubitus, falſi matrimonij prętextu. Nam Pomponius hic, ad quem Cyprianus ſcribebat, epiſcopus erat illius Diœceſis vbi ſcãdalum illud virgini acciderat. Et ipſe idem Pomponius ſuper negocio illo Cyprianum Metropolitanum ſuum videbatur conſulere: quare inter epiſcopos terminabatur negocium huius indulgentiæ, omnia enim ſecundũ ordinem iubet fieri Paulus apoſtolus, nec decet priuatos homines, etiam ſi iuſtis cauſis moueantur, ſuperba temeritate cõtra apoſtolicas regulas, & maiorum obedientiam huiuſmodi res attentare. Diſtinctio vero noſtra de duplici virgine Deo dicata ſatis cõprobatur, ſtatuto ſynodi quartę Carthaginẽſis, canon. ciiij. vbi inter cœlibem Deo deuotum, et ſub teſtimonio epiſcopi ab Eccleſia receptum, differentia fit.

Sanctus quoq; Syluester in Concilio quod Romæ habuit ducentorum octoginta trium patrum, tam ex Oriente q̃ ex Occidẽte, tempore Cõſtantini magni, in duobus ſtatutis ſtatũ continẽtiæ confirmat, tam quoad ſacerdotes, quam quoad religioſorum vota, quæ vocat ſchemata. Primum ſtatutum quod decimũ eſt in ordine aliorũ, ſic habet: Nullus epiſcoporum virginem ſacratam benedicat, niſi eam probauerit per xxvij. annos, quia ibi probatur pudicitia vera, ſi per tot annos pudicitiam cuſtodiuit: poſt vncta vertice introducatur ad nuptias Chriſti, nullaque ſchemata monachorum fiant ante xxv. annos, vt euitentur ſcandala. Ex hoc decreto ſatis confirmatur, id quod dudum dicebamus cum Cyprianum interpretaremur de duplici dicatiõe virginis: Nam hic virginẽ

Secunda inſtitutio cœlibatus, a Syluestro & ſynodo generali.

ſacra-

ſacratam diſtinguit ſynodus, a virgine velata & benedicta, & in Chriſti poſſionem tradita. Ex quo poteſt optima ratio diſcriminis inter ſolẽne votum & ſimplex, quantum ad diſpenſationẽ aſſignari. Secundũ ſtatutum de ſacerdotum cœlibatu, decimũ nonũ in ordine eſt: Nemo (inquit) presbyter a die oneris presbyterij ſui ſumat coniugem: quod ſi quis negligẽter egerit, decẽ annis priuetur honore: & ſi quis cõtra hoc pręſens chyrographum egerit in cõtemptum, cõdemnetur in perpetuũ. Iam hic vides cœlibatũ mitius pręceptum q̃ in diſpoſitione Clementis, exigente forte hoc temporum diuerſitate.

Lex Syl ueſtri põtificis de cœlibatu

D. & magnus Baſilius hanc etiam votorꝫ profeſſionem ſatis approbat, & deſertores illius, reos æternæ damnationis dicit: maxime quando vota matura deliberatione pręſtantur, ſermone iiij. exercitamentorum, & ſermone de renunciatione vitæ. primo loco ſic dicit: Siquidem deſideramus ſecundum ſimilitudinem Dei, characterem animæ noſtræ per puritatem a vitijs exornari, vt per hoc etiam vitæ nobis perpetuitas accedat, attendamus nobis ipſis, ne forte quid promiſſione indignum facientes, in Ananiæ iudicium delabamur. Poterat enim Ananias ne ab initio quidem poſſeſſionem ſuam Deo promittere, verum quoniã reſpectu ad humanam gloriam facto, poſſeſſionem quidem & opes ſuas per promiſſionẽ Deo conſecrauit, vt homines ipſum imitarentur ob magnificentiam, a cõdemnatione nõ receſſit, & tantam cõmouit cõtra ſe ipſum indignationem, cuius executor Petrus erat, vt neqꝫ pœnitentiæ fores reperiret. Itaqꝫ ante promiſſionem caſtæ vitæ, licet volenti iuxta id quod cõceſſum & legitimũ eſt, ad vitæ cõſequentiam ſibi congruam deuenire, & ſe ipſum nuptiarum cõiugio cõmittere: verum enim qui pręoccupatus eſt propter piam profeſſionem, cuſtodire cõuenit ſe ipſum Deo, velut ſacra quædam Deo dicata donaria, vt ne ſacrilegij crimen incurrat, ſi dicatum per profeſſionem Deo corpus, rurſus cõmunis vitæ miniſterio ſordidũ faciat. Secundus vero locus vouentes adhortatur, vt prudenter & cũ examinatione, voto ſe aſtringant, ne poſtea impotentes exiſtentes, vota ſua infringant, & damnationem ſibi ſubinde acquirant: Adhortor (inquit) vt ne citra examinationem hoc faciat quis, ne inopinatis ſeipſum immittens certaminibus, deinde impotens exiſtens ad reſiſtendũ ingruentibus experimentis, inueniatur recurrens ad ea, a quibus egreſſus eſt, cũ pudore ac riſu, cũ animę condẽnatione rediens ad vitã, et multis ſcandalũ fiens, & vitæ ac cõuerſationis in Chriſto poſſibilitatem apud omnes ſuſpectam faciens, cuius periculum noſtis omnes qui euangelia legitis, in quibus ipſa diuina vox dicit: Expedit ipſi magis vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, q̃ vt vnũ ex puſillis his per ſcandalum offendat. Non enim ſolũ deſertoris condẽnationi obnoxius erit, ſed et interitus eorum, qui ab ipſo euerſi ſunt, & ſi ratiocinijs mentẽ fal-

Baſilius

Meritum in profeſſione cõſiliorum.

Matura delibeꝛatio in votis

lentibus

lentibus ſeipſum perſuadere videatur, quod per bona opera inuitum ſe numen placaturum eſſe confidat, quod ipſi impoſſibile eſt. Et lib. de virginitate, adulteros vocat eos, qui prætextu nuptiarum Deo dicatas virgines ſibi copulant: Nemo (inquit) ſit adeo impius, vt ipſum Domini tēplum, hoc eſt, virginis corpus, & ipſam pręcioſiſſimam omniū animam virginis, ſacerrimū in tēplo Domini donarium, petulantiæ faſcibus barbarico more cōburat. Et paulo poſt, quaſi reſpondens obiectioni, quod licebit illis carnaliter vti ſi ipſæ ſe obtulerint, & matrimonio velint copulari, ne vrantur, adiecit Sanctus pater: Verum ſi ſeipſam vltro obtulerit, tranſgreſſa erga ſponſum pactum, propter vitij iucunditatem, ne accōmodes teipſum tali, ad peccati ſocietatem. Nam licet te non veniente ad nuptiarum ſocietatē, alteri exhibeatur, ille pœnas aut peccatum habebit, tu vero purum teipſum cuſtodi a ſocietate pœnæ ob delictum in Domino. Oportet (inquit) Chriſtus filium hominis tradi, ſed væ illi per quē tradetur. Sic ſi illa dicat, oportet me viro coniungi, væ illi tamen per quē illa tranſgreſſis erga ſponſum pactis, ſuam cōcupiſcentiam implet. Non audis autem quod & qui repudiatam, ſiue dimiſſam ducit, adulterium cōmittit? Etſi enim repudiata eſt propter cauſam, attamen viuit vir eius. Quid igitur vexas repudiatam? Cur non cōcedis tempus illi corrigendi ſeipſam, ob ea propter quæ repudiata eſt, vt ille qui repudiauit, ob correctionem miſertus ſuam rurſus ad ſeipſum accipiat? Et paulo inferius, applicans ea quæ dixit, ſubiungit: quod ſi ijs qui cum ea quæ a mortali viro dimiſſa eſt, adulterium exercet, impie facit, multo magis impie adulterium cōmittit, qui immortalis viri ſponſam nunquam dimiſſam corrumpere audet. Et paulo inferius appellat hunc talem, non virum, ſed adulterum, qui ſe in Domini cubile impie cōmiſit. hæc Baſilius. Videtur præ oculis habuiſſe hic ſanctiſſimus pater idemq; antiquiſſimus, carnales iſtos violatores votorum, in quibus hæc omnia tā mire quadrāt, vt nihil dici poſſit verius aut congruentius: præter hoc enim, quod reciſione temeraria votorū damnationem iuſtam apud Deum habent, ingens in republica Chriſtiana generarunt ſcādalum, innumeros, vt idipſum facerent verbo & exemplo pellicientes, IESV CHRISTI cōſilia, de impoſſibilitate infamarunt, & ludibrio carnalium hominū expoſuerunt, volentes hoc impio prætextu, a culpa ſuæ incontinentiæ ſaluari: et ſuper hæc ſi Deo placet, valde ſecuros in conſcientia ſe putant, & apoſtolicos ſe pręadicant: quod inuito numine, pugnante apoſtolica Traditione, autoritate maiorū, pręceptis & Eccleſiæ magiſterio contradicentibus, nefarios concubitus complexi ſunt. O beluinū ſenſum: O nefarios auſus, mille crucibus expiandos.

Ne licet virginē Deo dicatā aſſumere in vxorem.

Beatus Hieronymus in regula viuendi, capite ſecundo de votis iuramento firmatis, expreſſam facit mentionem his verbis: Attendite filiæ diligen-

Hieron.

e

diligenter. Hic periculum omne eſt, hic interitus, hic mors æterna, quæ iam renunciauerunt, omnibus quæ poſſident, quæ relictis omnibus quæ habebant in ſeculo, ad Chriſtum imitandum pauperculum, qui vbi caput reclinet non habet, cōcurrentes, ex voto ſub iuramenti pollicitatione promiſerunt, nihil, tēporale, nihil terrenum, præter Chriſtum ſolum, non ſolum poſſidere, ſed nec poſſidere velle. Idem Hieronymus de peccato graui accuſat Ruſticum, qui continentiam vouerat, ex cōſenſu vxoris viuētis, & nō impleuerat, epiſtola ſeptuageſima tertia: Redde (inquit) quod præſente Domino ſpopondiſti, incerta eſt vita mortalium, ne ante rapiaris, quam tuam adimpleas ſponſionem. Vbi voti per profeſſionem emiſſi neceſſitatem obſeruantiæ ſatis indicauit. In ſequenti vero epiſtola, quam miſit ad Suſannam, quæ virginitatē violauerat: Obligata (inquit) propoſito, oblita parentes, oblita Eccleſiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita honorem dignitatis, oblita promiſſionē regni, oblita terribile iudicium, amplexata es corruptionem, protuliſti fructum confuſionis, in finem vero mortem ſæuiſſimam, interitum ſempiternum. Poſt vero conuertens ſtylum ad corruptorem virginis, appellat illum miniſtrum diaboli, filium ſerpentis, violatorem templi Dei, qui in vno ſcelere duo crimina perpetraſti, adulterium vtiq; & ſacrilegium, vbi vas Chriſto oblatum, Domino dedicatum, dementiæ temeritate polluiſti.

Cyrillus Egregium quoq; beatus Cyrillus ſuper illo Leuitici xix. Sancti eſtote, de votis religionis dicit teſtimonium: Si quis ſeipſum deuouerit, ſi quis ſe negocijs ſecularibus abſtraxerit, vt ei placeat cui ſe probauit, ſi quis ſeparatus & ſegregatus eſt a reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negocijs nequaquam obligatus, non inquirens ea quæ ſuper terram, ſed quę in cœlis ſunt, hic merito ſanctus appellatur. Et infra: Deniq; & ipſe ſermo in Gręca lingua, qui dicitur [illegible] quaſi extra terram eſſe ſignificat, quicunq; enim ſe cōformauerit Deo, merito extra terram eſſe, et extra mundū videbitur, poteſt enim dicere in terris, conuerſationem habemus in cœlis. hæc ille. Qui in eodem Leuitico etiam dicit: Laqueus fortis eſt viro ſanctificare aliquid, hoc eſt, vouere ſe Deo: obſeruemus hunc laqueum, ne forte poſtea quam nos Deo vouimus iterum humanis vſibus ſubiugemur.

Auguſt. Auguſtinus quoq; epiſtola xli. ad Armentarium, & Paulinam eius vxorem, qui mutuo conſenſu continentiæ voto ſe aſtrinxerant, ait: quia iam vouiſti, iam te obſtrinxiſti, aliud tibi facere non licet. Priuſquā eſſes voti reus, liberum fuit vt eſſes inferior, quamuis non ſit gratulanda libertas, qua fit vt nō debeatur quod cum lucro redditur: nunc vero quia tenetur apud Deū ſponſio tua, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed a magna iniquitate deterreo: non enim talis eris, ſi nō feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes ſi non tale vouiſſes: minor enim tunc eſſes, non peior, modo

modo autem tanto(quod abſit)miſerior,ſi fidem Deo fregeris, quanto beatior ſi perſolueris. Nec ideo te vouiſſe pœniteat, imo gaude iam tibi ſic non licere,quod cũ tuo detrimẽto licuiſſet. Aggredere itaq; intrepidus,& dicta imple factis,ipſe adiuuabit,qui vota tua expetit. Fœlix eſt neceſſitas quæ ad meliora cõpellit. Vna ſola cauſa eſſe poſſet, qua te id quod vouiſti,non ſolum non hortaremur, ſed etiam prohiberemus implere,ſi forte tua coniunx hoc tecũ ſuſcipere recuſaret, quia tunc ex alieno voueres. Eadem prorſus docuit de votis prǽſtandis & adimplendis pater iſte ſanctiſſimus,quæ nunc ſancta mater Eccleſia docet. Et aduerte quod non conſulit Armẽtario vt expectet ſe præueniri a Deo priuſquã votum impleat,ſed quod Domini fretus auxilio & fiducia, ad vitã continentem ſe adiungat,id quod nos ſuperius docebamus.

Idem ſuper illo Pſalmi: Vouete & reddite, vouere cõſulit multa, prǽſertim caſtitatem,quam poſt votum adimplere iubet. Non ſitis pigri ad vouendum:non viribus veſtris implebitis, deficietis ſi de vobis præſumitis. Alij vouent coniugalem caſtitatem,alij virginitatem, & iſti vouerunt plurimum,alij vouent domum ſuam, alij relinquere omnia ſua, tribuendo pauperibus,vt eant in cõmunem vitã & ſocietatem ſanctorum, magnum votum vouit,& concludit: quod quis voluerit vouere, voueat:illud attendat,vt quod vouerit reddat vnuſquiſq; Deo, quia ſi reſpicit retrorſum,malum eſt.hæc ille. Vbi habes omnia religionis vota laudabiliter fieri,& neceſſario debere obſeruari. Idem ſentit ſermon. lx. ad fratres in eremo, probans voti neceſſitatem ex illo loco Pauli de viduis habentes damnationẽ,quia primam fidẽ irritam fecerunt. Adduci ſolet contra iſtam doctrinam,quæ de voti neceſſitate nos monet, quod Apoſtolus videtur dicere,ſaltem quantum ad cõiugatos,quod nõ liceat illis in perpetuum mutua ſe carnali cõſuetudine priuari, quia Apoſtolus dixerit: Nolite fraudare inuicem niſi ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipſum,ne tentet vos Sathanas propter incontinẽtiam veſtrã. Sed hic locus vt patet ex his quæ ſequuntur non prǽcipit reuerſionem,ſed indulget:nã ſtatim ſubiungit Apoſtolus: Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperiũ:quod autẽ indulgetur, aut peccatũ, aut imperfectio eſt,ita vt oppoſitũ illius maiori cum laude fiat. Cum ergo ipſe Apoſtolus dixerit ſe non imperare neq; prǽcipere reuerſionem illã,nil facit contra noſtram doctrinam locus iſte, quin potius magis eam promouet & confirmat: nam ſi propter temporalẽ orationem Apoſtolus prǽdicit vt abſtineant a mutua cõſuetudine cõiugati, vbi cõmuni ſenſu perpetuo vacare voluiſſent & Deo & orationi, laudabiliter etiam perpetuo abſtinerent a carnali cõgreſſu: vbi enim eſt eadẽ ratio procedere debet eadem iuris diſpoſitio. Quod vero abſolute non voluit Apoſtolus, vt reuertantur in idipſum cõiuges,ex eo quod adiecit

August.

Religionis vota reddenda.

patet, propter periculum ſcilicet incontinentiæ, cæterum abſolute quid ipſe velit, ſtatim explicauit, cum dicit: Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum. Quid quod ſcriptura ipſa vouere cōſulit, & vota adim- Deut.23 plere iubet, Deuteronomij xxiij. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Et Eccleſiaſtæ v. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, ſed quodcunque voueris, redde: quo fit vt quotquot temeraria præſumptione vota reſcindunt, diuino iudicio, ſententia apoſtolicā, & ſanctorum omnium calculo in ſtatu damnationis ſint.

Beatus Cyprianus libello de ſingularitate Clericorū, magnopere miratur, vota quæ ſuo tēpore fiebant a cōiugatis, & hæc quidem perpetuo: Habeo (inquit) quod mirari non valeo, cum videam de Chriſtianis pleroſque maritos, pariter & vxores, continentiā deſtinantes, domicilia ſingularia magis eligere, vt conſenſus cōmunium votorum, ſine irritatiōe præſentiæ & concordanti receſſu valeant obtinere.

Ex his quæ diximus habes multa, tum ſcripturis, tū Traditione apoſtolica, & conſenſu ſanctorum confirmata. Primo habes modū quo cœlibatus eſt nobis poſſibilis de cōmuni lege. Secundo, quod laudabiliter voto perpetuo poteſt firmari: non ſolum ab his qui ſui iuris ſunt, ſed a cōiugatis, ex cōmuni tamen conſenſu. Habes tertio modum profeſſionis & emiſſionis voti, qui hodie in Eccleſia ſeruatur, ab apoſtolica Traditione & primæ illius Eccleſiæ patribus deſcendiſſe. Quarto habes obligationis neceſſitatē, reſpectu eorum quæ voto firmata ſunt, modo mature & diſcrete votum præſtetur.

COELIBATVS EPISCOPALI ET SACERdotali ordini conuenientiſſimus & expedientiſſimus eſt.

FAcile hoc perſpiciet qui probe nouerit quid ſit agere epiſcopum & ſacerdotem in Eccleſia. Rurſus vero quid ſit agere maritum, et curam filiorū, vxoris, & domeſticorum gerere. Porro cōiugatorum vita quamuis laudabilis ſit & Deo grata, multis tamen ſollicitudinibus carnalibus neceſſario diſtrahitur, vt hi noſtri cōiugati apoſtoli, qui cœlibatum impugnant, dicere poſſent ſi Apoſt. vellent. Loquarur tamē interim verus Apoſtolus, qui cœlibem vitā con- 1.Cor.7 ſulens 1. Corint. vij. Si nupſerit virgo (inquit) non peccauit, tribulationē carnis tamen habebunt huiuſmodi. Obſecro, quænam eſt hæc tribulatio quæ coniugij ſtatum inſequitur, niſi quædam mentis diſtractio, & nimia ſollicitudo, qua coniuges quodāmodo a DEI cultu diſtrahuntur, dum mutuo ſibi intendunt vehemēter placere, & de prouiſione poſteritatis ſuæ ſunt valde ſolliciti? Ideo ſubiungit Apoſtolus, poſtquam

dixit: Qui habent vxores tanquam non habentes ſunt. Volo (inquit) vos ſine ſollicitudine eſſe: qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. qui autem cũ vxore eſt, ſollicitus eſt quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Quod et ipſa rerum experientia commonſtrat. Et ſancti etiam diſcretione ſpiritus cognouerunt. Dicit enim S. Baſilius de maritis, narrans eorum impedimenta ad plene Deo vacandum: Eum qui cõiugio occupatus eſt, altus curarum tumultus excipit: ſi liberis careat, liberorum cõcupiſcentia, ſi liberos accipiat, de educãdis ſollicitudo, vxoris cuſtodia, domus cura, ſeruorum atq; familiæ gubernatio, cõmertiorum detrimẽta, cõtentio cum vicinis, lites in foro, iudicia, conflictus, negociationes, pericula, agriculturæ labores, omnis dies proprio ſuo acceſſu tenebroſitatem animæ affert, & noctes, diurnas curas excipientes, in ijſdem imaginibus mentem fallunt. Eadem & maiora incõmoda narrat Tertullianus de muliere viro pręſertim malo cõiuncta. Cyprianus quoq; libello de ſingularitate clericorum tractans illud, Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quomodo placeat Deo: Quid eſt nunc quod in hac coniunctione delectet, in qua ſunt ſolæ pugnæ? caſuale eſt omne quod fœminæ eſt, & copulatio eius ſemper eſt infeſta, fœdere ſuo magnas moleſtias pręſtat, de carbonibus ſcintillæ deſiliunt, vnde Salomon, a muliere iniquitas viri. Contenti ſimus ijs teſtimonijs in re tã manifeſta. Contra vero qui ſolutus ab vxore eſt, vt Apoſtolus dicit, ſine ſolicitudine eſt, non eſt diuiſus, quantum ex parte ſtatus attinet, facilius poteſt totus Deo incumbere, quia ſolus eſt, nec habet cui vehementer debeat placere, & pro quibus amore naturali poſſit ſolicitus eſſe. Innupta (inquit) Apoſtolus & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Cum igitur munus epiſcopi & ſacerdotis ſit populo ſancto pręeſſe, ſacris altaribus adeſſe, pro ſe & pro populo ſuo indeſinẽter orare, ſubſtantiam illis cum opus eſt elargiri, & animam et ſanguinẽ, vt occaſio dederit & poſtulauerit pro eis dare: certe munera hęc totum hominem requirunt, non diuiſum nec curis tẽporalibus diſtractum, nec rebus perituris affixum, imo totus ipſe vix ſufficiat, ſi totũ ſe impendat, vt tanto muneri reſpondeat: Nam ſi Apoſtolus ad tempus defraudare conſulit, tanquam valde expediens cõiugatis, vt per interualla temporũ vacent ieiunio & orationi: qui totos dies debet orare, & in multis eorũ altaris myſteria cõficere, & alia ſacramenta miniſtrare, totos dies oportet vt cœlebs maneat, et ſine nimia ſollicitudine tẽporali viuat. Quæ ratio ſaltẽ de ijs qui ad Eccleſias regẽdas eliguntur, efficaciſſime cõcludit, quam ſancti & ſynodi ad hoc applicãt propoſit. Nam ſi laturus ſanctus Moyſes legem populo præcipit, vt per tres dies ſit purificatus a mulierũ congreſſu, quanta puritate putas eos debere pręſtare, qui legem Dei in labris, in meditatione et operibus debent ſemper habere? Interrogabat

Baſilius I. epiſt. ad Gregorium.

Tertull.

 ille

ille Achimelech ſacerdos Dauidem, ſi mundi eſſent ipſe & pueri ſui, ab heri & nudius tertius a congreſſu mulierum, collaturus illis panes illos terreſtres propoſitionis, nōne coget Eccleſia eos qui perpetuo debent tractare panē illum ſuperſubſtantialē cœleſtem, in ſacrificio altaris perpetua cōtinentia? Solitarius certe debet eſſe ſacerdos, cuius vocatio in contemptu omnium rerū mundialiū conſiſtit, vt dilectio quæ cōiugatos a Deo quodā modo diſtrahit, ipſum Deo magis coniungat: Hoc (inquit) dicebat Apoſtolus cum cœlibatum conſulebat, ad vtilitatem veſtram dico, vt quod honeſtum & decorum eſt, ſequamini, et adhęreatis Domino abſq; vlla diſtractione. Quod ſi hanc vtilitatem et decorem cœlibatus profeſſio affert, laudabiliter et expedientiſſime epiſcopali et ſacerdotali ſtatui Eccleſia cōnexuit. Nec hoc dicimus quaſi cōiuges nō poſſint Deo perfecte placere, nam apud Deum omnia ſunt poſſibilia: ſed tunc perfecte placent, quando ſunt tanquam non habentes, aut cum magna gratię abundantia et charitatis, quæ raro inuenitur in ijs, qui ſic diſtrahuntur, qui diuiſi ſunt, et Deo nō toti adhęrent, alioſum, vt dixi, naturali amore filiorū et vxoris auulſi, qui veluti pondus grauiſſimum ad ſe videtur trahere hominē. Vita autem ſacerdotū, et maxime epiſcoporū, cum in ſtatu perfectionis exercendæ conſiſtat, omnia terrena debet reputare vt ſtercora, vt Chriſtum lucriſaciat. Iuuat autem multum ad hoc cœlibatū voto firmari, quatenus de perpetuo officio ſuo moneantur, et firmius in ſtatu ſuo Domino deſeruiant, et firmæ ſint in Eccleſia vocationes Dei. Dicit enim Baſilius, qui ſolus degit, ſui ipſius et propriarum corporis neceſſitatum curā gerit, aut fortaſſis etiam has contempſerit, ſeipſum ad hæc facile perſuadere potens. Qui vero vxoris ac liberorum curam gerit, non amplius propriæ mentis dominus exiſtit, ſed neceſſe habet vt illi quidem ad voluptatem inſeruiat, et circa liberorum curā occupatus, multam curarū abyſſum exhauriat, quas recenſere longius fuerit. Itaq; qui a mundi vinculis liber eſſe cupit, nuptias velut pedicas quaſdam fugit: his autem relictis vitam ſuā Deo cōſecret, et caſtitatem profiteatur, vt neque facultas ipſis ſit conuerſionis ad nuptias, ſed omni modo hęreat in certaminibus, pro caſtitate aduerſus naturam luctans, eiuſq; impetus violentiores. Nō ſolum hic ſanctus pater rationem dedit, qua laudabiliter poteſt non amplecti coniugalis vita, ſed quo ſecuriores vacemus Deo, perpetuæ caſtitatis profeſſionem conſulit. D. quoq; Hieronymus propter eaſdem cauſas vult virgines profeſſionem facere, quo. ſ. immobilius in propoſito cōtinentiæ perſeuerent, in regula cap. vi. Volo vos (inquit) mortuas ſeculo, vitijs & concupiſcētijs carnem crucifigere cum Chriſto, & quæ iam cœperunt proprio ſeſe voto caſtrare, ſub perpetuo virginitatis & caſtitatis propoſito, velut in duritie lapidis fore cum Chriſto ſepultas. Et paulo poſt; Sic deuotione firmetur veſtrum propoſitū, vt fides, ſpes ſit tota in

In prooemio cōſtitutionū exercitatoriarum.

Hieron.

Deo. hæc ille. Vides vtilitates neceſſitatis cõtinentiæ & profeſſionis eius. Sanctiſſimus martyr Cyprianus libello de ſingularitate clericorum, calamitates & impedimenta quę coniugium cõmuniter ſolet afferre, a ſola caſtitate vinci poſſe dicit, quam munimen vocat inuictũ ſanctimoniæ, expugnationem fortis infamię, probitatis pręſidium, pronubã ſanctitatis, puritatis culmen, & libidinis carcerem, quæ dum ſibi ſubtrahit adminicula cõcupiſcentiæ, mortua mẽbra ſua cognoſcitur baiulare, de quibus Paulus pręmonet, dicens: Mortificate mẽbra veſtra quæ ſunt ſuper terram. Et paucis interpoſitis, ſic vbiq; ſingularitas (ſacerdotũ) ſplendet vt omnes pro illa ſpondere non dubitẽt, & ita ſanctitatem in ſemetipſa clarificat, vt laudẽ ſibi ab inimicis extorqueat, quod maxime de propoſito quocunq; Paulus apoſtolus mandat, dicens: Oportet autẽ eum & teſtimonium habere bonũ ab his qui foris ſunt. & ante dixerat: Peius eſt q; mœchari, continentiã ducere criminoſam, & infamem ferrẽ ſanctimoniam, blaſphemiã ingerit religioni, qui quod cum cõfitetur, nõ ante oẽs impleuerit. Ibidem etiam dicit, magnam victoriam reportare ſacerdotẽ, qui integrã ſponſionẽ ſanctimoniæ ſeruat. in fine vero: Rogo vos quantum valeo & vltra quã valeo, hæc ſint ſtudia omnia clericorum, vt ſingularitatis inexcuſabili ſucceſſione fungantur, ne aut ipſi per fœminas, aut fœminæ per illos ad ignominioſa ludibria prouocentur. Vides quoties iſte ſanctus, quiſquis fuit, nam tẽpore martyrum fuit & epiſcopus; vt ipſa ſeries libri demonſtrat, nec ſtylus abhorret a Cypriano, quam digne ſentiat de ſponſione ſingularitatis clericorum ſacerdotum, quamq; obnixe eam cõmendat. Beatus quoque Ambroſius ſuper illo Timothęi incidens in locum vbi Paulus facit mentionem de epiſcopo filios habente, dicit: De cætero ab vſu fœminæ ſe cohibeant: veteribus enim idcirco conceſſum eſt Leuitis & ſacerdotibus vxores ad vſum habere, quia multum tempus ocioſe vacabant: nunc autem omnes a conuentu fœminæ abſtinere debent, quia neceſſe eſt eos quotidie pręſto eſſe in Eccleſia DEI, omni enim hebdomada offerendum eſt, etſi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada, & non deſunt qui prope quotidie baptizentur. Et aliam cauſam etiam aſſignat, quia oportet eos ſemper orare, quam ex Apoſtolo deducit, qui conſulit coniuges eſſe defraudandos, in conſuetudine carnali propter orationis & ieiunij exercitium.

Cyprian.

Profeſſ.

Ambroſ.

Sed nec ſacer cœlibatus repręhenſus vnquam fuit ab eccleſia Orientali, quæ et ſi cœlibes non elegerit ſacerdotes, ſaltem nunquam permiſit illis, vt poſt aſſumptum ſacerdotium vxores ducerent, ſed ſacerdotium ſacro cœlibatu perfici voluerunt, & re vera ſi omnino cœlibes eſſent qui aſſumuntur ad ſacerdotium, & nunquã in venerem fuiſſent diſtracti, vt Occidentalis eccleſia viſa eſt pretendere, longe facilius cœlibatus obſer-

uatur ab his, quam ab illis, qui prius mariti fuerunt. Videmus hoc in fœminis manifeſte, poſt expertã venerem difficilius cõtinere, quam ante admiſſam. Tertullianus aperte affirmat maiorem eſſe pugnam continentiæ viduarum, cum non multũ in annis proceſſerunt, quam virginitati: Poterit (inquit) virgo fœlicior haberi, at vidua laboroſior, itaque in parte difficilior videtur cœlibatus, vt in Orientali eccleſia eſt inſtitutus, quam ſit in Occidentali. Sed diſſolutio multorum qui ordinantur difficiliorem illum reddit. Adde quod antiquitas, vt Epiphanius refert contra Catharros, ad ſacerdotium non admittebatur, niſi aut omnino cœlebs, aut ſi maritus eſſet, tali lege aſſumebatur, vt generationi liberorum amplius operam non daret, omnino vt noſtra Clementis inſtitutio in principio decreuit, vbi idem Epiphanius Orientalis eccleſiæ vſum, qui eius tempore iam vigebat, vt hi qui liberos generent in ſacerdotium miniſtrarent & ordinarentur, negat eſſe canonicum, ſed per languorẽ diſciplinæ eccleſiaſticæ introductum atq; permiſſum. Incidit autem Epiphanius in hanc cœlibatus conſideratione (quo melius res expendatur) propter Catharros, qui eum qui poſt baptiſmum vxori cõiungebatur, non recipiebant in ſuis cõuenticulis, allegantes pro ſe legem cœlibatus impoſitam ſacerdotibus, quam Chriſtianis omnibus expedire contendebant. Huic ergo obiectioni reſpondens D. Epiphanius, hoc modo de cœlibatu ſacerdotum diſſerit: Quæ enim ad ſacerdotium tradita ſunt propter eminentiam celebrationis ſacrorum, ea ad omnes æqualiter ferri putauerunt, quum audierunt quod oportet epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, continentem, ſimiliter & diaconum & presbyterũ. Re vera enim non ſuſcipit ſancta Dei prędicatio poſt Chriſti aduentum eos, qui a nuptijs mortua ipſorum vxore, ſecundis nuptijs ſint coniuncti, propter excellentem ſacerdotij honorem & dignitatem. Et hęc certe ſancta Dei Eccleſia cum ſynceritate obſeruat, ſed & adhuc viuentem, & liberos gignentẽ, vnius vxoris virum nõ ſuſcipit, ſed cũ qui ſe ab vna cõtinuit (ſic enim legi debet, non vt Cornarius legit, qui transfert, ſed eam, qui ſe ab ea continuit, quomodo enim vna ab vna cõtineri poſſit) aut in viduitate vixit, diaconum, presbyterum, epiſcopũ, & hypodiaconũ, maxime vbi ſynceri ſunt canones eccleſiaſtici. Et reſpondens obiectioni, quod multi ex Orientis prouincijs ſacerdotes mariti ſumebantur, et gignẽtes filios, reſpondit: At hoc non eſt iuxta canonẽ, ſed iuxta hominum mentem, quæ per tẽpus elanguit, & propter multitudinẽ, cũ non inuenit miniſterium. Nam quod decentius eſt, id ſemper Eccleſia per ſpiritũ ſanctũ bene diſpoſita videns, ſtatuit apparare, vt cultus diuini indiſtracte Deo perficerentur, & ſpirituales neceſſitates cũ omni beneuola cõſcientia peragerentur. Dico autem quod decorum eſt propter repentina miniſteria ad neceſſitates, vt presbyter, diaconus, epiſcopus Deo deditus ſit. Si eñ

etiam

Tertull. Lib. 1. ad vxorem.

Cœlibatus Eccl'eſiæ Græcæ.

Epipha.

Bigamia prohibita ijs qui ordinãdi ſunt.

Probat cœlibatũ Epipha. ſimpliciter in Orientali eccleſia.

etiam populo pręcipit S. Apoſtolus, dicens, vt ad tempus vacent orationi, quanto magis ſacerdoti idē pręcipit, vt indiſtractus ſit ad vacandū ſecundū Deum ſacerdotio vt in ſpiritualibus neceſſitatibus ac vſibus pſiciatur. Licitum eſt aūt populo, vt propter imbecillitatē feratur, vt qui nō poſſunt in prima vxore, ſecundę, poſt primę mortem coniungantur.

Vides rigoroſum cœlibatum ſecundū antiquas regulas in Orientali eccleſia obſeruatū, propter decentiam ſacerdotij, vt perpetuo ſeruaretur, merito introductū. Et licet hic ſanctus mos nō plene in illis partibus obtinuerit, propter languorem diſciplinæ vt Epiphanius dixit, cœlibatus tamen his qui iam ſacerdotes erant, ſi mors vxoris contigiſſet, magno rigore in illa Eccleſia ſemper fuit obſeruatus, nec vnquam ab eis damnata fuit lex iſta, quam Clemens nobis propoſuit, ſed laudata, vt patet ex vi. ſynodo, quę tempore Iuſtiniani ſecundi, perfecta fuit, quando eccleſiaſtica diſciplina multo magis corrupta erat in Oriente, ꝙ ætate Epiphanij: nam ducenti anni fluxerunt ab illo, vſqꝫ ad huius ſynodi tempus. Igitur cum Cleri diſciplinam pius iſte Imperator corruptam eſſe in hac parte cerneret, cōtendebat cum ſynodo, vt ſacerdotes Orientis, ad rigoroſum cœlibatū cogerentur, ad modū Romanæ eccleſiæ. Patres autem illic cōgregati de more ſacerdotum, attendētes cœlibatum iſtum mediū quodāmodo eſſe inter cōiugium, & Occidētalis eccleſiæ cœlibatum, quem hodie obſeruant Greci, firmauerunt. Canon qui hæc cōtinet, tertius eſt in ordine canonum huius ſynodi, qui ſic habet: *6. ſynodus.*

Quoniam pius & Chriſti amicus rex noſter, huic ſanctæ & œcumenicę ſynodo propoſuit, vt in Clerum electos, quiqꝫ alijs diuina tranſmittunt, puros exhiberemus, & miniſtros irrepręhēſibiles, dignoſqꝫ optimo maximo Deo, ſacrificio ſpirituali, & victima principis ſacerdotum, purgaremuſqꝫ inuidiā, quam per illicitas nuptias habuerūt. Ob hoc tā ex ijs, qui ſanctiſſimæ Romanę eccleſiæ exactū exquiſitumqꝫ, quam ex his qui humanū incōmodiſqꝫ hominū accōmodatum, ſedis huius piæ regiæqꝫ vrbis inſtitutū ſibi ꝓpoſuere obſeruandū, e duobus vnū cōponentes, nō ſecus ac par ē, patres Deiqꝫ cultores agere, vt nec ex lenitate diſſolutionē, nec ex rigore auſteritatē relinquamus, maxime ex ignorantiæ culpa, quæ bonā hominū partē peruaſiſſe videmus, Sancimus, vt qui ad ſecūdas trāſierit nuptias, nec vſqꝫ ad decimū octauū Kalēdas Februarij mēſis, iiij. inditiōis anni ſexies milleſimi, cētetſimi, nonageſimi noni, a peccato cui mācipati ſunt, reſipiſcere voluerint, depoſitioni canonicæ ſubiaceant: qui vero ad hanc ſecundarum nuptiarū affectionē tranſierint quidem, ſed ante noſtram cognitionem, conducibile agnoſcentes, & malum a ſeipſis reſecantes, proculqꝫ peregrinam hanc ſpurcamqꝫ coniunctionem abijcientes, vel quorum ſecūdę vxores obiere, ſiue presbyteri ſiue diaconi, viſum eſt hos ceſſare debere ab omni ſacro munere, & actione, in certum *Canon' de cœlibatu eccleſiæ Orientalis.* *Cōtagia ſacerdotū reſcindit ſynodus tanquā illicita*

tempus

tẽpus damnatos,dũmodo honorẽ ſuæ ſedis & ſtatum retineant, cõtenti primo accubitu,lachrymis a Domino flagitantes, vt ſibi remittat illud ignorantiæ peccatum.hæc ſynodus.

In hoc decreto multa habes minime prætermittenda. Primum quod lex cœlibatus eccleſiæ Romanæ laudatur & probatẽ a tota eccleſia Orientali. Secundo,quod copulationes ſacerdotum cũ mulieribus prętextu coniugiȷ̃ factas,damnat & reſcindere iubet vniuerſalis ſynodus, vocans eas ſpurcas et peregrinas coniunctiones. Nec hoc circa ſacerdotes tantũ in vſu erat,ſed circa diaconiſſas,quæ ad ſacrum ordinẽ vt declarauit Nicęna ſynodus minime pertinebant,hoc idem ſtatuitur in Chalcedonenſi ſynodo,vbi dicitur quod ſi poſt ſuſceptum miniſterium nuptiȷ̃s ſe tradiderit,iniuriam faciens Dei gratiæ,anathema ſit.hæc ſunt verba ſynodi.

Cano.11.

Cœlibatus epiſcoporũ eccleſiæ Orietalis magis rigoroſ9 quã noſter, ad normam tandem antiquã.

Circa epiſcopos vero,cœlibatus tanto cum rigore ſeruabatur, vt aut nonniſi cœlibes eligerentur,aut ſi mariti eligebantur, & ipſi et eorum vxores electioni cõſentientes,eo ipſo ad cœlibatũ cõſtringebantur,ſponſione mutua epiſcopi electi et vxoris ſuæ promiſſa. Et hoc eſt quod volebat D. Clemens in ſuo ſtatuto,canon. xiȷ̃. ſextæ ſynodi, id nobis plane cõmonſtrat,qui ſic habet:Et hoc ad noſtrã cognitionẽ peruenit,in Aphrica,Libyaq́,qui ibi religioſiſſimi ſunt antiſtites,propriȷ̃s cohabitare vxoribus,et poſtquã ad illos electio peruenit,non ſeiungi, offendiculũ cęteris apponentes & ſcandalum. Cum igitur magno curemus ſtudio vt omnia ad vtilitatem ouilium,quæ ſub imperio ſunt, gerantur, viſum eſt ne quid huiuſmodi poſt hoc fiat. Si quis autẽ huiuſmodi patraſſe deprehendatur,deponatur. Quia vero his obȷ̃ci poſſit,quod & modo obȷ̃ciunt exempla apoſtolorum ad malum allegantes, nunquid apoſtoli non fuerunt perfecti epiſcopi & ſacerdotes, & tamen fere omnes fuerunt coniugati,tum etiam quod multos coniugatos ſuo tẽpore elegerunt ad epiſcopale & ſacerdotale munus,non ergo eſt tam expediens cœlibatus vt ſignificaſti,ita vt lege perpetua debeat confirmari. Fatemur coniugium ſanctum cum epiſcopali & ſacerdotali munere minime repugnare, nam præter hoc quod multi apoſtoli cõiugati fuerunt, canon. xxxix. eorum affirmat ſuo tẽpore nõnullos epiſcopos vxores & liberos habuiſſe,cum circa epiſcoporum teſtamenta diſponit, & canon. l. eos redarguit epiſcopos & presbyteros,qui non propter exercitationem & meliorem vtilitatem nuptias ſpreuerunt,ſed de nuptiȷ̃s male ſentiẽtes,id quod canon. iiȷ̃. Gangrenſis ſynodi etiam declaratur. Erant tamen apoſtoli tanquam ſi eas non haberent, vt Paulus dicit: Qui habent vxores tanquam nõ habentes ſint. Et ad hoc inuitabant omnes: nã Apoſtolus dicebat, vellem omnes homines eſſe ſicut me ipſum, nec mulieres illę quas circumducebant,erant illis in vſu coniugiȷ̃,ſed tantum ad vſum miniſteriȷ̃. Adde quod tanta erat in apoſtolis virtus & flagrantiſſima charitas, vtpote qui iam

Cõfugiũ repugnat ſacerdotio.

Canone apoſtolorũ 39

Can. 50

Canon. 4

iam in Deum tranſirent, vt iſta non eſſent illis impedimento aliquo, ad munus prędicationis & gubernationis Eccleſiarum obeundũ, quare exemplum eorũ non eſt adducendum in ſtatu præſentis Eccleſiæ, vbi oẽs quæ noſtra ſunt, quærimus: & non quæ ſunt Ieſu Chriſti: exemplis enim ſanctorum vti debemus ad noſtram vtilitatẽ, & nõ ad perniciẽ, vt multi ſtulti & imprudentes faciunt. Quod vero multos maritos apoſtoli ad epiſcopatum aut ſacerdotium elegerint, hoc certe me latet, & puto falſum eſſe: nam Timotheus, Titus, Dionyſius, Ignatius, Polycarpus, Martialis, Clemens, Anacletus, Linus, qui creati ſunt ab apoſtolis epiſcopi & ſacerdotes, omnes cœlibes fuerunt: crediderim tamen propter neceſſitatẽ Eccleſiæ, nonnullos maritos illa ætate fuiſſe ab eis ad epiſcopatũ electos, vt Canon ille de teſtamentis epiſcoporum refert, a nobis ſæpe allegatus, coactis inſeruire infirmitati promouendorum, & Eccleſię neceſſitati. Aliud vero eſt quod cogebantur apoſtoli facere, & aliud quod facere deſiderabant. Huic ergo obiectioni reſpondit ſacroſancta ſynodus in calce huius canonis, cum iubet epiſcopos ab vxoribus ſeiungi, Hoc (inquit) pronunciamus, non quod improbemus aut ſubuertamus quæ apoſtolice ſancita ſunt, ſed ad populi ſalutis promotionem melius proſpicientes, id eſt, in pulchriorem ordinẽ (epiſcopos) redigere volentes: nam apoſtoli fidelium infirmitatibus ſe demittebant. Meminit quoq; beatus Hieronymus huius diuortij voluntarij aut ſeparationis epiſcopi ab vxore, epiſtola ad Ruſticum, epiſcopum Narbonenſem, qui vbi inuitauit eum ad lectionem & curam pauperũ, quæ pręcipue partes epiſcopi ſunt, ait: Amãda vxor eſt ſicut Eccleſia, vt templũ Dei, cum ea orandũ, cum ea legendũ, abſtinendum, cõmunicandum in altari, non in opere, ſpiritu, non carne viuendum: venerari autem & te propter coniugium legis debet ipſa, non deſiderare propter principium delinquendi, quia tibi vſum coniugij interdictum eſſe perpendis, cum te epiſcopum eſſe cognoſcis. Exultet in Domino, gratias agat Deo, quod de corruptione liberata, tibi quoque debitrix ſit; eo quod ad hoc officium aduolaſti, ad quod conſentiente ipſa, electus es Domino, quod prius de omnibus vt decuit, tranſegiſti, quam epiſcopatum rogatus acciperes, & ſeparatus a cõiuge, in Eccleſia permaneres. Vides clare Eccleſiæ antiquum morẽ, nemo ad epiſcopatum deligebatur, niſi vxoris conſenſu pręmiſſo, vt in perpetua caſtitate, ambo propter electionem mariti permanerent. Itaq; non cogebantur coniuges, cum maritus eligebatur ad cœlibatũ, ſed non habebatur pro rata & firma electio, niſi ambo conſentientes cœlibatũ promitterent: poſt votum autẽ iam emiſſum, non erat illi liberum ſecundũ eccleſiaſticam legem coniugalem conſuetudinem repetere: non quod coniugia abhorreret Eccleſia, quæ ſemper laudauit atque permiſit, ſed propter voti obligationem, & ſacri ſtatus decentiam, cogebantur pactionibus

ſanctis

ſanctis ſtare, quod pium & ſanctiſſimum eſt, vt iam probauimus, & hoc eſt quod vult Clementis Traditio in principio a nobis propoſita. Quod vero ſponſio mutua debuiſſet pręcedere, antiquorum conciliorũ decreta hoc plane indicant.

Sponſio cõiugũ ad cœlibatũ pręmitteba-tur ordinationi antiquitus

In ſynodo Arelatenſi ſecunda, tempore Syluestri aut Iulij primi celebrata, in qua adfuerunt Pontifices ex toto Occidente, ſic decernitur canone ij. Aſſumi aliquis ad ſacerdotiũ non poteſt in coniugij vinculo cõſtitutus, niſi fuerit promiſſa cõuerſio. & in tertia Arelatenſi Martiani tẽpore coacta, primo canone ſic inſtituitur: Nullus Laicus ordinetur epiſcopus aut presbyter, ante vnum annum cõuerſiouis: vbi per cõuerſionẽ nihil aliud intelligitur, ꝙ propoſitum non accedendi ad vxorẽ ex cõſenſu. Et in ſecunda Toletana: Si qui ſuæ ſponſionis immemores, ad furtiuos cõcubitus vltra cõcurrant, vt ſacrilegij rei ab Eccleſia habeantur extranei: his autem quibus voluntas propria interrogationis tempore, deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab epiſcopo licentiã auferre nõ poſſumus, ita tamẽ vt ſi perfectæ ætatis in cõiugio poſiti, rennnciaturos ſe pari conſenſu carnis operibus ſpopõderint, ad ſacros gradus aſpiret. Hic et ſi paulo tẽperantius de cœlibatu eorꝝ, qui mariti ad ſacros ordines aſſumebantur, fiat mentio, ſatis tamen conſtat, quomodo cœlibatus lex, his qui coniugati ordinabantur, imponebatur.

Acceſſit huic legi a D. Clemẽte & Syluestro æditæ autoritas ſubſequentium ſynodorũ pariter & Pontificũ cõſenſu totius Eccleſiæ firmata.

Ancyrana ſynodus. Cano. 10

In Ancyrana enim ſynodo in Galatia celebrata paulo ante ſynodum primã Nicęnã, mentio fit de ordinatione diaconorũ, qui tẽpore ordinationis ad profeſſionẽ caſtitatis inuitabantur, quanquã non cũ tanto rigore.

Synodus Neocæſarienſis

Et in ſynodo Neocęſarienſi vxorem ſacerdotis in adulterio deprẹhenſam iubent patres a ſacerdote dimitti, aut a miniſterio ceſſare, quod Laicis neutiquã præciperetur, ſed potius ſuaderetur, vt repudiatã acciperent, promittentem emendationẽ vitæ.

Synodus Gangrẽ.

Synodus Gangrenſis canone xxi. virginitatem & cœlibatum non ſolũ admittit, ſed ipſum laudat et magnopere admiratur canone xxi. Nos autẽ (inquit) virginitatẽ cum humilitate admiramur, & continentiã cum caſtitate et religione Deo acceptiſſimam dicimus. Nec Canon. iiij. eiuſdem ſynodi in aliquo ſtatui cauſæ noſtræ pręiudicat, quo iubetur ne quis diſcernat presbyterum coniugatũ tanquã occaſione nuptiarũ offerri non debere, nã Canon ille directe contra ſectam Manichęorum eſt, ſicut & tota iſta ſynodus, quæ ſacerdotem coniugatũ abominabantur, hoc ſolo nomine quod nuptijs eſſet copulatus, quia dicebant a diabolo eſſe inuentas: a nobis autem ſi incuſatur ſacerdos coniugatus, nõ eſt niſi quia cõtra votum emiſſum, et vniuerſalis Eccleſiæ determinationẽ, nec non ſacerdotalis ſtatus decentiã agit, qui hoc modo coniungitur: quod optime declaratur ab ipſa eadẽ ſynodo,

canone

canone ix. Si quis (inquit) virginitatem vel continentiam profeſſus, tanq̃ abominabiles nuptias iudicat, & non propter hoc ſolum quod continẽtię & virginitatis propoſitũ ſanctum et bonum eſt, anathema eſto. Laudat igitur ſancta ſynodus cœlibatus & continentiæ profeſſionem, ſed damnat ſi ea opinione fiat, vt nemo in coniugio poteſt ſaluari, abominando ſanctas nuptias, & dignitatem earum.

Secunda Carthaginenſis ſynodus, electos ſacerdotes et diaconos, ab vxorum congreſſu prohibet, ea tamen limitatione quam dudum poſuimus, videlicet ſi tempore electionis conſenſerint ambo coniuges in conuerſionem. Placet vt epiſcopi, presbyteri et diaconi, vel qui ſacramenta contrectãt, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant: ab omnibus dictum eſt placet. quæ inſtitutio licet ſtatim in Africanis eccleſijs in totum non obtinuerit, vt patet ex canone xij. & xiij. eius, ſuccedente tamen tempore obtinuit. Nam tempore Auguſtini qui in hac ætate etiam fuit, rariſſimi aut nulli in Africa erant epiſcopi & ſacerdotes coniugati: imo ipſe clericorum monaſterium inſtituit in ſua Eccleſia, a quibus in eiuſmodi profeſſionibus plus exigebat quam Hieronymus a ſuis monachis. Quod et Carthaginẽſis quarta ſynodus, canone tertio confirmat, cui idem D. Auguſtinus interfuit. hoc modo: Placuit epiſcopos et presbyteros et diaconos ſecundũ propria ſtatuta etiam ab vxoribus cõtinere: quod niſi fecerint, ab eccleſiaſtico remoueantur gradu. Iam vides ſacram legem cœlibatus in Italicis eccleſiis (præterquam in Calabria et Gręcorum quibuſdam Eccleſiis, quæ more Orientaliũ viuunt) et in Gallicanis et Africanis maiore robore et conſenſu Pontificum eſſe firmatam.

2. ſynod. Carthaginenſis, Canõ de cœlibatu

Lex cœlibatus in Aphrica tẽpore Auguſtini.

Circa hæc tempora fuit ille Syricius Romanus Pontifex tantopere a D. Ambroſio laudatus, qui ſcribens ad Himerium Tarroconenſem epiſcopum, ſuper diſſolutione multorum ſacerdotum, legem cœlibatus tertio refirmat, quaſi eodẽ modo ſicut eam tulerat beatus Sylueſter, vbi illicitas coitiones ſacerdotum reſcindit ſub matrimonij prætextu factas, et eos qui ignoranter contraxerunt, ad veniam recipit, hac lege, quod gradus ſuperiores illos aſcendere non liceat, ſi ſe poſt monitionem eius a mulieribus, quas prætextu matrimonij habebant, abſtinerent: decernens, vt deinceps omnes leuitæ et ſacerdotes inſolubili lege conſtringerentur, vt a die ordinationis ſuæ ſobrietati et pudicitiæ corda manciparent. Quod ſi quis (inquit) epiſcopus, presbyter et ſubdiaconus, deinceps fuerit talis inuentus, iam nunc ſibi omnem per nos indulgẽtiæ aditum intelligat obſeratum: quia ferro neceſſe eſt excidantur vulnera, qui fomentorum non ſenſerint diſciplinam. Non eſt hic quod aliquis arguat de iniuſtitia Syricium, eo quod ſacerdotes iuſſerit a ſuis mulieribus ſeparari: nam cum illi contra ordinationem Eccleſiæ vxores duxiſſent, irritæ ſunt pactiones quæ contra principum voluntatem fiunt. Non enim iubebat hoc

Lex cœlibatus Siricij.

nouiter ipſe Siritius, ſed exequebatur quod ſancti patres ante ipſum diffinierunt. Id quod poſtea Innocentius primus & ſecundus, D. & magnus Gregorius confirmarunt. Vltimo vero ad Germanos hæc lex deuenit.

Zachari. Nam Zacharias Papa tempore Caroli magni Francorum principis, in epiſtola ad Bonifacium, Turingiorum epiſcopum miſſa, iubet vt ſacerdotes & epiſcopos ſuæ ditionis non permittat honore ſacerdotali fungi, qui cum mulieribus vna habitabant, quorum multi coniugij prætextu hoc faciebant: Hi (inquit) neq; ſacerdotio fungi patiantur, neq; diuina myſteria contingere cõmonemus, & ſi quid vero aliud eos contra eccleſiaſticam regulam feciſſe repereris, Canones ſiue inſtituta patrum præ manibus habe, & iuxta quod ab eis edoctus fueris, diſcerne. Non eſt dubium quin inter canones haberetur conſtitutio de cœlibatu, quam cũ alijs iubet obſeruari bonus iſte Pontifex.

Synod. Agathẽſis, Canõ de cœlibatu. Tempore Sixti tertij paulo poſt Siricij & Innocentij primi ætatem, percelebre Concilium Agatenſe in Gallia cogitur, vbi canon Syritij de cœlibatu vniuerſaliter ratum habẽtur, canone nono huius ſynodi, qui ſic habet: Placuit vt ſi presbyteri vel diaconi coniugati ad thorum ſuarum redire voluerint, Papę Innocentij ordinatio et Syricij autoritas conſeruetur. Quod ſi ad aliquos formula illa eccleſiaſticæ vitæ, pariter et diſciplinæ quæ a Syricio epiſcopo ad prouincias cõmeauit, non probabitur peruenisse ſigno rationis, venia remittitur, ita vt de cętero penitus incipiãt abſtinere. Si autem ſciſſe formam viuendi miſſam a Syricio epiſcopo deteguntur, neq; ſtatim cupiditates libidinis abieciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmouendi: eo quod poſt admonitionem cognitam, præponendam arbitrati ſunt voluptatem. Poſt vero in concilio Turonenſi, tempore

Turon. ſynod. Hilarij papæ hoc modo de cœlibatu decernitur canone primo: Si vniuerſis fidelibus ſecundum apoſtolicam doctrinã caſtitas cuſtodienda indicitur, vt qui habent vxores ita ſint, quaſi non habentes: quanto magis ſacerdotes Dei ac leuitæ diuino mancipati altario, cuſtodire debent, vt non ſolum cordis, verumetiam corporis puritatem ſeruantes, prò plebe ſupplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire auditum. Et paulo poſt: Cum ergo laico imperetur, vt poſſit orationi vacare, & a Deo exaudiri, vt ab vxore abſtineatur, quanto magis ſacerdotes & leuitæ, qui omni momento parati eſſe debent, aut ſacrificium offerre, aut orare, aut ſacra exercere.

Synod. 4 Toletan. Item in ſynodo quarta Toletana tempore D. Gregorij celebrata, hoc modo decernitur, canone vigeſimo ſexto:

Canõ de cœlibatu. Quando presbyteri aut diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos profeſſionẽ epiſcopo ſuo facere, vt caſte & pie viuant ſub Dei timore: vt cum eos tali profeſſione obligauerit, ſanctam diſciplinam retineant.

En tibi ſacram cœlibatus legem a Petro apoſtolorum principe edoctã,

& per

& per Clementem ſucceſſorē ſuum Eccleſijs inuulgatam,deinde per Silueſtrum,Siricium,Innocentium primū, & ſecundū Gregorium magnū, Zachariam,ſanctos & Deo dignos Pontifices roboratā. Item ſynodis Galliæ, Africæ,Hiſpaniæ & Italię cōfirmatam,nec non ab Orientalibus eccleſijs olim,vt Epiphanius retulit,ſeruatam:poſtmodū vero ab eiſdem Orientalibus eccleſijs & ſynodis earum,in totū laudatam & in parte retentam: quæ autoritas tā magna eſt, vt ſpiritus ſancti magiſteriū ſpernere prorſus videatur,quo totū corpus Eccleſiæ regitur & gubernatur, qui eam ſpernit. Nec video quid contra hanc legem rationabiliter dici poſſit. Eſt enim lex de re quodāmodo nobis poſſibili, honeſtiſſima, ſtatui ſacerdotali & epiſcopali decentiſſima,et a patribus et Eccleſiarum præſidibus, qui legitimā condendi legum autoritatē habent, a tēpore apoſtolorum pręſcripta:neceſſario igitur obſeruanda eſt, interim quod non relaxatur.Nec mouere debet aliquē,quod vir ſanctus Paphnutius in Nycęna ſynodo videatur ſe oppoſuiſſe huiuſmodi decreto,cum a patribus illic congregatis(quod Sozomenius dicit) vniuerſaliter introduci videretur cœlibatus,quia cœlibatus, quē tunc volebant introducere patres,imponebatur presbyteris et epiſcopis,qui iam erant coniugati,ſine vlla cōditione et moderatione,Nec lex aliqua vniuerſali cōſenſu roborata, quæ hoc coniugiū prohiberet, extabat. Itaq; illic erat mera coactio ſine neceſſitate: hic autem non eſt niſi conditione libera et moderata, et acceptata,hoc eſt,q̄d ſi aliquis vult eligi et ordinari, cogit̄ ſubinde cœlibatum profiteri.Cum autē per voluntatem talis eligatur, et ipſe acceptet ordinationem, viſus eſt etiam ſe obligare voluntarie cœlibatui. Qui enim vult principale, etiam velle videtur ea quæ conſtant illi eſſe annexa.Quod ſi ſemper contendāt aduerſarij adhuc hanc indirectā coactionem eſſe iniuſtam:contra naturalem rationem plane loquuntur, et de Eccleſiæ autoritate peſſime ſentiunt. Quis enim dubitat Eccleſiam ſanctam eſſe vere politiam,et in ea eſſe mēbra, caput, et alia principalia, quantum ad hæc quæ ſpirituale et externum regimen concernunt, huiuſque corporis Eccleſiæ ſanctos Pontifices fuiſſe capita,reliquos autem fideles mēbra? Cum igitur homo politicus (vt recte dicebat Plato) non ſui ſolū,ſed Reipublicę in qua viuit cauſa,principaliter natus ſit:cōſequitur quod boni cōmunis gratia licite poteſt aliquis priuari iure ſuo particulari,vt cōmuni vtilitati inſeruiat. Vt eſto exempli gratia propter vtilitatem Reipublicæ Imperator egeat opera alicuius ciuis probi et prudentis,ad hoc vt legatione fungatur apud regem Perſarum,quem ciuem volo eſſe iuuenem et coniugatum, nunquid talis cogi nō poſſet ab Imperatore,vt per ſeptem aut decem annos, et ſic vſq; ad finem vitæ legatione huiuſmodi fungeretur? certe qui hoc negaret, politici iuris omnino expers eſſet, & contra rationem hoc affirmaret. In hoc euentu, ſi ad ius

Epilog.

Paphnutius, *oppoſuit ſe decreto de cœlibatu, cum*

Quod Eccleſia poteſt imponere legem cœlibatus ſtatui ſacerdotij. Plato

particularis perſonæ reſpicias, iniuria irrogatur viro illi politico, iniuria etiam afficitur vxor eius, quos coniugali conſuetudine Imperator priuat, qua ad inuicē erant obligati, a qua coactę ſeparantur: ſed quia cōmune bonum longe præſtantius eſt quocunq; particulari in illo cōmuni incluſo, politicus iſte & vxor ſua tenētur bonum cōmune pręferre particulari: Ideoq; nulla iniuſtitia cōmittitur in huiuſmodi coactione, quia vt probata diſtinctione Scoti vtar, tenentur ambo ſecundū actum debitū ſe cōformare Imperatoris mandato. Et quamuis ſit coactio ſecundum actum elicitum, quo iſti nolunt ſeparari, quia tamen nō coguntur ſecundū actū debitum, id eſt, ſecundum voluntatem iuſtā, quam iſti tenebantur circa huiuſmodi mandatum adhibere, coactio eſt iuſta & rationi valde conſona. Ad propoſitū igitur, ſi in Eccleſia eſſet magna pęnuria ſacerdotū aut epiſcoporum, ita vt neceſſario eſſet eligēdus aliquis laicus in epiſcopum, nunquid cogi nō poſſit aliquis vir probus, honeſtus, ad epiſcopatū aptus, pro vtilitate Eccleſiæ, & inuitus epiſcopus ordinari? certe nulla ratio eſt, qua poſſit hoc negari. Nam iſte mēbrum eſt huius cōmunitatis, non gratia ſui tantum natus, ſed Reipublicæ eccleſiaſticæ in qua viuit: tenetur ergo ſuccurrere ſuæ Reipublicę: & ſic nulla ſit ei iniuria ſi cogatur, nec propter vnum vel duos teneretur tunc temporis Eccleſia, quæ cōuenientiſſime annexa ſunt ſacerdotio, relaxare: quod ſi directe aliquis cogi poteſt ad epiſcopatū, cuius prouincia tam periculoſa eſt, & tantam perfectionē poſtulat in ordinato: a fortiori indirecte cogi poſſunt ad legē cœlibatus, ordinandi ſacerdotes. Id quod irrefragabilibus exemplis etiā confirmo.

Scotus.

Synodo Antiochena.

In ſynodo Antiochena, can. xvij. ſic decernitur: Si quis epiſcopus ſuſcepta manuum impoſitione, & deputatus populis præeſſe, nō ſuſcipiat miniſterium ſacerdotij, nec conſentiat habere Eccleſiam, in qua fuerit ordinatus, hunc incōmunicabilem eſſe debere, donec coactus conſentiat Clerum ſuſcipere. Hic clare dicit, quod electus ad epiſcopatum, ſi renuerit ſine legitima cauſa, cogi poſſit. Nec ob id Eccleſia aliquam ex ſuis legibus tenetur abrogare: alias magis ſe accōmodaret Eccleſia vni indiuiduo ſui corporis, quam indiuiduum Eccleſiæ propter quam eſt, Eccleſiaque videretur magis nata eſſe propter vnum mēbrum, quam particulare membrum natum eſſe propter Eccleſiam: quod pugnat manifeſte cū ipſa ratione. Eſt etiam in ſynodo viij. Toletana exemplum quod mire explicat propoſitum noſtrum. In Hiſpania ſub hac tempeſtate nonnulli coacte electi ſunt ad dignitates, & ordines eccleſiaſticos, electi vero cum ordinarentur, proteſtati ſunt contra voluntatem ſuam eligi & ordinari, poſt ordinationem autem, quidam ad coniugia priſtina ſunt reuerſi: alij vero noua coniugia contrahere attentabant, delata eſt cauſa ad ſynodum de more Eccleſiæ, ſuper cuius deciſione hanc tulit ſententiam ſacra ſynodus, canone ſeptimo.

Synod. Tolet.

Adijc

Adijt cœtum noſtrum tam inuerecũda progreſſio, ignobiliſq; ac de- teſtanda præſumptio, quoſdam enim aut euentu neceſſitatis, aut metu periculorum, ab epiſcopis ſumpſiſſe nouimus eccleſiaſticarum officia dignitatum, & quoniam cum illis hęc imponerent, id ſibi fieri noluiſſe teſtati ſunt, idcirco id ſpernere, atq; ad priſtina pertentant cõiugia, moreſq; adire, tam nequiter cœleſtia iura ſoluentes, quam prompte extant ſeculi illecebris inhiantes. Qua de re noſſe nos cõuenit, quod epiſcopali eminentię diuina autoritas non immerito in ſacris omnibus quædã ſumma conceſſit, quæ cęteris ſacerdotibus exercenda prohibuit: vt templorũ ſacrationem, chriſmatis benedictionẽ, & ſacrorũ ordinum reſtitutionẽ. Nequaquã ergo aliquando poterit prophanari, quod diuina iuſſione ſimul & apoſtolicæ Traditionis autoritate ſacrum noſcitur extitiſſe. Verum ſicut ſanctum chriſma collatum & altaris honor euelli non queũt, ita quoq; ſacrum decus honorum, quod ab his cõparatum habetur quælibet fuerit occaſione perceptũ, in perpetuum manebit omnimodo in cõcuſſum. Et adfert exemplum nõ omnino impertinens de pueris qui baptizantur ſine propria voluntate, qui tamen poſtea coguntur ſtare promiſſis baptiſmi, & ſubiungit: Et licet inuite percœperint, libenter tamen ob cœleſte retinent meritũ, quod nolendo cõſecuti ſunt, propter neceſſitatis euentum. Quod ſi quis per hoc diſpoſitionis edictum, nõ ſynceriter ſacris inhæſerit cultibus, & abijciens ab ſe gratiam quam accepit, relabitur ad coniugium, moreſq; ſeculares, mox omnis eccleſiaſticæ dignitatis priuetur, & vt apoſtata a ſanctæ Eccleſiæ liminibus prorſus habeatur excluſus, & a ſocietate fidelium in monaſterij clauſtris donec vixerit pœnitentia detrudendus. hæc ſynodus. Vbi vides ex diuina autoritate quã præſides in Eccleſia habent, inuitos aliquos ab eis poſſe ordinari, & ad cœlibatum & omnia munia ſacerdotali ordini annexa cogi, quãdo ſubeſt Eccleſiæ neceſſitas aut magna vtilitas: quam cum oſtenderimus eſſe non vulgarem, conſequitur ab Eccleſia legem hanc cœlibatus laudabiliter poſſe introduci.

Sententia ſynodi.

Quo fit Vinctonienſem contra eccleſiaſticas & diuinas regulas munus iſtud coactionis in rebus ſpiritualibus principibus tẽporalibus tribuiſſe: non enim habent illi poteſtatem directam vllam ſpiritualem, circa ſacramenta & ea quæ ſpiritualem ſtatum concernunt, nec vnquã tale auditum eſt in Eccleſia: reddenda enim ſunt quæ ſunt Cæſaris, Cęſari: et quæ Dei ſunt, Deo.

Eſt etiam apud Hieronymum, in quadam epiſtola D. Epiphanij miſſa ad Ioannem Hieroſolymitanum patriarchã illuſtre aliud exemplum, vbi Epiphanius excuſat ſe, quod in Diœceſi Hieroſolymorum quendã monachum ordinauerit, in Hieron. monaſterio degebat: quẽ dicit ſe omnino inuitum ordinaſſe propter neceſſitatem monaſterij, quia non erat in

1. volumine epiſtolarũ, epiſt. 19.

Epipha. eo qui ſacra celebraret. Dicit igitur: Cum celebrarem collectam in Eccleſia villę, quæ eſt iuxta monaſterium noſtrum, ignorantem ſcilicet Paulinum (nam hic erat qui ordinatus fuit) per multos diaconos apprehendi iuſſimus, & teneri os eius, ne forte liberari ſe cupiens adiuraret nos per nomen Chriſti. Et primũ, diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & cõpellentes vt miniſtraret: valdeq́ obnitebatur indignum ſe eſſe conteſtans: vix ergo cõpulimus eum & perſuadere potuimus teſtimonio ſcripturarum et mandatorum Dei. Cum vero miniſtraret in ſanctis ſacrificijs, rurſus eum cum ingenti difficultate tenere iuſſimus, eumq́ ordinauimus presbyterũ, & ijſdem verbis quibus antea ſuaſeramus, impulimus vt ſederet in ordinem presbyterij. Hæc Epiphanius: qui non ſolum pro bono monaſterij illius qui ordinabatur ad ſacerdotium, monachum illũ coegit, verum & violenter ipſo renitente in ſacerdotij ordine collocauit. Et innumeri etiam alij ſancti ſunt, qui inuiti & nolentes, et adhuc ſine multa neceſſitate coacti ſunt munera epiſcopalia et ſacerdotalia obire: quare ex hac parte, quanq́ lex cœlibatus, indirecte cogat ordinatos, vt a coniugio abſtineãt, non eſt illicita, ſed valde bona et laudabilis. Sed nec ratione ſequẽte ſcandalorũ, videtur eſſe dãnabilis lex cœlibatus, vt iſti prętendunt, q̃a hæc nõ conſequuntur cœlibatus legẽ, ſed languorẽ diſciplinæ eccleſiaſticæ, tam in ordinatoribus, q̃ in male vtentibus hac lege, maiorum neglecta cenſura. Aperiam tamen quid de hoc ſentiam.

AN EXPEDIAT COELIBATVS LEGEM in ſacerdotio relaxari.

MVltis viris pijs & doctis viſum eſt, attẽta hominum fragilitate et diſſolutione multorꝫ eccleſiaſticorũ hoc tẽpore, in quo maxime languet eccleſiaſtica diſciplina, ſacram cœlibatus legem debere relaxari, vt euitarentur multa ſcãdala et fornicationes, quæ quotidie videmus in Eccleſijs accidere, putantes hæc aliter euitari nõ poſſe, niſi adhibito cõcupiſcentiæ remedio, ſcilicet matrimonio. Quia (inquiũt) melius eſt nubere q̃ vri, et Apoſtolus iubere videtur incontinẽtibus, vt vnuſquiſq́ propter fornicationem, ſuam vxorẽ habeat. Ego vero vt quod ſentio, libere dicã. Videor mihi, quod ſi quęſtio ſit de præſentibus ſacerdotibus, qui iam cœlibatus votum emiſerũt, non vniuerſaliter cœlibatus legem poſſe relaxari: nam multi ſunt inter eos, qui matura deliberatione voto ſe aſtrinxerunt, et nonnulli qui non cum magna difficultate votum poſſunt adimplere: et qui hodie fragilis eſt, craſtina die per Dei gratiam fortis redditur, et adimplendum promiſſum potens. Et eſto quod ſine difficultate non poſſint, quid tum? virtus verſatur circa difficile, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Labor eſt maximus, fateor: ſed grandis eſt merces repromiſſa laborantibus.

conſi-

conſiderent ſui ſtatus excellentiam, et onus grauiſſimũ ſacerdotij,et quã-
ta puritate deceat eos nitere, qui ipſiſſimam puritatem quotidie accipiũt,
et alijs diſtribuunt. Videant quod Deo ſe deuouerunt, et quod neceſſe
eſt vota laudabilia Deo facta adimplere. Orent, ieiunent, abſtineant, le-
ctionibus ſanctis vacent, & occaſiones peccatorum deuitẽt, & confidãt
in Dño, qui robur & fortitudo ſolet eſſe fragilium, & nemini deeſt qui in
cordis ſimplicitate & fide quęrit illũ: obtinebunt certe quod deſiderant.
Quod ſi qui ſunt, qui iſta nolunt perficere, aut dicunt ſe non poſſe, ſibi
imputetur damnatio, qui voluntate propria & propter queſtum &
auaritiam, aut ambitionem, viuendi modũ amplexi ſunt humeris ſuis
longe imparem. Siniſtra intentio vouentis non tollit voti obligationem.
Quod ſi non aduerterunt, nec matura deliberatione ſe adſtrinxerunt, vi-
deat Romanus Pontifex, qui circa hæc ſolet diſpenſare, quid agendum
ſit de particularibus: cæterum legem manere oportet intactam, pro ijs
qui iam cœlibatui ſe aſtrinxerunt. Alias ſi relaxatio fieret vniuerſalis,
multi prætextu difficultatis, quam habet annexam ſtatus iſte, & tenta-
tionum impulſum, reuertentur retro, & non erunt apti regno DEI:
qui ſi perrexiſſent, voto ſuo fortaſſis cum DEI adiutorio poſſent ſatiſ-
facere. Neq; ijs qui voto matura deliberatione ſe obligarunt, remedium
eſt matrimonium: ſed Chriſtiana illa exercitia a nobis recenſa, quibus
hoc donum continentię comparatur. Si vero loquamur de hac lege, pro-
ut reſpicit ſtatum futurum Eccleſiæ, & pro ijs qui ordinandi ſunt: certe
non uidetur mihi coniugiũ eſſe remediũ legittimum, ad cauendum in
futurum tot ſcandala. Nam præter hoc quod coniugalis vita minime
congruit epiſcopis & ſacerdotibus, maxime ijs qui animarũ curam ge-
runt, quos maxime conuenit puritate, & continentia, & alijs heroicis vir-
tutibus, quæ ſunt vulgaribus minime cõmunes, eſſe præcellentes, qua-
tenus fulgore raræ virtutis pręditi, ſubditos ſuos quaſi rapiant ad ſui ad-
mirationem, imitationem & obedientiam: cum coniugium habeat etiã
ſuas tentationes & irritamenta peccatorũ annexa, vt puta nimiũ indulge-
re carnalibus officijs, & mundi curis deditum eſſe, ſollicitudinem diui-
tiarum, amorem nimiũ erga liberos, quos naturali quodam amore vel-
lent eos proſperos & diuites relinquere, multum diuiſi eſſent ſacerdotes,
nec tam intenti ad vacandũ diuinis exercitijs. Fierent auari, cupidi, & to-
ti mundani, & nulla in re fere differrent ab infima plebe, ac ſubinde val-
de contemptibiles redderẽtur. Periret epiſcopalis autoritas, ſacerdotalis
grauitas, hęreditate poſſideretur ſanctuariũ Dei: quia nemo eſſet qui nõ
vellet filios ſuos, aut ſucceſſores facere, aut magnis redditibus ditare, omĩa
ad ſuum queſtũ applicantes, & de pauperum ſubuentione nihil plane cu
rarent, nec de publicis neceſſitatibus. Scio multos eccleſiaſticos ijs in-
commodis eſſe expoſitos, propter ſuam incontinentiã, & filios adulte-

 rinos

rinos quos habent. Satis tamen eſt,quod ſtatus ſui profeſſio non inuitat eos ad iſta,ſed omnino ad cōtraria:inuitaret tamen,ſi coniuges efficerentur.Modo enim etſi faciant,non tamen cum tanta licentia faciūt, aut metuentes vulgi detractiones,aut ſuorum ſuperiorū cenſuram:tunc vero liberius & apertius darent operam huic vitio,putantes ratione ſtatus quē habēt,hęc ſibi licere. Valde ergo timendū eſt, dum volumus euitare luxuriam,ne introducamus in Eccleſiam apertā licentiam ad cupiditatem & auaritiam,quæ vt idolorum ſeruitus deteſtatur ab Apoſtolo.

Adde quod cum multi ſacerdotes maneant ocioſi, & ſint diuites, robuſti & beneualentes,ſi nō ſint melius occupati, ꝙ nūc ſunt,cum natura non recte inſtituta,ſemper in uetitū nitatur,quāuis eis cōcederentur vxores,rariſſimi eſſent qui vna ſola eſſent cōtenti. Qui enim fieri poteſt, vt vna vxore poſſint eſſe cōtenti,quibus vix vnica cōcubina ſat eſt? Quare volentes euitare ſimplices fornicationes,cōcedendo eis vxores, dabitur forte occaſio perpetrādi fœda adulteria. Quamdiu ergo meo iudicio non fuerit impoſitus modus ordinationibus,ſiue epiſcoporum ſint,ſiue ſacerdotum:vt non qui ambit honores,ſed qui a Deo vocatur, non qui vult de altario comedere,& ſudores pauperū deuorare:ſed qui altario deuote & decenter vult ſeruire,non is qui ſolum nouerit legere & cantare,& nōnihil in latina lingua profecerit:ſed qui vita & moribus, & doctrina Eccleſiæ poſſit prodeſſe,ordinetur:& tandem epiſcopus ſit aut ſacerdos,cū ordinatur,non intrudatur, ſed eligatur: non recipiatur ſtatim oblatus: ſed multoties eligatur coactus:ſtatui ſacerdotij recte cōſultum non erit.

Clemens 3.epiſt. Tales ad miniſteriū eligantur(dixit Clemens de altaris miniſtris)qui digne poſſint dominica ſacramenta tractare. Melius eſt enim paucos habere miniſtros,qui poſſint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles qui onus graue ordinatori adducant. Non dixit tales recipiantur ſi vltro venerint,aut ſollicite negociati fuerint,ſed eligantur. Electio autē de bonis eſt,& non quibuſcunq;:ſed ex ijs quibus Eccleſia opus habet fieri debet:et id quidē exactiſſima morū probatiōe,et populi teſtimonio pręmiſſis,vt Apoſtolus iubet,& antiqua faciebat Eccleſia. Niſi hoc modo fiat,certe nullus erit modus cōueniens imponēdi finē tot malis & ſcādalis,per quæ ſacratus ſacerdotij ſtatus in tantū eſt vilepenſus hac tēpeſtate miſera & calamitoſa,vt nomen Dei ſanctum per nos blaſphemetur,et peſſime audiat noſtra ſancta vocatio apud inimicos Eccleſiæ: quod citra magnum laborem fieri poſſit,ſi Eccleſiæ capita ad ſubleuandam Eccleſiam magis attenti fuiſſent. Renouentur ergo antiqua patrum ſtatuta, & ſanctorum decreta,& alia facies videbitur in Eccleſia:regnū enim Dei intra nos eſt. Extat circa hoc eiuſdem D. Syricij,qui legē cœlibatus prorſus firmauit,laudabile de ordinationibus ſtatutum,quo ſic decernitur:

Lex ordinandorum Siricij

Quicunq; Eccleſiæ ſe deuouerit obſequijs, a ſua infantia ante pubertatis

tatis annos baptizari, & lectoris debet miniſterio ſociari, qui ab acceſſu adoleſcentiæ, vſq; ad triceſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, & ſubdiaconus eſſe debebit, poſtcaq; ad diaconi gradum, ſi ſeipſum primitus voto continentiæ præeunte, dignum probauerit, accedat: vbi ſi vltra quinq; annos laudabiliter vixerit, & miniſtrauerit congrue, presbyterium conſequatur. Exinde poſt decennium epiſcopalem cathedram poteſt adipiſci: ſi tamen per hæc tempora integritas vitæ & fidei eius fuerit approbata. Idem fere modus in ſecunda Toletana præſcribitur: aut ſeruetur modus quem præſcribit ſynodus alia Toletana iiij. Vt .ſ. omnes hi, qui ad Clerum aſpirant, a pueritia in vno conclaui cõmorentur, ſub probatiſſimo ſeniore, quem magiſtrum habeant Chriſtianæ vitæ, & eccleſiaſticæ diſciplinæ, & teſtem vitæ ſuę, vbi lubricæ ætatis annos non in luxuria aut leuitatibus, ſed in diſciplina Chriſtiana conſumant, portantes iugũ Domini ab adoleſcẽtia ſua: ex his ordinentur qui velint ordinari, & ſi renuerint, cogantur pro vtilitate Eccleſiæ, et lex cœlibatus obſeruetur tanquam Eccleſiæ conuenientiſſima: quod ſi pauci fuerint inuenti, nihil ad nos, omne rarum eſt pręcioſum. Attendatur quid paulo ante dixerit Clemens: quod melius eſt paucos habere miniſtros, qui poſſint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles. Quod ſi ſine delectu ſemper prælati pergunt ſacros ordines conferre, credo quod nunquam non regnabunt in clero ſcandala & deformitates, quæ ipſum reddant apud populares contemptibilem, nunc in vno vitio, nunc in alio. Et vereor ne minus malum ſit huiuſmodi legem ſanctiſſimam et conuenientiſſimam ſaltem pro his qui curam animarum non gerunt relaxare. Eligat Eccleſia Dei quod magis conducibile, & Deo gratum eſſe videbitur, taliter vt habeat miniſtros caſtos, pudicos, doctrina præditos, & paſtores qui Eccleſiam ſuam iuxta beneplacitum eius regant.

Legitimum remediũ pſeruando cœlibatu. 2. Tole. 4. Tole.

Nulla ergo eſt in ſacra cœlibatus lege impietas neq; macula: probauimus enim eam eſſe de re poſſibili, honeſtiſſima, quæ perpetuo voto firmari poteſt: & poſtquam firmata eſt, merito poſſe cogi ad eius obſeruantiam, eũ, qui libere huic legi ſe deuinxit. Neq; etiam ratione ſequelæ peccatorum, calumniari poteſt, quæ non ipſius legis (vt diximus) ſed male vtentium culpa fiunt. hæc de cœlibatu.

Sunt & alia in pręfatis epiſtolis Clementis, minuta quidem, quæ non egent longa tractatione.

Vt quod Laici per diaconos moneantur, & diacones qui ſint veluti oculi Epiſcopi, vt totius Eccleſiæ actus perluſtrent, & epiſcopo referant.

Quod presbyteri ordinem Eccleſiæ reſpiciant, populos doceant, & infirmos viſitent.

Quod Laici in adoleſcentia matrimonio iungãtur, ne fornicationibus maculentur, idq; per presbyteros Eccleſiæ fiat. De primatibus vero, quod

quod in ciuitatibus conſtituantur, vbi erant tempore gentilitatis archiflamines.

TERTIVM MEMBRVM APOſtolicarum Traditionum.

PRæter eas Traditiones quas ex apoſtolis allegauimus, nõnullę aliæ reperiuntur in ſcriptis ſanctorum digeſtæ, raræ tamen, & quæ non egent multa diſcuſſione.

Hilarius Beatus Hilarius celebritatem Paſchæ ab apoſtolis inſtitutam fuiſſe, prologo in libro Pſalmorum affirmat: cuius feſti etiã meminit Clemens D. Clemens epiſtola tertia, cum baptiſmi tẽpus in Eccleſia, tanquã a Petro præſcriptum, inuulgat.

Beda. Gloſſa. Ambroſ. Venerabilis Beda & Gloſſa, feſtum etiam Pentecoſtes ab apoſtolis introductũ fuiſſe aſſerunt: quod feſtum D. Ambroſius ſup Lucã, Paulum apud Epheſios, a gentilitate ad Chriſtũ conuerſos, egiſſe teſtatur, eo quod videret ipſos in fide feruentes: id quod promittere videtur idem Apoſtolus 1. Corinth. xvi. Permanebo (inquit) Epheſi vſq; ad Pentecoſten. Meminit harum duarum feſtiuitatum, pariter & Dominicæ diei Origenes Origen. contra Celſum, tanquam de rebus conſuetudine Eccleſiæ ſuo tempore roboratis: quod minime fieri poſſit, ſi ex apoſtolico magiſterio non profluxiſſent. fuit eñ hic quaſi coæuus apoſtolis. Hæc ſunt eius verba: Dies feſtos dominicos, Paraſceues & Pentecoſtes, vnuſquiſq; fidelis celebrat.

Baſilius Magnus Baſilius lib. de ſpiritu ſancto, cap. xxvij. ab apoſtolis & primis illis patribus multa profluxiſſe dicit: vt orare flexis genibus ad Orientẽ, & quod tempore reſurrectionis ſtantes orant fideles, necnon & confeſſionem Trinitatis in baptiſmo, & aliorum ſacramentorum. Tertullianus Tertull. lib. de corona militis, a primis & maioribus deriuatam eſſe aſſerit trinam in baptiſmo merſionem, diaboli & pomparum eius abrenunciationem, oblationes pro defunctis, anniuerſaria martyrum, & nonnulla id genus alia.

Hieron. Sanctus Hieronymus ſuper Matthęum, dicit apoſtolicam Traditionẽ eſſe, quod in die vigiliarum Paſchę ante dimidium noctis, populos dimittere non liceat.

Ignatius D. Ignatius meminit diei Dominicæ, & celebritatis eius, ſuo iam tempore in vſu eſſe: quod ſatis oſtendit ipſam ab apoſtolis deſcendiſſe, affirmante hoc Primaſio Auguſtini diſcipulo, in cõmentarijs epiſtolæ 1. ad Primaſ. Corinthios.

Socrates Socrates in hiſtoria tripartita, libro nono, celebritates feſtorum nonnullorum ab apoſtolis inſtitutas eſſe affirmat.

Auguſt. Beatus Auguſtinus etiam paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionem, & ſpiritus ſancti miſſionem (vt in Eccleſia celebrantur) ad Ianuarium ſcribens,

bens, ab apoſtolis deſcendiſſe teſtatur.

Leo. Calixt.

Beatiſſimus Leo primus ab apoſtolicis Traditionibus dicit deſcendiſſe ſacroſanctum quatuor tempor⁊ ieiunium, ſermone vi. de eiſdem, quod ex D. Calixto martyre etiam nos probauimus.

Item epiſtola xc. ad Ruſticum Narbonenſem idem Leo apoſtolicam dicit eſſe Traditionem, quod ſacerdotes publice non pœniteant.

Auguſt.

Generaliter vero circa hæc ſeruanda eſt regula D. Auguſtini ad cognoſcendum & venerandum apoſtolicas Traditiones, vt quicquid piũ & laudabile in vniuerſali Eccleſia ab eius fere primordijs cognouerimus obſeruatum, quod necꝫ apoſtolorum literis, aut in Concilijs epiſcoporũ nouiter decretum eſt, id ex apoſtolica Traditione deſcendiſſe putemus: alias manifeſto periculo conſcientiæ ſe exponeret, qui huiuſmodi tradita vellet ſpernere. Qua regula Auguſtinus ſæpius ſe defendit aduerſus ſeditioſos Donatiſtas, qui in multis quæ Traditione apoſtolica conſtabãt, ſcripturam importune petebant, & tanti eam videtur feciſſe Auguſtinus, vt centies repetat in ſuis operibus, maxime lib. de baptiſmo contra Donatiſtas: Multa (inquit) non inueniuntur in apoſtolorum literis, necꝫ in concilijs poſterorum, & tamen quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab apoſtolis tradita, & cõmendata creduntur. Et lib. iiij. cap. xxiiij. contra eoſdem: Quod vniuerſa (inquit) tenet Eccleſia, nec a Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nõ niſi autoritate apoſtolica traditum, rectiſſime creditur: idem confirmat epiſtola ad Ianuarium, & libro ſecundo contra eoſdem Donatiſtas.

Leo.

Beatiſſimus quocꝫ Leo, in ſermone ij. de Pentecoſte, cum D. Auguſtino conſentiens, vniuerſales omnes Eccleſiæ conſuetudines, de Traditione apoſtolica prodiſſe affirmat: Dubitandum (inquit) non eſt, quidquid ab Eccleſia in conſuetudinẽ eſt deuotionis retentum, de Traditione apoſtolica, & de ſancti ſpiritus prodire doctrina. Quæ regula certe non paruipendenda eſt, ſi fidei tramitem recte tenere volumus, nec terminos trãſgredi, quos cõſtituerunt patres noſtri. Hucuſque dixiſſe ſufficiat de Traditionibus apoſtolicis.

DE TERTIO FONTE SANCTARVM Traditionum, epiſcopali ſcilicet autoritate.

QVia ſingula Eccleſiæ ſtatuta percurrere, non modo longum & perdifficile foret, ſed faſtidioſum valde lectoribus eſſet, & noſtri etiã inſtituti metas excedere videretur, qui Traditiones diuinas & apoſtolicas dũtaxat ſumpſimus declarandas & corroborandas: tamen ne tertium ſanctarum Traditionum fontẽ, puta epiſcopalem autoritatem, illibatũ relinquamus, videor mihi meo iure facturus, ſi pauca de epiſcopali autoritate & ei debita obedientia tractauero:

quæ

quæ neruus eſt totius religionis, et retinaculum totius diſciplinæ eccleſi- aſticæ. Hac vna, ſi recte audiretur et obſeruaretur a Chriſtianis, ſopiren- tur procul dubio hæreſes, ceſſarent ſchiſmata, cōponerentur diſſidia, et vniretur Eccleſia: quę non aliunde orta ſunt, vt Cyprianus recte docet, ni- ſi quia Dei ſacerdotibus non obtemperatur. Eſt certe inobedientia legit- tima filia ſuperbiæ, ſeminarium diſſolutionis, fomentum hæreſis, princi- pium ſeditionis, diuini & humani ordinis deſtructio, via regia qua ad in- feros deſcenditur, omniū malorum ſentina, & deniq; ipſiſſimus infernus. Hæc eſt quæ perdit Armenios, corrupit Aethiopes, Gręcos deduxit in mi ſeriam, totum Orientem ſub iugo miſeræ ſeruitutis repoſuit, Bohemos a corpore Eccleſiæ diuiſit, & nunc lamentabiliter bonam partē nobiliſſimę Germaniæ in tot hæreſes & ſchiſmata diſtraxit, adeo, vt multę vrbes ſint, in quibus proh dolor, quatuor aut quinq; ſectæ pernicioſiſſimę regnent: quidam ſunt Anabaptiſtæ, quidā Sacramentarij, quidam Epicurei, qui- dam vero pro pietate iam ducunt ſe perditū Lutherum ſequi: eo malorū attraxit mentes hominum ſpiritus apoſtaſię. Vnuſquiſq; id credit, quod apparet ſibi eſſe credendum, præſcribens fidem quam tenere debeat, nul- lo maiorum expectato iudicio & autoritate. Quibus vtinam Deus ſuis fauoribus dignetur aſpirare, & ad ſe iam conuertere, ne pars quæ adhuc remanet, quæ fidem illibatam & vnionem cum Eccleſia ſeruauit, & tam viriliter & tanta cum laude tenuit, tot peſtibus ingruentibus infecta, defi- ciat: qua in re certe omnem operam & diligentiam catholicos & nobiliſſi- mos principes & prælatos oportet impendere, ſi volunt muneri & auto- ritati ſuæ non deeſſe. Inter eos autēm qui per inobedientiam ab Eccleſia defecerunt, nulli extiterunt peſtilentiores, quam hi, qui prætextu cuiuſdā euangelicæ libertatis, non contra vnum vel duo pręcepta duntaxat, ſed contra ipſam obedientiam ſunt armati, fingentes aut potius ſomniantes iure adoptionis nobis in baptiſmo per ſpiritum ſanctum collato, liberos nos eſſe ab omni poteſtate, imo reges et ſacerdotes ex æquo omnes in ba- ptiſmo creari. Dicunt, iuſtis non eſſe legem poſitā, vt Paulus ait, & quod non ſunt ſub lege ſed ſub gratia. Cum enim Dominus Matthęi xvij. Pe- trum principem apoſtolorum interrogaſſet, Reges terrę a quibus accipi- unt tributū, a liberis an ab alienis, & Petrus reſpondiſſet, ab alienis, adie- cit Chriſtus: ergo liberi ſunt filij. Effici autem Chriſtianos filios Dei per baptiſmū, Apoſtolus affirmat: Omnes vos filij Dei eſtis per fidem. Et Io- annes quoq;: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem fi- lios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius, quare omnes ſumus liberi per baptiſmum. Addunt aūtem, quod cum iſta filiatio, et adoptio, fiat in nobis per ſpiritum ſanctū, quem Apoſtolus vocat ſpiritū adoptionis, in quo clamamus: Abba pater, & vbi ſpiritus Domini ſit, ibi debeat eſſe ple na libertas, conſequi ſubinde quod nullum ſuperiorem habēt Chriſtiani in ter-

Libro 1. epiſt. 3

1. Tim. 1

Galat. 3.

Ioan. 1

Roma. 8

in terris,cui diuino iure ſunt ſubditi. Nam ſi lex ſpiritus liberauit Chriſtianos ab obligatione legis Moyſi,quæ plane diuina erat,quanto magis nos liberauit Dominus a legibus,& poteſtate quorumcunq; hominum? Hoc modo nugantur phanatici iſti. Ex quibus fundamentis tam carnaliter intellectis,quid poteſt ſequi,niſi brutalis quædã, barbara, & plus quã diabolica licentia? Vt ſcilicet vnicuiq; liceat facere quod libuerit, nulli aſtrictus legi,ſine ordine,ſine politia, ſine religione,imo contra ipſam naturam & autorem eius:qui homines fecit animalia,et voluit eſſe politica, ſotiabilia,& ad ordinem et iuſtitiam inclinata. Hanc opinionem tenent hodie eo modo quo propoſita eſt,damnati Anabaptiſtæ. Anabaptiſtæ.

Lutherani(ſaltem qui mitiores ſunt inter eos)moderatius quodãmodo de hac re in ſuis ſcriptis loquuntur. Maxime quantum ad ciuiles poteſtates attinet,vt patet ex Auguſtana confeſſione et apologia eius et alijs tractatibus,quos de locis cõmunibus et reformatiõe Eccleſię tradiderũt: ſubſtantiam ſenſus eorum bona fide recitabo. Sentẽtia Lutheranorum.

Quantum ad ciuiles magiſtratus.

POteſtates approbant,ciuilia iudicia,poſſeſſiones,contractus, matrimonia,ſupplicia vindicare,iure bellare,militare,licite iurare,obedientiam cum iuramento firmare, artes probatas exercere:nihil addo,necq; detraho de rei ſubſtantia. Para. 16

De Eccleſiæ inſtitutis.

POſtquam reijciunt cœlibatum tanquam impium inſtitutum, et ciborum et veſtium delectũ tanq̃ ſuperſtitioſum,et alia huius generis,dicunt,quod recipiẽdi ſunt aliqui ritus tanquã vtiles ad ordinem Eccleſiæ:vt conuentus ad templũ, certæ feriæ, certæ cantiones:et monere quod iſta non ſunt neceſſaria ad ſalutem. Nota bene magiſterium. Folio 31. Fol. 104. colum.

De poteſtate epiſcoporum.

Lutherani.

DE iure diuino nulla iuriſdictio competit epiſcopis vt epiſcopis,ſed illis eſt commiſſum miniſterium verbi et ſacramentorum. Item cognoſcere doctrinam,et doctrinam ab euangelio diſſentientem reijcere, et impios quorum nota eſt impietas,excludere a cõmunione Eccleſię,ſine vi humana,ſed verbo in ijs (inqunt) neceſſario, et de iure diuino debent Eccleſiæ pręſtare obedientiã,iuxta illud:Qui vos audit,me audit Sed ſi aliqd contra euangelium docent,tunc habent Eccleſiæ ſuum mandatum,quod obedientiã prohibet, Matth. vij. Cauete a falſis prophetis,et Galat. 1. Licet angelus de cœlo etc.

Item dicunt, poteſtatem epiſcoporum iuxta euangelium eſſe mandatum Dei,ſiue poteſtatem prędicandi euangelium,remittendi et retinendi Folio 40. colum. 1

peccata, adminiſtrandi ſacramenta: non tamen debent in poteſtatem ciuilem irrumpere, nec aliquid vſurpare, adducunt illud: Regnum meũ non eſt de hoc mundo, Arma militiæ noſtræ &c. Omnem aliam iuriſdictionem dicunt habuiſſe prælatos a principibus, itaq; de iure diuino nulla iuriſdictio competit epiſcopis, neq; in obligandis conſcientijs, neq; in condẽdis legibus, neq; in coercitiua poteſtate exteriori, per carceres, aut alias legales pœnas.

Addit tamen vnus, ex huius gregis autore. fol. cl. loco de poteſtate Eccleſiæ, poſtq̃ de inſtitutione diei Dominicæ fecit mentionẽ: Iis (inquit) Traditionibus debetur obedientia, quod ad cauſam ſcandali attinet: extra caſum ſcandali, conſcientiæ ſunt liberæ, nec habent epiſcopi ius magis onerandi conſcientiam. Item in loco de Traditionibus eccleſiaſticis, reſpondens argumento de obedientia, quæ Eccleſiæ debetur, dicit: quod talis debetur prælatis obedientia, qualem requirit euangeliũ. Euangeliũ autem vult in Traditiõibus relinqui hanc libertatẽ in cõſcientijs. Et ſubiungit: In ijs quæ ſunt iuris diuini, debet neceſſario Chriſtianus obedire paſtoribus: in Traditionibus autẽ, debent eatenus obedire, vt ſcandala caueant: interim conſcientia libera eſt. Hæc eſt ſumma doctrinæ aduerſariæ partis, per quam Chriſti Eccleſia, hodierna die tam lamentabiliter laborat: falſa, confuſa, ſeditioſa & nullius ſtabilis fundamenti.

Reſtat iam vt ad impugnationem huius pernicioſæ nouitatis accedamus: nã multum roboris addetur tum dictis, tum ijs quæ dicentur a nobis: nec remanebit cuniculus aliquis, quo poſſint euadere aduerſarij, etiãſi quod falſo affirmant, verum eſſet. ſ. omnes Eccleſię Traditiones humana eſſe inſtituta: faxit tamen Deus benedictus vt ſtudentes breuitati poſſimus hoc argumentũ pro ſua dignitate tractare, aut præcipua capita eius.

Principalia capita quæ oportet conſiderare, non multa ſunt. ſ. noſſe quid ſint epiſcopi iuxta munus ſuum, deinde quid poſſunt: multis tamen capitulis opus eſt, vt dilucidatio tam neceſſariæ doctrinæ omnibus numeris abſoluta pro noſtra mediocritate euadat. Ante om̃ia tamẽ quia vtraque iſtarum factionum multum inculcat libertatem hanc euangelij, & eam vſq; ad nauſeam millies repetit, cuius prætextu conatur ſuam rebellionem defendere & obedientiam impugnare, videamus quæ ſit iſta libertas in quam adſeruit ſuos, Chriſtus redemptor noſter, beneficio ſuæ precioſiſſimæ paſſionis.

PRIMVM CAPITVLVM.

IVSTITIA CHRISTIANA, ET LIBERTAS euangelica, non excludunt obedientiam, quæ maioribus debetur, imo eam includunt & pręſupponunt.

Multo-

MVltoties apud me cogitaui, cum audio Lutheri ſequaces toties obtrudere nobis euangelicam libertatem, inter eorum doctrinam, & Anabaptiſtarum, quantum ad præſentem attinet conſiderationem, nullam penitus eſſe differentiam. Non me latet eos multa & magniſica de autoritate ciuiliũ magiſtratuum, & obedientia eis debita in ſuis ſcriptis tractare & inculcare, aut vt ſuum adulterinum euangelium magis promoueant, in quod vident iam eſſe valde propenſos nõnullos principes & vrbium pręfectos, quos male deceperunt, & quibus adulantur, quatenus eorum autoritate, quam ſciũt apud ſubditos multum valere, indies latius propagetur et extendatur: aut fortaſſis id faciunt propter carnalem timorẽ, ne offenſi principes, hac voce libertatis, in adſertores huius euangelij ſęuiant, et Lutheraniſmum a ſuis dominijs ignominioſe propellant.

Martin, Luther

De Martino Luthero iſtarum ſectarum principe et archididaſcalo, certus ſum quod cum primũ cœpit animum ad malũ inclinare, omnes Chriſtianos a quacunq; poteſtate liberos eſſe prædicauit, maxime in eo libello, quo reſpondit regi Angliæ Henrico, huius nominis octauo. Et re vera loquebatur meo iudicio ſatis conſequenter ad ſua principia, cuius vigorẽ verbis ſaltem multum mitigarunt ſubſequentes Lutheraniſmi temperatores, neſcio an ſatis conſequenter ad ſectæ ſuę principia. Nam ſi iure baptiſmi, quo filij Dei efficimur, omnes ſumus ſacerdotes viſibiles, omnes ſubinde ſumus reges atq; pręfecti, nullus ergo alteri tenetur obedire. Rurſus ſi prælati nullum habent ius obligandi conſcientias, extra ea quæ in ſcriptura ſunt, multo minus ciuiles magiſtratus: nã magis opponitur ciuilis poteſtas libertati ſpirituali, quam iſti prætendunt, quam poteſtas eccleſiaſtica recte adminiſtrata. Si dicant in ſcripturis habemus mandatum, quod obediatur ciuili poteſtati: verum eſt, ſed non habetur mandatum, quod ei obediatur in omnibus. Etiã habemus mandatũ quod obediatur præpoſitis ſpiritualibus. Quare ergo non extendunt hoc mandatum ſicut aliud: ita vt ſicut magiſtratui ciuili dãt (et recte dant) leges poſſe cõdere, malos poſſe pœnis coercere, iuramenta poſſe exigere, pacta firmare, et tandem omnia quæ ad ſtatum politiæ ciuilis attinent, recte inſtituendum et gubernandum: ita hæc etiam tribuant prælatis Eccleſiæ, et maxime ſummo præſidi? Nunquid Eccleſia non eſt politia? non habet aut ſeruat ordinem? terribilis dicitur a ſponſo, ſicut caſtrorum acies ordinata, et corpus appellatur a Paulo apoſtolo, et ciuitas a Ioanne in Apocalypſi: ſunt ergo in ea milites, ſunt coloni, ſunt perfecti, ſunt imperfecti, ſunt maiores, ſunt minores, ſunt qui freno, ſunt qui calcaribus egent, ſunt qui timore ducendi ſunt, et rurſus qui amore, ſunt etiam qui medio quodammodo gubernari debent. Sunt duces, ſunt magiſtri exercitus, monarcha et Imperator. Quare ergo in obedientia ciuilium magiſtratuum non

Ecclesia est Politia

tam inculcant iſti palpones falſam libertatem euangelicam,quantũ in eccleſiaſtica? Certe non alia cauſa eſt,niſi caro & ſanguis,quæ multũ regnat apud iſtos nouos euangelicos. Nec valet dicere quod præcipiant contra euangelium,tum quia id non oſtenderunt, neq; ad illos pertinet de hoc iudicare, qui priuati & apoſtatæ ſunt: tum quia multa ſunt, quæ extra controuerſiam eſt non contradicere euangelio: vt ſacramenta quædam, & ritus eorum ab apoſtolis obſeruati, in quibus nec volunt obedire. Itẽ multæ leges ſunt & laudabiles inſtitutiones, quæ plurimum ad ordinem Eccleſiæ faciunt,& ad cultus Dei augmentum, & ad promotionẽ pietatis. Quare igitur hæc omnia non recipiunt? Si dicant quia non continentur in euangelio:bone Deus, nunquam poſſunt ſe iſti in vno aſſerto firmare.aliquando dicunt nihil debere recipi quod non ſit euangelium, aliquando nihil debere admitti quod ſit contra euangelium. Si in primo ſtent: Iam ſequitur quod nullæ leges ciuiles & imperatoriæ admitti debent a Chriſtianis,quia nulla lex ciuilis ibi continetur.Sin autẽ in ſecũdo velint ſtare,Iam ſequitur,quod leges &ſtatuta canonica et apoſtolica etiã recipi debent,quia omnes ſunt iuſtiſſimæ,& conformes rectę rationi: vnde etiam colligitur deſtructio ſui fundamenti,videlicet,quod aliquid debeat recipi a Chriſtiano,quod non ſit in euangelio contentum. Nec excuſat eos quod dicunt,iſta cum opinione neceſſitatis cõmendari, & propterea ab eis non admitti:quid enim per hæc velint confuſi iſti dicere, nõ explicant. Nam ſi intelligant,quod nos dicamus cum opinione neceſſitatis aliqua ſalubria & conducibilia valde ad ſalutem animæ ab Eccleſiæ patribus pręcipi aut ſtabiliri, taliter,quod poſtquam pręcepta ſint, neceſſario debeant obſeruari a ſubditis:rem tenent.hoc modo dicemus,quemadmodum & illi docent de multis inſtitutis ciuilibus. Si autem intelligant quod omnia illa, quantum ex parte ſui eſt,ſunt ad pietatem Chriſtianam neceſſaria,non intelligunt veritatem, neq; mentem ſanctorum, & Eccleſiæ. Adde quod cum concedant debere retineri nonnulla quę ad ordinem Eccleſiæ pertinent, vt certę ferię et conuentus: iam aliquid debet a Chriſtiano audiri pręter euangelium: quare ſi conſequenter loqui vellent, vtrunq; magiſtratum & leges eius oportet aut admittant, aut reijciant.Si reijciunt,Anabaptiſtas ſe eſſe confitentur: ſin altero reiecto admittunt alterum,euangelium pro ſuis incommodis manifeſto adulterant,nec conſequenter loquuntur: ſi autem vtrunq; admittunt (vt debent)nobiſcum ſentient,quod magnopere deſideramus.

IN QVIBVS CONSISTAT Chriſtiana libertas.

Quinq;

QVinꝗ libertates potiſſimum continet ſumma tota beneficij Chriſti, a mortalibus nunꝗ promeriti, prout ſcriptura ipſa indicat, & omnes ſancti docent.

Primo, quod paſſione eius liberati ſumus a peccatis, et reatu eorum. Ipſe ſaluum faciet populum ſuũ a peccatis eorum, dixit ille Dei legatus ad virginem ſacroſanctam de Ieſu Chriſto naſcituro. Apoſtolus Roman. viij. Nihil ergo damnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Ieſu. Prima libertas. Lucæ 1 Apoſt.

Secundo, a tyrannide concupiſcentiæ & fomitis intus in nobis habitantis. Idem Apoſtolus: Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et ibi: Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me a lege peccati & mortis. Secunda libertas.

Tertio a tyrannide diaboli & mundi, & irritamentis eius: Nunc (inquit) iudicium eſt mundi, & princeps huius mundi eijcietur foras. Et alibi: Confidite, quia ego vici mundum. Poſt Chriſti enim gratiã, vt omnes ſancti docent, non iam irrumpit in fideles tanquam tyrannus: ſed tanquã malignus veterator, alliciens potius quam impellens. Vnde Auguſtinus ſermone vij. de tempore: Diabolus ad malum poteſt inuitare, non poteſt trahere. Delectationem infert, non poteſtatem exercet: conſilium ingerit, non conflictus. Tertia libertas. Ioan. 12 Auguſt.

Liberauit etiam nos a iugo legis Moſaicæ & circũciſione, quantum ad ceremonialia & iudicialia. Vnde Paulus ad Galatas. cap. v. In Chriſto Ieſu, neꝗ circũciſio aliquid valet, neꝗ præputium: ſed fides quæ per dilectionem operatur. Apoſtoli quoꝗ in ſynodo ſua per ſpiritum ſanctũ hoc decreuerunt. Per gratiam (inquiunt) Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari. Quarta libertas.

Liberauit quinto nos, & vere per eum renatos, a legis moralis dominio, ne ſcilicet ipſa quaſi cogens atꝗ prædominans, et nos coacti agamus quod ipſa præcipit agendũ, ſed ex amore & voluntarie. Dicit enim Apoſtolus: Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. Cæterum tenemur ad legẽ, id eſt, ad implendum eam per charitatem, quæ fructus ſpiritus eſt. Et huc tendit illud: Iuſto non eſt lex poſita. ſ. vt ei prædominetur. Et illud: Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia: itaꝗ libertas legis, in ſeruitutem gratiæ commutatur. Hę ſunt libertates quas ineſtimabile Ieſu Chriſti beneficium ſuis mẽbris cõtulit. Aliæ libertates neꝗ in ſcriptura continentur, neꝗ agnoſcuntur ab Eccleſia, nec ab aliquo ſanctorum. Optime ſeiungit Chriſtus redemptor noſter Ioannis octauo, præcipuam harum libertatum quæ eſt a peccatis, et cuius ſe fatetur autorem, a libertate carnis, quam pſeudoapoſtoli iſti prætendunt. Dicebat Ieſus ad Iudæos qui crediderũt in eum: Si vos mãſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Craſſi Iudæi cum audirent nomen libertatis, putarunt Chriſtum intelligere de libertate hac carnali (prout Ana- Quinta libertas. Apoſt. ad Ga. 5 Ioan. 8

baptiſtæ intelligunt ,quam cum falſo ſuo Meſſia hodie expectant)& ſeruitute ciuili ei oppoſita,reſponderunt:Semen Abrahæ ſumus , & nemini ſeruiuimus vnquam , quomodo tu dicis liberi eritis? Magiſter cœleſtis volens excludere ſenſum iſtum carnalē,& ad ſpiritualem libertatem eos trahere,reſpondit:Amen dico vobis , quia omnis qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati , ſeruus autem non manet in domo in æternum , filius manet in æternum. Si ergo vos filius liberauerit,vere liberi eritis. Quaſi dicat,non loquor de ſeruitute iſta carnali & temporali, quæ ciuiliter aut tēporaliter ſolet hominibus contingere,ſed de illa qua animæ detinentur in peccatis,& aſtrictæ ſunt damnationi,& iræ Dei obnoxiæ. Qui hac ſeruitute ſeruus eſt,non permanet in domo patris vniuerſalis Dei,ſolus filius eſt qui manet in æternum,quæ quidem libertas cū per fidem in me et baptiſmum pręſtari debeat,tunc liberi eritis , cum vos filios efficiā libe-
Auguſt. rando a peccati ſeruitute,& reconciliando vos Deo patri. Vnde Auguſtinus lib.xiiij.de ciuitate Dei tractans hæc verba:Idipſum(inquit)eſt, ac ſi diceret:Si vos filius ſaluos fecerit, tunc vere ſalui eritis , inde quippe liberator,vnde ſaluator. Et de verbis Domini,ſerm.xlviij. Plane reddidit libertatem ſi abſtulit iniquitatem. Quid opus eſt alia declaratione, vbi veritas ipſa apponit calculum ſuū? Si enim ipſe veniſſet vt liberaret homines a temporali dominio & obedientia hominū,tunc explicaret,cū Iudæi illi oppoſuerunt ei libertatem carnalem , quam ſe habere iactabant, quia filij erant Abrahæ . Decepit ergo dementes iſtos confuſio vocabuli libertatis , craſſo et iudaico ſenſu ſunt deluſi, qui Meſſiam ſuum expectant , cum hac terrena libertate regnandi . Cum hac tamen ineſtimabili libertate , a tam violentis et potentibus animæ tyrannis , perfectæ iuſtitiæ voluit nos eſſe ſubiectos magiſter noſter cœleſtis. Dicit enim legatus eius Paulus ille alatus apoſtolus , cum indicaſſet
Apoſt. ad Gal.5 Galatis eos eſſe liberos a legis Moſaicæ oneribus , cauens pater prudentiſſimus,ne ex hac, licentiā ſibi deſumerent et occaſionem in libertatē carnis ambulandi, nec legi charitatis deſeruirent, et præceptis Dei moralibus:Vos(inquit)in libertatem vocati eſtis fratres, tantū ne libertatem in occaſionem detis carnis,ſed per charitatē ſeruire inuicem:omnis enī lex in vno ſermone impletur:Diliges proximum tuū ſicut teipſum . Vides ex libertatę a peccato , ſubortam eſſe ſeruitutem iuſtitiæ. Hic locus ſatis
Reprobatio Lutheri ſuper doctrina operum. Apoſt. demonſtrat Lutherum in cōmentarijs ſuis peſtilentibus toto cœlo aberraſſe,&quotquot eum in hoc ſequuntur . Nam nō excludit Apoſtolus in hac epiſtola iuſtitiā,quæ eſt ex operibus charitatis, cum dicat expreſſe, nos ſeruos & debitores eſſe charitati et morali legi , quæ ſine charitate non impletur:alias ſibi manifeſto contradiceret Apoſtolus . quod per amplius manifeſtat idē Rom.vi. Gratia aūt Deo quod fuiſtis ſerui peccati,obediſtis autem ex corde in eam formā doctrinæ in quā traditi eſtis,

liberi

liberi autē facti a peccato,ſerui facti eſtis iuſtitię.&ob id ſuadet:Sicut exhibuiſtis mēbra veſtra ſeruire immūditiæ & iniquitati ad iniquitatem,ita nunc exhibete mēbra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationē. Et alibi: Debitores ſumus non carni,vt non ſecundum carnē viuamus. Si igitur filius adoptiuus per gratiā ad hoc adoptatur vt ſeruiat iuſtitię, vt ſeruiat virtutibus,cum pars iuſtitiæ Chriſtianæ ſit humilitas & obedientia(dicit enim Petrus:Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis.& Paulus iubet poteſtati & ordinationi Dei nō reſiſtere) conſequitur iuſtos & baptizatos,eo ipſo quo magis iuſti ſunt,magis debitores fieri,&magis ſeruos eſſe huius ſanctæ ſeruitutis & obedientiæ, nec Deo placere poſſe ſine hac.Paulus item apoſtolus Roma.viij. optime deſcribit regnū iſtud ſpiritus ſancti,in iuſtis quale ſit, interim dū in iſta carne militant: Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis,viuetis: Quicunq; eīm ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei:non enim accepiſtis iterū ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritū adoptionis filiorū,in quo clamamus,Abba pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimōniū reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei. Si autē filij,&hęredes:hæredes autem Dei,cohęredes autem Chriſti:ſi tamē cōpatimur,vt cōglorificemur. Vides phanatice,ius filiationis quod Deus nobis per ſpiritum filij ſui nobis cōmunicat eſſe conditionale.Non ergo putes te ſine labore & ſudoribus ad huius regni promiſſiones poſſe peruenire,quaſi iam cōpoſſis perfectæ libertatis,hoc ſolo nomine quod baptizatus es:oportet te prius veterem Adam ſpoliare,carnem tuā cū Chriſto crucifigere,& ei in quantum potes,conformari: deniq; illi compati & aſſimilari.Conſtat autem illum non veniſſe in mundum, vt faceret voluntatem ſuam,vt ipſe dicit,qui tamen filius Dei erat legittimus et naturalis,idemq; vnicus:ſed venit vt faceret voluntatem eius,qui miſit illū,obediens ei vſque ad mortem. Et o mira obedientiæ profunditas, non hoc contentus fuit Dei filius,ſed voluit iam iam naſciturus vt mater ſua cenſum Cæſari perſolueret,et ipſe natus et adultus, parentibus ſecundū carnem ſe ſubdidit,vectigal reddidit,quæ Cæſari ſunt iuſſit Cęſari dari, et quod magis ſtupendum eſt,coram Pilato et Herode impijs principibus ſtetit iudicandus vt ſubditus,et damnandus pro nobis vt reus. Volunt tamen diſſoluti iſti ſola gratia adoptionis liberos eſſe ab omnibus poteſtatibus,quibus prębens nobis exemplū Chriſtus, incredibili humilitate ſe ſubdidit.Quid tibi videtur o attonite:caput tuū dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo:et tu vis in hoc mundo taliter viuere, vt nullis veſtis eſſe ſubiectus:quomodo illi cōpateris:Qua in re illi aſſimilaris: Si nō aſſimilaris,qūa fronte membrum illius te eſſe iactas: Audi Ioannem clarius hoc docentē: Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ipſe ambulauit ambulare:ambulauit autē ille p̱ hæc,factus obediēs vſq; ad mortē:te ergo etiā oportet ſic ambulare,humiliari te conuenit ſi vis exaltari, obedire

1.Pet.1 · Rom.8 · Christus voluit ut mater sua censum Caesari persolveret · 1.Ioan.2

maioribus,ſi vis regnare cum Chriſto et imperare. Vide inſuper quid di-
cat tibi i ipſa veritas:Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum &
tollat crucem ſuã,& ſequatur me,& qui non tollit crucem ſuam, non eſt
me dignus. Quæ eſt iſta crux,o delitioſe,niſi mortificatio carnis, tribula-
tionum ſuſtinentia,& tentationum virilis perpeſſio? Quid aliud eſt abne-
gare voluntatem,quam non facere quod lubeat,ſed quod deceat? Suſpe-
cta eſt poſt peccatum voluntas noſtra,ideo oportet eam abnegare, & iu-
dicio maiorum & meliorum viuere,& freno obedientiæ coercere, vt nõ
quod tu tibi præſcripſeris,facias,ſed quod ratio & maiorum & meliorũ
1. Petri 2 autoritas iniunxerit. In hoc (inquit) Petrus vocati eſtis,quia & Chriſtus
paſſus eſt pro nobis,vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia
eius:qui cum malediceretur,non maledicebat:cum pateretur, non cõmi-
nabatur,nec reluctabatur alicui poteſtati. Et alibi: Cõmunicantes Chri-
ſti paſſionibus,gaudete vt in reuelatione glorię eius gaudeatis exultãtes.

Cum igitur Chriſtiana vocatio dum in hac vita militat tota ſit crux,
ſubiectio & mortificatio,quid iſti vani iactant,venditãtes nobis pro euã-
gelio meram corruptionem,& inauditam barbariam? Ad hæc, cum per
Dei voluntatem ſit vtraq; poteſtas, tam eccleſiaſtica q̃ ciuilis, Dei vo-
luntas etiam eſt vt illis obediamus. Qui enim poteſtatẽ nobis pręponit,
Rom. 13 ex cõſequenti nos ſubditos vult eſſe,Omnis anima (inquit) Paulus pote-
ſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ
autẽ ſunt a Deo ordinata ſunt. itaq; qui reſiſtit poteſtati,Dei ordinationi
reſiſtit:qui autem reſiſtũt,ipſi ſibi damnationẽ acquirunt. Et infra:Ideoq;
neceſſitati ſubditi eſtote,non ſolum propter iram, ſed etiam propter con-
ſcientiã. Ideo enim tributa præſtatis,miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum
ſeruientes,reddite ergo omnibus debita,cui tributum, tributum: cui ve-
ctigal,vectigal:cui timorem,timorem:cui honorem,honorem. Non cer-
nis poteſtates a Deo eſſe,qui alibi dicit,Per me reges regnãt? Collige er-
go te ſubditum illis eſſe debere,alias Deo reſiſtis. Paulus dicit hoc,non
ego:quia non eſt poteſtas niſi a Deo. Et ne putes quod tuo arbitrio hæc
obedientia relinquatur,audi quod dixit: Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi
damnationem acquirunt,non pœnæ temporalis ſolum,ſed in conſcientia
reus eſt,qui poteſtati reſiſtit. Non ſolum propter iram dicit Apoſtolus,
ſed propter conſcientiam. Non audiſti ab Apoſtolo te eſſe debitorem ſu-
perioribus? quomodo ergo liber es ab eorum imperio, & iuſtis legibus?
1. Pet. 2 Iſta inter ſe pugnant,quod liber ſis a debito, & quod ſis debitor. Petrus
etiam id monet,Deum timete,regem honorificate. Serui ſubditi eſtote
Dominis,non tantum bonis & modeſtis,ſed etiam diſcolis. Ecce indiſ-
Augu. in expoſitione, in epiſt. ad Roman. ferenter ſubijcit Chriſtianos tam bonis quam malis præſidibus.

Recte D. Auguſtinus expendens dudum a nobis allegatum locum
Pauli,expoſuit nobis terminum libertatis Chriſtianæ,cõmendans nobis
obedi-

obedientiam principum pro iſtius vitæ neceſſitate, cuius verba ſunt: Rectiſſime admonet (Apoſtolus) ne quis ex eo quod a Domino ſuo in libertatem vocatus eſt, factus Chriſtianus, extollatur in ſuperbia: Et non arbitretur, in huius vitæ itinere ſeruandum eſſe ordinem ſuũ, vt poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet non ſe eſſe ſubdendum. Cum enim conſtemus ex anima & corpore, quamdiu in hac vita tẽporali ſumus, etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ huius vitæ vtamur, oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet ſubditos eſſe poteſtatibus, id eſt, hominibus, res humanas cum aliquo honore adminiſtrantibus. Ex illa vero parte qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet eſſe ſubditos cuiq̃ homini, idipſum in nobis euertere cupienti, q̃d Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt. Si quis ergo putat, quoniã Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal reddendum, aut tributũ, aut nõ eſſe exhibendũ honorem debitum eis qui hæc curant poteſtatibus, in magno errore labitur: ſed modus iſte ſeruandus eſt quem Deus ipſe pręſcribit, vt reddamus Cęſari quæ Cęſaris ſunt, & Deo q̃ Dei ſunt. Hæc Auguſtin.

Audiſti de regibus & principibus ciuilis politiæ, quæ multo maiori ratione prælatis conueniunt: audi nunc de Eccleſiæ præſidibus ipſam veritatem. Matth. xviij. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Quid eſt non audierit, niſi, ſi non obediuerit? Non loquitur cum ſurdis Chriſtus, ſed cum inobedientibus, qui moniti a Pręlatis volunt perperam adimplere ſuam voluntatem, & Dei magiſterium paruipendere. Et conuerſus ad apoſtolos, vicarios ſuos, tanquam per eos intelligens Eccleſiam, ait: Amen dico vobis, quia quæcunq; alligaueritis ſuper terram &c. erunt ligata & in cœlo. Et Lucæ x. Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Non poteſt ergo Chriſtianus obedire Deo, niſi eius vicarijs obtẽperet. quem locum tota Eccleſia ſic interpretata eſt: Legatione (inquit Paulus) fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Apoſtolus quoq; xiij. Hebręo. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationẽ pro animabus veſtris reddituri. Et Actuũ xvi. Quod Paulus & Syllas tradebant fratribus cuſtodire dogmata, quę erant decreta ab apoſtolis. Si obedientia illis non debebatur, tyrãni erant apoſtoli, qui huiuſmodi obedientiam extorquebant: ſtultus Paulus qui illam cõmendat. Et quare prohibet Apoſtolus, & Ioannes, vt hęreticus vitetur poſt primam & ſecundam admonitionem? Quare Alexandrum & Hymeneum, propter inobedientiam tradidit Sathanæ? Quare Corinthium illum fornicarium excommunicauit? certe niſi quod ipſum monentem non audierant, vt peccata desererent. Et quæ nam illa eſt poteſtas quam ſe gloriatur habere Apoſtolus ad ædificationem? Et virga illa

in qua

Quomodo his Principibus obtemperandum.

Matt. 18

Lucæ 10

2. Cor. 5

Agoſt.

Acto. 16

1 Cor. 10

in qua dicit ſe poſſe venire ad Corinthios,quam in promptu habebat ad vlciſcendum omnem inobedientiam: non erat hæc ſolum poteſtas diſpē-
2.Cor.13 ſationis verbi Dei,vt mentiebatur Luther. Hæc (inquit Apoſtolus) abſens ſcribo,vt non præſens durius agam,ſecundum poteſtatem quā Dominus dedit mihi. Cum Apoſtolus ſcribebat aut prædicabat,munere diſpenſationis verbi Dei vtebatur, & tamen aliam poteſtatem præter hanc ſibi dicit adeſſe,per quam poſſit eos corrigere: quod ſi hæc poteſtas erat in apoſtolis,eſt etiā in Eccleſiæ præſidibus. Et cum non cōſtituerit Eccleſiam Chriſtus Dominus pro tēpore ſuorum apoſtolorꝫ duntaxat, ſed vſqꝫ in finem ſeculi duraturam,conſequitur igitur has poteſtates cū apoſtolis non expiraſſe,ſed ſemper in Eccleſia cōtinua ſucceſſione deriuatas fuiſſe: quod in ſuperioribus latiſſime probauimus. Iam ergo ſi in Eccleſia eſt poteſtas præſidentiæ,in reliquis eſt etiam neceſſitas ſubiectionis, nam iſta neceſſario correlatiua ſunt.

Quantum vero Deus faciat obedientes, quanqꝫ ſuos velit eſſe maioribus morigeros, per Samuelem oſtendit Sauli regi. Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas,& non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt obedientia q̄ victima,& auſcultare magis quam offerre, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ non acquieſcere. Et ad eundem Samuelem ſpretum ab Iſrael dixit:
1.Re 15
1.Reg.8 Vade,non te abiecerunt,ſed me. Nota eſt omnibus ſeueritas, quam in Dathan,Chore & Abiron exercuit Dominus: non quia conſpirauerant in ipſum,nam parati erant illi Domino obedire, ſed quia rebellabant &
Num.16 renitebantur miniſtris ipſius. Nam cum vocarentur a Moyſe, reſponderunt, Non venimus. Nunquid parū eſt tibi quod eduxiſti nos,niſi & do
Deut.17 minatus fueris noſtri? Quid quod Deut.xvij.ſine diſcrimine dicitur, Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo,morte moriatur, & auferes malū de Iſrael, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia? Peccatum ergo magnum, atqꝫ ſuperbiam reputat Deus non obedire ſuis ſacerdotibus: quæ cum in omni lege ſit euitanda,conſequitur præcepta hæc, quantum ad neceſſitatē etiā in nouo Teſtamento habere vigorem. Quare verum eſt noſtrum propoſitum,ac ſubinde deliri & pernitioſi ſunt, qui obedientiam a vocatione Chriſtiana ſeparant.

Ille vero locus de ſolutione vectigalis,quem pro ſuo dogmate adducunt aduerſarij,non facit ad propoſitum,quia facto illo tantum inſinuauit ſe Chriſtus nihil debere principibus terrenis,ſi voluiſſet ſuo iure vti,vtpote qui filius naturalis erat Dei,cuius eſt terra,& omis plenitudo eius. Vo-
Matt.17 luit tamen & in illo ſubditum ſe oſtendere,et didrachma ſoluere,ne ſcandalizaret ignorantes & puſillos, vt mēbris ſuis præberet humilitatis & charitatis exemplum; ſed alio iure pro Petro quam pro ſe. Pugnat etiam cum

cum diuina lege, & naturali ratione carnalis hæc libertas. Sequitur enim: Si liberi ſumus a poteſtatibus, liberos ſubinde eſſe a multis legibus naturalibus, illatum hoc Chriſtus aperte damnat, qui fontem & principium legis naturæ approbat: Quod vultis vt faciant vobis homines, hæc facite illis. Et ipſamet natura hoc ipſum abhorret, quippe quæ intra ſe habeat legem æternam, qua iuſtum eſſe ducimus, vt omnia quam ordinatiſſime fiant, vt Auguſtinus docet 1. lib. de libero arbitrio. Sed quod hęc abſurditas ſequatur, patet, quia multa pręcepta iuris naturæ ſunt indeterminata ad tempus, & ad locum, vt de honore parentum, de cultu etiã Deo exhibendo. Similiter multa quæ egent declaratione & executione, ad hoc enim lex animata eſt, vt Ariſtoteles docet v. Ethico. princeps aut iudex vt ea declaret, exequatur et moderetur, quando [illegible] opus habent: quæ ſi deſit, multi poſſent licite pretermittere eorum obſeruantiam. Hæc ſequuntur ad hoc barbarum & maledictum dogma. Nam ſi poteſtatibus non debetur obedientia, nec etiã declarationi, neq; determinationi eorũ ſtandum eſt, quam erga legem diuinam faciunt. Licebit ergo illi nunquã eam implere, nec valet dicere quod ipſe ſibi eam determinabit: nam gratia ſpiritus regenerationis regulariter non facit homines diſertos, nec tam doctos, nec in bono tam fixos, vt iſta poſſint et valeãt pręſtare. Hęc ergo regni libertas, quã iſti fingunt, brutalis libertas eſt, & diabolica ſeruitus. Vides ꝙ miſeros reddunt homines hi, quibus placet tam barbara & diſſoluta doctrina. Abſoluere enim homines a legibus, eſt facere ipſos peſſimos omnium quantũuis brutorum animalium, quę certis legibus etiam ab intelligentia non errante diriguntur in fines ſuos. Ad hæc, cum Eccleſia Chriſti ſit corpus, vt Apoſtolus docet prima Corinthiorũ ſecundo. oportet vt in ea ſit ordo & diuerſitas munerũ atq; membrorum, oportet ergo vt in ea ſint caput, membra principalia, quæ influant, regant alia, ſimiliter & alia quæ regantur. Sunt autem paſtores principalia membra Eccleſiæ, & diuino iure introducti, ergo eodem iure inferiora membra ſunt ſubdita. Dixit enim Apoſtolus, loquens de corpore Eccleſiæ: Alij paſtores, alij doctores. quare pernitioſa eſt hæc carnis libertas atq; ſuperba, necnon diuinis legibus & naturalibus plane aduerſa.

Matth. 7
Auguſt.
Ariſtot. 5. Ethi.
Apoſt. 1. Cor. 12.

Nunc operępretiũ erit perpendere, quæ ſint epiſcopi propria, deinde videre quid poſſit. Meminiſſe ante omnia opus eſt eorum quæ diximus & probauimus in conſideratione noſtra de ſacerdotio Eccleſiæ, vbi epiſcopalem hanc poteſtatẽ, quantũ ad ſuam inſtitutionẽ & dignitatẽ, longe lateq; explicuimus. Probauimus enim dignitatẽ hanc, apoſtolicę autoritati per diuinam voluntatẽ legitimo iure ſuccedere, tam ſcripturæ locis apertiſſimis, quam Traditione apoſtolica, & ſenſu omnium ſanctorum.

Item probauimus efficaciter, quod nõ omnis Chriſtianus ſacerdos eſt, nec epiſcopus, ſed is qui eligitur & conſecratur, ſecundum apoſtolicas

Tradi-

Liber collectorius institutionum apostolicarum a Carolo Capella inventus

Traditiones. Quorum omniũ (vt memoria refricetur) ex procemio collectorij inſtitutionũ apoſtolicarum, quod modo in Creta inſula a Carolo Capella patricio Veneto inuentum eſt, illuſtre teſtimonium non verebimur afferre, hoc enim modo præfantur ſancti apoſtoli in illo libello:

Exhortatio apoſtolorũ, pro obſeruãdo ordine.

Lucæ 10

Illud vero cõmuniter omnes denuntiamus, vt vnuſquiſq; maneat in ordine ſibi aſſignato, & ne terminos tranſgrediatur. Neque enim noſtri ſunt ſed Dei. Qui vos enim (inquit Dominus) audit, me audit: et qui me audit, audit eum qui miſit me; & qui vos ſpernit, me ſpernit: qui vero me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Etenim ſi quæ inanima ſunt, ordinis modum optime ſeruant, veluti nox, dies, ſol, luna, ſtellæ, elementa, ſolſtitia, menſes, hebdomadæ, horæ, & ſeruiunt aſſignato vſui, ſecundum id quod dictum eſt, Terminum poſuiſti, quem nõ tranſgredientur. & iterũ de mari, et illud terminis meis poſitis et clauſtris et portis circũdedi ipſum: quanto magis vos nihil ex ijs audere debetis dimouere, quæ vobis ex ſententia Dei a nobis ſunt definita? Verum quando pleriq; & id ſuperaneũ eſſe duxerunt, ac confundere ordines, & ſanctam manuum ab vnoquoque admotionem peruertere audent, dum ipſi ſibi tyrannice arripiant, ea dandi quorum nullam habent autoritatem, & propterea quidem Deum irritant. Quemadmodũ Choritæ, & rex Ozias, qui præter dignitatẽ aggreſſi ſunt principis ſacerdotis munus: & hi quidem igne combuſti ſunt, hic vero in fronte lepra percuſſus eſt. Concitãt autẽ & ſpiritum ſanctum abrogato ipſius teſtimonio: merito quod impẽdet periculum ijs qui eiuſmodi faciũt proſpicientes: & incuriam quæ in ſacrificia, & gratiarum actiones inducitur, quod ab ijs, quos non oportet, obeantur: qui ludum eſſe arbitrantur principalem ſacerdotij maieſtatem, quæ imitationẽ continet magni principis ſacerdotum Ieſu Chriſti regis noſtri: neceſſe habemus, & id admonere, etenim qui iam deflexerunt ſecuti ſunt ſuam vanitatem. Et paulo poſt: Quæ autem noſtro tempore facta ſunt, fortaſſe non ignoratis: noſtis enim omnino a nobis nominatos eſſe epiſcopos & presbyteros, & diaconos, precum & manuum admotione: ſcilicet vt ex differentia nominum, differentiam rerum demonſtraremus. Neque enim qui volebat apud nos manum implebat, & creabatur ſacerdos excelſorum, vt tẽpore adulterini vitulorum ſacrificij, ab Hieroboamo deprauato ſacerdotio: ſed qui vocabatur a Deo. Nam niſi diuinitus eſſet aliquod inſtitutum, et ordinum differentia, plane ſufficeret vno nomine omnia confici. Verum a Domino docti rerum conũenientiam, epiſcopis quidem quæ pertinent ad ſacerdotij principatũ tribuimus: presbyteris autem quæ ad ſacerdotium: Diaconis vero quæ ad vtrorumq; miniſteriũ: vt quam pure ſacrorum ceremoniæ peragantur. Nam neq; diacono offerre ſacrificium fas eſt, vel baptizare, vel benedictionẽ paruam aut magnam facere: neq; presbytero ſe in manuum admotionem obliquæ inſinuare

Nõ oẽs ſunt ſacerdotes ſecundũ apoſtolos.

nuare:neq; enim pium eſt peruerti ordinem:namq; non eſt diſſidij De-
us,vt ij,quibus ſubeſſe obtigit,ſibi ipſis ea quæ ſunt ſuperiorum, vindi-
cent:nouam legislationem cõmenti in malum ſuum, ignorantes quod
durum eſt ipſis contra ſtimulum calcitrare. Non enim nos aut epiſcopos
oppugnant huiuſmodi homines,ſed omniũ epiſcopum & patris ſacerdo-
tem,principem Chriſtum Ieſum Dominũ. Etenim a Moyſe Dei amiciſ-
ſimo principes ſacerdotum conſtituti ſunt,et ſacerdotes,et leuitæ. A ſer-
uatore autem noſtro nos tredecim apoſtoli: ab apoſtolis vero, ego Iaco-
bus,et ego Clemens,& nobiſcũ alij,ne omnes iterum cõnumeremus: cõ-
muniter autem ab omnibus nobis,presbyteri,et diaconi,et lectores. Itaq;
primus eſt natura princeps ſacerdotum, Dei vnigenitus Chriſtus: qui nõ
ſibi ipſe dignitatem arripuit,ſed a patre conſtitutus eſt. Qui factus homo
propter nos,et ſpiritalem hoſtiam offerens Deo,et patri ſuo, antequã pa-
teretur,nobis conſtituit ſolis hoc facere:quanquam eſſent nobiſcũ et alij, Soli ſa-
qui in ipſum crediderant. Verum non omnino quiſquis crediderat ilico cerdotes
ſacerdos conſtitutus erat,vel principatus amplitudinẽ conſecutus. Poſtq̃ poſſunt conficere
vero aſſumptus eſt in cœlum,nos oblato ſecundum conſtitutionẽ ipſius corpus
ſacrificio puro et incruẽto, deſignauimus epiſcopos et presbyteros,et dia- Chriſti.
conos ſeptem numero,quorum vnus fuit Stephanus,etc. Tria nobis inſi-
nuarunt hic apoſtoli ſancti: Primum,epiſcopos a Deo ordinatos eſſe:Se-
cundum,quod nemo in cathedras apoſtolicas debet irrũpere, præter Ec-
cleſiæ ordinem a Chriſto pręfixum: Tertium,quod oportet vt neceſſa-
rio ſeruetur hic ordo in Eccleſia. Atqui quid alio teſtimonio opus eſt, ad
probandum clare illud quod volumus,quam illo Epheſiorꝝ iiij. Ipſe de- Epheſ. 4
dit quoſdam quidem apoſtolos,quoſdam autẽ prophetas,alios vero euã
geliſtas,alios paſtores,doctores,ad cõſummationẽ ſanctorũ. Ecce ad per-
fectionem et conſummationẽ Eccleſiæ dicit hæc munera diſtincta fore
neceſſaria,inter quæ paſtores et doctores incluſit: ideo iſta præfati ſumus,
quia quod apoſtolis conuenire probauerimus,quantum ad regiminis po
teſtatẽ,eadem etiã ſucceſſoribus eorum epiſcopis cõuenire intelligatur.
Nam cum Eccleſia nõ ceſſauerit cum apoſtolis,neceſſe eſt vt iſta diſtin-
ctio rerum,et perfectionis graduum, permaneat in Eccleſia vſq; in finẽ
ſeculi,illo approbante et volente,qui dixit: Vobiſcum ſum vſq; ad con-
ſummationem ſeculi, Matthęi vltimo.

PROPRIA EPISCOPI,
primum ſuperintendere.

PRimum epiſcopi munus,nomen ipſum pre ſe fert,quod eſt ſu-
perintendere. Epiſcopus enim ſuperintendens interpretatur,vi-
ſitans,aut ſuperuidens, in quo dicit Apoſtolus tanta & ſuper-
cœleſtia dona debere coniungi,vt vix queat ab homine huius

ſanctæ vocationis munus expleri. Vnum ſufficiat recitaſſe: Oportet epi-
1.Tim.3 ſcopum eſſe irreprehenſibilem,1.Timoth.iij.&c. Quod nemo ſine magna
Dei gratia præſtare poteſt.

Secundum, eſſe paſtorem.

1.Petr.5 SEcundum eſt paſtorem in Eccleſia, cui ſuperintendit, agere. Vnde Petrus ad ſeniores, qui epiſcopi erant: Paſcite qui in vobis eſt, gregem: non coacte, id eſt, violenter, quod Paulus Galat.vi. alijs verbis explicauit: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. Paſtoris autē officium, vt conſtat ex re ipſa a quo nomen ipſum translatum eſt, non eſt ſolum ad paſcua ſalubria & amœna greges deducere, ſed cauere ne luporum & aliarum beſtiarum miſeræ prędæ fiant, auț ne inter ſalubria pabula aliquem nociuū et venenoſum paſtum deſumāt. Item vagantes aut palabundas gregis ſui oues, ad caulas, quādo opus eſt cogere. Hinc in ſcriptura reges appellantur paſtores: quibus ſi tantū pabulandi munus cōueniret, incongrue certe regibus nomen paſtoris adaptaretur. Dicit enim de ſe Dauid Pſal.lxxvij. Elegit Dauid ſeruum ſuum, et ſuſtulit eum de gregibus ouiū, paſcere Iacob ſeruum ſuū & Iſrael hæreditatem ſuā. Et in alio pſalmo Deus paſtor appellatur: Paſtor Iſrael intende qui deducis velut ouem Ioſeph. et apud Homerū, reges paſtores populorum vocantur. Quare ex odio eccleſiaſticæ poteſtatis, nulla fretus ratione nec ſcriptura, imo contra eam apertiſſime docuit damnatus Luther, munus tantū prædicationis epiſcopis tribuens, id quod magis ea quæ dicentur, indicabunt.

Galat. 6

Pſal. 77

Pſal. 79

Reges/ Pastores populi

EPISCOPI RECTORES SVNT ET PRAEſidentes Eccleſiæ in ſpiritualibus, & id quidem diuino iure.

PRobauimus exacte ſatis in conſideratione noſtra de ſacerdotio, ordinem epiſcopatus a Deo eſſe, quamuis modus electionis epiſcoporū varietūr ſecundum diuerſitatem temporum, itidem & diſtributio ipſorum gregum, ſiue deſignatio materię regiminis. Quæ voluntate humana nunc coarctari poſſunt aut extēdi, vel ſummi in Eccleſiæ pręſidis, aut generalium ſynodorū autoritate. Nec opus eſt vt hac in re multum immoremur. Duo loci illuſtres ſunt, quibus hæc proprietas fulcitur, vt breuitati ſtudeamus. Dixit Chriſtus ad Petrum Ioannis xxi. ποίμαινε τὰ πρόβατα Rege aut paſce oues meas. quod verbum vſitatius eſt in ſcriptura in ſignificatione regendi, quanquā vtrumque ſignificet. Actuum tamen vigeſimo, clarior eſt locus, in quo quæ dicta ſunt, luculenter ſatis comprehendit Apoſtolus. Dicit igitur volens Paulus diſcedere ab Aſianis quibuſdam epiſcopis: Attendite vos, &

vniuerſo gregi veſtro,in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regendũ Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meã lupi rapaces in vos,non parcentes gregi,et ex vobis ipſis exurgẽt viri loquentes peruerſa,vt abducant diſcipulos poſt ſe,propter quod vigilate. Vbi primo eos facit paſtores & ſuperintendentes,cum dicit: vt vigilent ſuper gregem ſuum. Itidem & rectores,& legitimos ſui gregis defenſores:quod ſi rectores,pręſidentes etiam atque pręfectos, quibus oportet vt ſubditi obedientiam & honorem exhibeant.

Hinc clare colligitur epiſcopos qui excubias non agunt (cũ poſſunt) ſuper gregem ſuum,ſed abſentes ſunt ab eis per tempus notabile, & non gratia alicuius boni melioris & cõmunioris,quod includat in ſe munus hoc tam ſanctum & neceſſarium,epiſcopi officium non agere, ac ſubinde male pręuaricari. Iubet enim eis Dominus per Paulum, vt attendant & vigilent,& vtinam ſufficiant,etiam ſi tot oculos quot Argus olim habuit,habeant. Nemo autẽ dicet eum vigilare & ſeruare greges ſuos, qui per magna locorũ interualla,a caulis ouium ſuarũ diſtat, vbi vix agnoſcere poſſit an viuant greges ſibi cõmiſſi nec ne, tantum abeſt, vt poſſit optime explorare vultum pecoris ſui,ſcandala peccatorum,& peruerſitatem doctrinarum,quæ neceſſe eſt vt Eccleſiam Dei vrgeant vſq; ad finẽ mundi. Oportet(inquit Apoſtolus) hæreſes eſſe. Et Chriſtus redemptor noſter dixit: Neceſſe eſt vt ſcãdala veniãt. Pręterea neceſſitates alias corporales ſubditorum,famem verbi Dei, quibus tenetur ſpiritualis paſtor obuiare,item recta conſilia,ſalubres admonitiones,ædificationem ſubditorum,per bonum vitæ paſtoris exemplum,quem veluti candelabrum in edito loco oportet eſſe,vt luceat ĳs,qui in domo ſunt. Quæ omnia bonus paſtor Eccleſiæ ſuæ debet,nec poſſunt ab eo abſente præſtari. Certe in magno animæ ſuæ verſatur periculo prælatus, qui a ſuis caulis auulſus,falſis quibuſdam pretextibus quos ſibi perſuaſit caro & ſanguis, per longam tẽporis moram non veretur ab Eccleſia ſua abeſſe,quam excolendam a Domino ſuſcepit. Conuincitur plane non amare ſponſam ſuam, neq; Deum timere,cuius vices immerito gerit in terris,qui negocio omnium negociorũ operoſiſſimo & laborioſiſſimo, ſua pręſentia non aſſiſtit, ſponſam ſuam per longum tẽpus ſua priuans opera & diligentia. Oſtendit certe ſe non legitimum eſſe paſtorem, ſed mercenarium: non maritũ, ſed concubinarium: non ſuperintendentem, ſed deſtruentẽ. Deuorat enĩ ſubſtantiam populi,carnalia metendo, & ſpiritualia minime ſeminando. Audi Auguſtin. lib. de paſtoribus: Quiſquis ita præpoſitus eſt, vt in eo quo prępoſitus ſit,gaudeat,& honorem ſuũ quęrat, & cõmoda ſua ſola reſpiciat, ſe paſcit & non oues. Non eſt ergo tui iuris o epiſcope, debitor es Deo qui te pręfecit: debitor es tuæ Eccleſiæ,quæ te alit & cui te ſpon-

Reſidentia prælatorum neceſſaria.

1. Cor. 11

Matt. 18

diſti. Necꝫ eſt Eccleſia tua propter te, ſed tu propter Eccleſiam. Omnia propter vos dicebat Apoſtolus Eccleſiæ Corinthiorum, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas. Si ergo debitor es Eccleſiæ tuæ, quamdiu illi non inſeruis, quamdiu eam non excolis, quamdiu vultũ eius nõ contemplaris, quamdiu verbo & ſanctis conſilijs non exhortaris, quamdiu non te imitandum ei viuacibus vitæ tuæ exemplis prębes, quamdiu deniꝗ neceſſitatibus ſubditorum tuorũ non cõpateris, quæ omnia requirunt tuã pręſentiam, iniuſtiſſime agis, magnopere reus apud Deũ es. Si enim liceret ſemper epiſcopo hæc omnia per vicariũ facere, quorſum diſcruciaretur Apoſtolus in pręſcribendis heroicis virtutibus, quibus debet epiſco-
Tim. 3 pus pręditus eſſe? Oportet (inquit) epiſcopũ irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem. Et in epi-
Ad Tit. 1 ſtola ad Titum addit, iuſtum, ſanctum, & continentem. Facile dici poſſit Apoſtolo: Noli diſcruciari o Apoſtole de ſcribendo nobis epiſcopi dotes, ſatis eſt ſi ipſe non habuerit, quod habeat vicarius eius. Hanc vocem tanquã ſacrilegã execraretur Apoſtolus, ſi hodie viueret. Etiã dici poſſit nobis, non opus eſt vt tu dicaris epiſcopus, nec habeas & recipias Eccleſiæ redditus, ſed ſatis eſt quod alius pro te accipiat, & in ſuas vtili-
1. Cor. 9 tates inſumat. Sed in hoc longe diligentiores ſumus. Nemo ſe circũueniat fratres, qui in ſacrario operantur, quæ in ſacrario ſunt, edunt: qui altario deſeruiunt, cum altario participant. Dominus ordinauit ijs qui euangelium annunciant, de euangelio viuere. Paulus hæc dicit, non ego. Dominus id conſtituit, non Paulus. Ergo per locũ a contrarijs: Qui non ſeruit altari, non debet comedere de altari, Deus non irridetur neꝗ decipi poteſt. Non excuſabunt nos certo ſcio in iudicio Dei onera præſidentiarum ſecularium, non ſuperbi aut mundani tituli, non prophana officia, quibus nonnulli implicantur, non pernitioſa conſilia quorundam, aut opiniones hominum, non denique vllum humanum mandatũ, quippe quæ omnia certo ſcimus nullas vires habere poſſe contra veritatem. Ha-
Acto. 20 bemus mandatum Dei expreſſum: Attendite vos vniuerſo gregi veſtro, in quo vos poſuit Deus epiſcopos, regere Eccleſiam ſuam. Paſcite qui in vobis eſt gregem. Epiſcopus epiſcopari debet, non dormire aut abſens eſſe. Non eſt paratus pro ouibus dare ſubſtantiam & animam ſuam (ad quod tenetur) qui renuit illis dare præſentiam ſuam, dicere enim quod aliquis ſit epiſcopus, & ſine cauſa boni melioris, vt diximus, aut alia vrgentiſſima neceſſitate, abſens poſſit eſſe per tempus notabile a ſua Eccleſia, perinde eſt, ac ſi dicatur quod aliquis poteſt alicuius familiæ & multorum liberorum, pater aut tutor deſignari, quos per mandatum humanũ liceret ſibi nunquã videre, quod tum naturæ, tum diuinæ legi manifeſte contradicit. Caueant, caueant epiſcopi, qui ſe ſecuros eſſe putant priuantes gregem ſuum præſentia & ſolicitudine ſua, ne ad illos perti-

pertineat timendum illud vęh,quod prędixit Dominus per Ezechielem Ezec. 34
paſtoribus Iſrael:Vęh paſtoribus Iſrael,qui paſcebant ſemetipſos. Non-
ne greges a paſtoribus paſcuntur?lac comedebatis,& lanis operiebami-
ni, & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meũ non paſceba-
tis, errauerunt greges mei incunctis montibus,& nõ erat inquam qui re-
quireret: paſtores mei demoliti ſunt populum,& non paſcebant gregem
meũ, ſed paſcebant ſemetipſos. Curent hi quos conſtituit Dominus ſu-
per familiam ſuã, dare fidelibus cibum in tempore ſuo tritici menſuram,
probatam doctrinã, exempla vitæ viuacia, vt veniente Domino merean
tur audire, Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra
multa te conſtituam intra in gaudium Domini tui. Hæc obiter dicta
ſunt, quibus plura poſſemus accumulare, ſi noſter Mirandẽſis rem hanc,
tum conſenſu patrum, tum omnium ſynodorũ, tam fœliciter non fuiſſet
perſecutus. Habemus ergo ex hoc petito epiſcopos eſſe præſidentes ſua-
rum Eccleſiarũ, ac ſubinde rectores et gubernatores. Vnde merito repellit
Apoſtolus illum ab Eccleſiæ præſidentia, qui domui ſuæ neſcit præeſſe.
1. Timoth. iij. eo quod ad præſidentiam animarũ aſſumitur epiſcopus.

QVOD EPISCOPI SVNT animarum medici.

EX præcedente proprietate ſuboritur hæc. Nam in Ezechiele Ezec. 34
paſtorali officio adiungit Dominus medici etiam peritiam et
diligẽtiam. Sic enim ait ad malos paſtores, qui morbidas oues
negligebant loco ſupra citato: Quod infirmum fuit non con-
ſolidaſtis, quod ægrotum eſt non ſanaſtis, quod confractũ eſt, non alli-
gaſtis. De hoc etiam dolet apud Eſaiã, quod plaga et vulnus populi ſui Esaiæ
non ſint curata medicamine, necꝫ fota oleo. Hinc Chriſtus Ieſus cuius lo-
cum tenent epiſcopi, et exemplum debent imitari, medicũ animarum ſe
dixit, Luc. v. Non eſt (inquit) opus valentibus medico, ſed male habenti-
bus. Cum ergo medicus non tantũ ordinetur ad infirmitates hominum Lucæ 5
curandas, ſed ad bonam etiam valetudinẽ augendam et conſeruandã, nõ
parua inde obligatio in epiſcopo naſcitur, ad cognoſcendum et diligenter
intuendũ inclinationes, conſuetudines, peccata et occaſiones peccatorum,
quibus ſui laborant ſubditi: item remedia horum, et modum quo appli-
cari melius ad ſalutẽ ſuorum poſſint. de quibus D. Gregorius in ſuo pa-
ſtorali, mirabiles habet conſiderationes. Quare ſeparari non debet, aut Gregor.
ſeiungi munus medici ſpiritualis, ab autoritate paſtorali in epiſcopis: quã
quia ſeorſim et per ſe cõſiderauit Ierſon, multum in hac materia obedien- Ierſon.
tiæ hallucinatus eſt, et alijs etiam dedit occaſionẽ errandi, homo alioqui
doctus et Chriſtiane eruditus. Putauit em̃ Eccleſiæ paſtores ſolum poſſe

obligare conſcientiam,eo modo quo medici, cum infirmos aut valetudinarios curant,quando ſcilicet pręcipiunt aliquid quod ad legem diuinã pertinet,omniaq́ fere pręcepta prælatorum,conſilia magis ꝙ præcepta faciens: cuius opinionis falſitatem ſubſequens proceſſus indicabit.

EPISCOPI PARENTES SPIRITVALES ſunt ſuorum ſubditorum.

SAne ſi diuino iure epiſcopi ſuccedunt apoſtolis,vt ex ſcriptura & vniuerſali ſenſu ſanctorum in noſtra illa conſideratione de ordine eccleſiaſtico demonſtrauimus: quod illis ratione oneris & officij apoſtolici proprium fuit,epiſcopali etiã ſtatui quodãmodo annexum erit.Fuiſſe autem patres apoſtolos, ex Paulo nobis clare innoteſcit.Dicit enim Corinth.iiij.mẽbris illius Eccleſię:Si decẽ millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres:nam in Chriſto Ieſu per euangelium ego vos genui.Et ad Galatas iiij.Filioli mei quos iterum parturio,donec formetur Chriſtus in vobis.Et 1.Theſſal.ij. Facti ſumus paruuli in medio veſtri, tanquã ſi nutrix foueat filios ſuos, ita deſiderantes vos cupide,volebamus tradere vobis non ſolum euangelium Dei, ſed & animas noſtras.Et paulo poſt:Vos teſtes eſtis,& Deus,quam ſancte et iuſte ſine querela vobis qui credidiſtis adfuimus,ſicut ſcitis, vnumquemq́ veſtrum ſicut pater filios ſuos, deprecantes vos

1.Phili.2. & conſolantes. Rurſus de Timotheo diſcipulo ſuo dicit Philippenſibus: Experimẽtum eius cognoſcite,quia ſicut patri filius mecũ ſeruierit in euãgelio.confirmante hoc ipſum Pſal.xliiij. Pro patribus tuis nati ſunt tibi

Pſal. 44. filij,conſtitues eos principes ſuper omnem terrã.qui locus literaliter intelligitur de apoſtolis & ſucceſſoribus eorum,qui patres & principes Eccle-

Auguſt. ſiæ ſunt. Et ſic intellexit Auguſtinus,vt adduximus loco iam citato.

Ad hęc,cum epiſcoporum munus pręcipuũ ſit docere,exhortari, corripere,& ſacramenta Dei in ſubditis perficere,quæ animã intus renouant, aut renouationem ſpiritualem augmentant, ac ſubinde nouum eſſe digne ſuſcipientibus quodãmodo tribuant, ea parte qua hæc pręſtãt & faciunt,parentes animarum proprijſſime dicuntur.Et quanquã non eſſent niſi ſalutis æternæ magiſtri,iure optimo parentibus æquari poſſunt. vn-

Ariſtot. de recte Ariſtoteles, Magiſtris & parentibus reddi nõ poteſt æquiualẽs.

Finis a prælato intendẽdus. quos recta quidem ratione æquiparaſſe videtur philoſophus:Nam ſicut parentes naturales dant filijs ſuis quod viuant, ita magiſtrorum munus eſt,& maxime ſpiritualium, dare ſuis vt bene viuant,ad vitæ æternæ cõſecutionem.Quare ſatis euangelice D.Petrus in ordinatione Clementis,

2.Epiſt. Clemen. cõmendans ſucceſſoris ſui obedientiam,dixit:Qui contriſtauerit doctorem veritatis patrem omnium exacerbat Deum.

EPISCO-

EPISCOPI VICES AGVNT CHRISTI, ET eius locum tenent in Eccleſijs.

IOannis vltimo deceſſurus Ieſus Chriſtus, ſecundum corporalem præſentiam, loco ſui apoſtolos ſubrogauit, dicens: Pax vobis, ſicut miſit me pater, ita ego mitto vos, Accipite ſpiritũ ſanctum &c. Nec aliud voluit, cum Lucæ x. eiſdem dixit: Qui vos audit, me audit. quos duos locos tractans beatus Cyprianus, in hoc eodem ſenſu videtur intellexiſſe: primum locũ tractatu de ſimplicitate prælatorum, ſecundum vero epiſt. ad Florentium et Pupianum, vbi expreſſe dicit, illud verbum: Qui audit vos, me audit: ad apoſtolos & ad omnes præpoſitos, qui apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt, pertinere. Omnium horum breuiſſimam ſummã fecit D. Ignatius, ij. epiſtola ſua ad Traianos: qui poſtquam epiſcoporum cõmendauit obedientiã, ait: Quid eſt epiſcopus, niſi omnis principatus et poteſtas, imitator Dei factus ſecundum virtutem? Hinc D. Ambroſius in paſtorali, epiſcoporum dignitatẽ contemplatus, dixit: Honor & ſublimitas epiſcopalis, nullis poterit cõparationibus adęquari: ſi regũ fulgori compares, & principũ diademati, longe inferius hæc erunt, & quaſi metallum ad auri fulgorem comparabis: quippe cum videas colla regum & principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & oſculata eorum dextra, orationibus eorundẽ ſe credũt cõmuniri, hæc ille. Quo fit vt epiſcopali dignitate nulla maior in Eccleſia ſit. Ioan. 20 Lucæ 10 Cypria.

Quid poſſunt epiſcopi.

PRimo cõmune habent cũ ſacerdotibus, poſſe ſacratiſſimũ corpus & ſanguinem Domini conficere. Apoſtolis enim dictum eſt: Hoc facite in meam cõmemorationem: quibus et epiſcopi & ſacerdotes in hoc munere ſuccedunt.

Secundo, habent cõmune cum illis peccata remittere in interiori conſcientiæ foro: quibus fideles diuino iure tenentur obedire, iuxta illud Ioannis xx. Accipite ſpiritum ſanctum, & quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: quæ autẽ retinueritis, retenta ſunt. Horum verborum ſenſus, in conſideratione noſtra de confeſſione auriculari, late ſatis a nobis declaratus eſt.

Poſſunt præter hæc communia alia propria, quæ ea ratione qua epiſcopi ſunt & paſtores, illis cõpetere videntur.

Primo coarctare poſſunt poteſtates illas aut vſus earum minoribus ſacerdotibus, iuſtis de cauſis, prout viderint vtilitati ſuæ Eccleſiæ conuenire: non pro libito ſuo, aut pro cõmodo priuato, quod multoties hodie fit. alias ſi quilibet ſacerdos libere poſſet ſuam poteſtatẽ indifferenter in quẽlibet exercere, periret ordo politicus Eccleſiæ, & vnuſquiſq; ad ſe traheret illam, eſſentq; ſchiſmata et diuiſiones; id quod ipſa ratio & natura Prima actio, propria epiſcopo.

abhorret. Adde quod cum ſacerdotes ſimplices ſint ſubditi epiſcoporũ, diuino iure, vt monſtrauimus, & epiſcopi ſint legitimi paſtores, tum ſacerdotum, tum aliorum fidelium, qui in ſua diœceſi ſunt, iure ſuo vtentes, poſſunt iſta præcipere, illi tenentur obedire: non quidem tollendo a ſacerdotibus poteſtatem abſoluendi, nam hęc cũ fundetur in charactere, ſitq́ ſpiritus ſancti donũ, ſemper eam habent ſacerdotes, quãuis ſint ab Eccleſia excluſi, ſed tollendo vſum talis poteſtatis, & ſubtrahendo etiã materiam, in qua exerceri habeat huiuſmodi poteſtas, maxime in abſolutione peccatorũ, priuando eos ab vſu poteſtatis: peccant quidẽ grauiter ſi contrarium facere attentent inferiores ſacerdotes, vtpote qui contra iuſtum legitimi ſuperioris præceptum agunt: Subtrahendo illis materiã etiam ſi attentent cõtra prohibitionẽ agere, nihil agunt. Quod ſi aduertiſſent nõnulli Theologi ſcholaſtici, non præbuiſſent anſam multis ſacerdotibus, quibus placuit Apoſtaſia, vt eccleſiaſticũ ordinem cofundetent, & cõtra naturam & rationem agerent, ſpreto maiorum magiſterio.

Secunda actio propriae epiſcopi. Secundo poteſtatem habent diſpenſationis ſacramentorum & verbi Dei: non ſolum quantum ad prædicationẽ, ſed quantũ attinet ad verbi Dei declarationem. Docete (inquit) Chriſtus apoſtolis omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, &c. (Mar. vl.) Non enim caret Eccleſia Dei, eo quod pro conuenienti regimine ſui habuit olim ſynagoga, habuit autem illa magiſterium ſacerdotũ, per quod contentiones legis, difficileſq́ de religione concertationes terminarẽtur, quo & ſanctos apoſtolos vſos fuiſſe vidimus, in queſtiõe illa de ceſſatione legaliũ. Actuũ decimo quinto. (Acto. 15) Et Chriſtus etiã iuxta Chryſoſtomũ ſignificauit, cum illos ſecum ſeſſuros in duodecim ſedibus iudicãtes tribus Iſrael prædixerat. (Matt. 19) Hinc Paulus ad Timotheum ſcribit: (1. Tim. 4) Noli negligere gratiam quæ data eſt tibi per prophetiam cũ impoſitione manuũ presbyterij, vbi per prophetiã donum Dei, quo diſcernere poſſunt inter adulterinas & legitimas ſcripturas, catholica & hæretica dogmata, ſatis rationabiliter poteſt intelligi. Sancti enim, & maxime diuus Ambroſius, (Ambroſ) per prophetiam, donum hoc intelligi volunt, quod verſatur circa declarationem & intelligentiã verbi Dei. Et quod in multis ignorantibus epiſcopis gratia hęc non appareat, in cauſa eſt, quia dona iſta infuſa regulariter, non mouent ſine acquiſitis, prout dici ſolet de fide infuſa, quæ non inclinat eum qui apud infideles baptizatus eſt, et apud eos cõmoratur, ſi fide careat acquiſita. Cęterum ſi epiſcopus doctus ſit in lege diuina (quod Paulus vult) inſtrumentum proximum habet, quo donum iſtud & autoritas prodire poſſit in actum, alias non differret a ſimplici doctore aut concionatore. Sed de hoc magiſterio circa dogmata longum tractatum fecimus in vna noſtratum aſſectionum parte ſecunda.

De Excommunicatione.

Habent

HAbent tertio peculiarem poteſtatem ſuper omnem rebellem Tertia
& manifeſtum peccatorem, qua poſſunt eum excludere a cō- actio,pa-
ſortio fidelium, et cōmunione ſacramentorum, tradendo illũ pria epi
Sathanæ, vt ſpiritus per confuſionem & pœnalem medicinã ſcopi.
ſaluus fiat, & a malo retrocedat.

Patet hoc ex illo Matthęi decimo octauo: Si peccauerit in te frater Matt. 18
tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fra-
trem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum vnũ vel duos, vt in
ore duorum vel trium teſtiũ ſtet omne verbũ: quod ſi non audierit eos,
dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiã non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & pub-
licanus. Et conuerſus ad apoſtolos faciens eos harum cauſarum animæ
iudices, ait: Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt
ligata in cœlo, etc. Vbi nullam facit Chriſtus exceptionem peccatorum,
modo publica ſint, & Eccleſiam ſcandalizent. Hac poteſtate vſus fuit
Apoſtolus ter: Excōmunicauit enim illum Corinthium fornicarium, 1. Cor. 5
item Alexandrum & Himeneum propter blaſphemiam, prima Timo-
thei primo. Et in hæreticos iuſſit Titum hunc gladium ſpiritualem 1. Tim. 1
eximere, cum dixit: Hereticum hominem poſt vnam & ſecundam ad- Tit. 3
monitionem deuita. Et diuus etiam Ioannes ij. canonica: Si quis (in- 2. Cano.
quit) venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in
domum, nec aue ei dixeritis.

Effectus huius poteſtatis in quantum pœna eſt, eſt præſcindere homi- Effect9
nem peccatorem & contumacẽ a corpore Eccleſiæ: ſicut mẽbrum infectũ excōmu
& putridum naturale reſecari ſolet et ſeparari a cęteris membris: qui licet nicatiōis
per peccatum & crimen ſuũ antea ſeparatus a Deo eſſet, gratia ſacra-
mentorum indignus, & influxus charitatis aliorum mẽbrorum non ca-
pax, vtcunque tamen alligatus erat corpori, & quodãmodo virtutis eius
particeps erat, ſicut membrũ ſtupidum aut paralyticũ. Cui ſi superue-
niat præſciſſio excōmunicationis, in totum ſeparatur & remouetur ab
Eccleſiæ corpore, qua ſepararione non eſt dubium quin diabolus ma-
iorem habeat poteſtatem in eo, quam antea. Diabolus enim extra Ec-
cleſiam eſt, quare ad factionem eius manifeſte pertinet huiuſmodi pręſ-
ciſſus. Vnde Auguſtinus libro de verbis Apoſtoli, ſermone ſexage- Auguſt.
ſimo octauo: Omnis Chriſtianus, qui a ſacerdotibus excōmunicatur,
Sathanæ traditur. Quomodo inquit? Quia ſcilicet extra Eccleſiã diabolus
eſt. Hinc Chryſoſtomus etiã in epiſt. ad Hebræos: Nemo (inquit) con- Chryſo.
temnat vincula eccleſiaſtica, non enim homo eſt qui ligat, ſed Chri-
ſtus, qui hanc poteſtatem ſacerdotibus dedit, & Dominos fecit tan-
ti honoris. Apoſtoli quoque ſancti in prima illa Eccleſia vltra peccati
miſeriam, qua peccator excōmunicandus detinebatur, ſpeciali vinculo
maledictionis contumacem peccatorem implicabant, tradendo illum
Satha-

Sathanæ,a quo tunc(vt creditur)aliqua tortura corporali & ſenſibili vexabatur excõmunicatus,rudimentis fidei hoc exigentibus, quatenus homines euangelicum magiſterium magis admirarentur ,et apoſtolicã autoritatem plus pertimeſcerent. Nec curo hic illam differentiam, quæ a nonnullis ſolet poni inter excõmunicationem & anathema,vt ſcilicet excõmunicatio ſit vinculum eccleſiaſticũ,quo a ſocietate fraterna religatus, reijcitur is qui excõmunicatur. Anathema vero a Chriſti corpore ſeparat, quod eſt Eccleſia,quam videtur inſinuare Ioannes octauus cauſa prima quęſtione quarta,capite Engeltrudam:quia ſi propriam differentiam horum retinere velimus,ad normã antiquarum ſynodorum & veterum canonum loquentes, excõmunicatio mulcta quędam erat, qua excludebatur fidelis a ſacramentis,& maxime ab altaris cõmunione, quæ multoties imponebatur fidelibus abſq; interdictione ſuffragiorum Eccleſiæ, & aliarum legitimarum actionum ab alijs fidelibus, quæ interdictio erat olim anathema:id quod diligens vetuſtatis indagator,facile perueſtigabit. Sed prope ſemper confunduntur iſta apud ſcriptores.

Ioan. 8

Finis ex cõmunicationis. Finis aũt excõmunicationis triplex eſt: curare rebellem, quatenus per confuſionem ad ſe reuerſus,reſipiſcat a mala vita,& vt obediens filius audiat eccleſiaſticam poteſtatem,& ſinat ſe regi ab his, quos Chriſtus eſſe voluit animarum magiſtros. Secundus vero vt huiuſmodi pręciſſus a cõmunione fratrum,alios non poſſit inficere, & ad ſuam rebellionem attrahere. Tertius deniq;,vt alij huius exemplo timeant,coerceantur, & in diſciplina contineantur.Hic enim eſt cõmunis et generalis finis,& fructus omnium pœnarum,vt hominum coerceatur inſolentia. Primum finem

Apoſt. tangit Apoſtolus prima Corinthiorum quinto,cum excõmunicauit illũ fornicarium:vt ſpiritus (inquit) ſaluus fiat. primus etiam cum ſecundo colligi poſſunt ex illis verbis Chriſti, Habeas eum tãquam ethnicum & publicanum.quæ eo tendunt,vt cõfuſus peccator facilius reſipiſcat.

Cauſa quare infligi poteſt excommunicatio.

Licet locus ille Matthæi decimo octauo, vt ex verborum cõſequentia apparet,videatur præſupponere in eo qui excõmunicatur peccatum mortale, præceſſiſſe admonitionem et excõmunicationem, vt patet ex vſu ipſorum apoſtolorum, qui nunquam niſi pro graui peccato excõmunicarunt,vt pro crimine hęreſis, blaſphemiæ et fornicationis:propter hæc enim peccata legimus apoſtolos pœnam excõmunicationis inflixiſſe: non tamẽ ſubinde debet colligi, nullos excõmunicari poſſe,niſi prius in legem diuinam peccauerint. Satis enim eſt quod contumaciter peccent in aliquod præceptum ſanctum et iuſtũ Eccleſiæ,quod ex ipſa ſcriptura facile deduci poteſt. Dicit Apoſtolus ij. Theſſ.ij. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri

Ieſu

Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundũ Traditionem quã acceperunt a nobis. Hæc manifeſta excõmunicatio eſt, & non propter peccatum cõmiſſum in decalogum diuinę legis, ſed in Traditionẽ doctrinę a Paulo traditę, aut in aliquod laudabile inſtitutum ipſius. Et paulo inferius: Si quis non obedit verbo noſtro, hũc indicate, & ne cõmiſceamini cum illo. Certe hæc obedientia non erat fidei aut præceptorum Dei: nam ſi fidei eſſet, non eos appellaſſet fratres. Et ſi legis moralis eſſet, nõ diceret verbo noſtro, ſed pręcepto Dei. Quare relinquitur, quod propter aliquod ſalubre mandatum ipſius Apoſtoli, cuius tranſgreſſione ordo eccleſiaſticus turbabatur, excõmunicationes iſtæ inflictæ fuerint. Peccatum ergo quod præſupponit excommunicatio, contumacia inobedientiæ eſt: alias manca eſſet & defectuoſa eccleſiaſtica poteſtas, ſi inobedientes præceptis ſuis, non poſſit coercere atque compellere. Quare toto cœlo aberrant, qui autumant Eccleſiæ præcepta laudabilia, nullo modo conſcientiam obligare poſſe, cum pro illis licite inferri poſſit excõmunicatio, plus volentes tribuere ciuilibus legibus, (quarum multæ ſunt quæ conſcientiam obligant) quam eccleſiaſticis & apoſtolicis ſtatutis. Quod vero pro his excommunicatio infligi valeat, vſus apoſtolicus, & totius Eccleſiæ declarat. In canone enim apoſtolorum lxviij. ſancta Quadrageſima ſub pœna excõmunicationis ab apoſtolis indicitur. Item canone lxix. vt cum Iudęis nullus Chriſtianus feſtũ agat, ſub pœna excõmunicationis pręcipitur. Canone quoq; xxxv. communione priuatur epiſcopus electus, qui ſine iuſta cauſa epiſcopatum non ſuſcipit. & canone vndecimo, qui cum excõmunicatis orat, etiam communione priuatur. Cano. 68 Cano. 69 Cano. 35 Cano. 11

Beatus Cyprianus in concilio ſuo tempore coacto, vt ipſe refert epiſtola nona, primi libri, quendam Victorem nomine, quia reliquit presbyterũ actorem ſui teſtamenti contra ſynodi determinationẽ, eum ſuffragijs fidelium priuat, propter ſolam inobedientiã pręcepti concilij: Victor (inquit) cum contra formã nuper in Concilio a ſacerdotibus datam, Fauſtinum presbyterum auſus ſit actorẽ conſtituere, non eſt quod pro dormitione eius apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Eccleſia frequentetur. Cypria.

Item ſequeretur vnum erroneum & abſurdiſſimũ corollarium, quod nulla ſynodus, antiquarum in qua articuli fidei nulla ſcriptura pene decreti ſunt (vt quod verbum diuinũ, & ſpiritus ſanctus ſint patri conſubſtantiales, quod in Chriſto ſit duplex natura in vnitate ſuppoſiti, ac ſubinde duæ voluntates: Itẽ quod virgo Maria ſit mater Dei, & virgo poſt partũ remanſerit) poſſet cogere mucrone iſto ſpirituali fideles ad tenendum aliquẽ iſtorum articulorũ, ex quo non patet diuinũ præceptũ, quod iubeat hos articulos a ſynodo declaratos, recipere.

Beatus

Beatus Clemens iij.epiſtola ſua eccleſiaſticos arcet a viſitationibus fre-
quentibus fœminarum,& fœminas etiam ſub excõmunicationis pœna:
ergo de temeritate & tyrannide manifeſte apoſtolos & diſcipulos eorum
arguunt,& totius Eccleſiæ diſciplinã & ordinem a Deo pręſtitutum, cõ-
fundunt,qui ſolum pro peccato mortali in diuinam legẽ directe cõmiſ-
ſo,excõmunicationis pœnam volunt infligi. Quo fit multa inſtituta ma-
iorum obligare poſſe conſcientiã ad mortale peccatum , alias excõmuni-
Soluitur ratio ſeſſ ſcius. catio ferri non poſſit diuino iure.Nec vllo modo concludit ratio, quæ in
contrariũ affertur,ſcilicet,quia Eccleſia non poteſt infligere pœnam ęter-
nam,ideo eam obligare non poſſe ad culpam quæ illam pœnã promere-
atur:quia ſatis eſt , quod Eccleſia poſſit excludere inobedientem a regno
Dei,excludens illum a gremio ſuo,extra quod nemo ſaluatur, quod po-
teſt per claues regni cœlorum a Deo ſibi collatas. Et ſic quodãmodo vi-
detur habere poteſtatem infligendi pœnam æternã,cum extra Eccleſiam
infernus ſit.Habet enim Eccleſia , vt dicit Auguſtin. homilia xi.in Apo-
Auguſt. calypſin,Sicut claues vitæ,ita & inferorum.Sequitur ex verbis illis Chri-
ſti ad excõmunicationem ſaltem quę fit ab homine,pręcedere debere tri-
nam monitionẽ,alias contumacia patere non poſſit. Excõmunicationes
enim quæ taliter infliguntur, vt ipſo facto incurrat excõmunicationem ,
qui hoc vel illud egerit, non lego eſſe apoſtolicas aut in antiqua Eccleſia
vſitatas:etſi ſint, in ſenſu magis cõminatorio ꝙ diffinitorio accipi debẽt.
An ſolis epiſcop. poſſit excõmunicare. An vero a ſolis epiſcopis & vicariis eius infligi poſſit vel debeat excõmu-
nicatio,ab aliquibus dubitatur: & certe ſi de decentia loquamur, valde
decens eſſet iudicio meo,et epiſcopali autoritati conuenientiſſimũ,ſi quã-
do excõmunicationis gladium in aliquẽ rebellem vibrare vellent epiſco-
pi,aut iudices eorum,vt magno cõſilio,ſaltem probatorum virorũ ſuę Ec-
cleſiæ & conſenſu pręmiſſo,id fieret. Tunc enim grauiori fieret iudicio,
prout res ipſa videtur expoſcere:eſt enim ardua res & magnopere ponde-
randa,excludere hominẽ ab Eccleſia & a regno Dei,nec non adigere eũ
ad poteſtates inferorũ.Nec tantũ vilipenderetur eccleſiaſtica poteſtas,vt
hodie vilipenditur propter quoſdã leues et pedarios iudices,maxime Ro-
manæ curiæ delegatos,qui more furioſorum hominũ gladium iſtũ ſpiri-
tualem in perniciem innocentiũ,& pro leuibus cauſis,ne dicam iniuſtis,
multoties in magnum Eccleſię & animarũ ſcandalum vibrant. Hic mo-
dus tam iis quæ Paulus egit,ꝙ dicto Chriſti ſatis cõformis videtur. Ex-
1.Cor.5 cõmunicaturus namq; Apoſtolus Corinthium illũ,hunc modũ videtur
pręſcribere:Ego(inquit)abſens corpore,pręſens autẽ ſpiritu,iam iudicaui
vt pręſens,eum qui ſic operatus eſt,in nomine Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti congregatis vobis & meo ſpiritu,cũ virtute Domini noſtri Ieſu Chri-
Matt.18 ſti,tradere huiuſmodi hominem Sathanæ.Chriſtus quoq; in excõmuni-
cationis proceſſu videtur velle, vt criminoſus moneatur vltimo ab Ec-
cleſia

cleſia: quam ſi non audierit (inquit) ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et inſinuãs quid per Eccleſiam intellexerit, apoſtolos alloquitur: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis &c. Hunc locum docte ſatis & acute ponderabat magiſter noſter Andreas de Vega, perdoctus ſane & pius Theologus, et in rebus eccleſiaſticis apprime verſatus, cum vna Tridenti ſuper hac difficultate amice colloqueremur. Nomine enim Eccleſiæ non videbatur ipſi intelligi poſſe vna perſona, quamuis ſit publica. Porro ſic vſum fuiſſe Paulum hoc gladio, negari nõ poteſt, quamuis dubitari poſſit an in omnibus excõmunicationibus, quas ipſe tulit, hunc eundẽ modum ſeruauerit. Videor ergo mihi, ſi de neceſſitate loquamur poſſe ſolos, epiſcopos ſine aliqua congregatione huiuſmodi ſententias ferre in rebelles, id quod ex Traditione apoſtolica deducitur, & ex factis Pauli etiã conſtare poteſt. Nam cum excommunicauit Hymeneum & Alexandrum, & iubet deuitari hominem hereticum poſt vnam & ſecundã admonitionem. Item cum mandat Theſſalonicenſibus, ne comiſceantur cum eo qui non obedierit verbo ſuo, nullam harum ſolemnitatum videmus præceſſiſſe, nec opus eſt vt pręcedant. Nam cum illatio excõmunicationis ſit actio poteſtatis et iuriſdictionis, neceſſe eſſet vt omnes illi qui aſſiſterent, vel eſſent epiſcopi, vel delegati ab ipſo epiſcopo: probauimus enim hanc poteſtatem epiſcoporum propriam eſſe. Et tunc tantundẽ eſſet ac ſi eſſet ſolus epiſcopus. Vbi enim ſunt multa ab vno, et propter vnum, ibi eſt duntaxat vnum. Item Petrus apoſtolus, Clemens, Anacletus, Euariſtus, Alexander, et totus ille chorus ſanctorum martyrum, põtificum, vſque ad Syluestrum, anathematis pœnam imponunt in ſuis epiſtolis, nulla collecta fidelium congregatione. Paulus ergo (vt ad obiecta reſpondeamus) non congregauit cœtum illum hominum Corinthiorum ad infligendam excõmunicationem, quaſi volens facere eos ſecum iudices: imo ipſe dicit quod iudicauerit prius apud ſe, tradere fornicariũ rebellem Sathanæ: ſed iubet eos congregari ad decentiam & ſolennitatẽ ſententiæ inferendæ: aut forte loco ſuo eos ad illationem excõmunicationis ſubrogauit. Quare ex apoſtolica Traditione deriuatũ videtur, quod ſolus epiſcopus aut vicarius eius excõmunicare poſſit. Quod vero attinet ad Chriſti dictum, neceſſarium etiam videtur ibi per Eccleſiam intelligere Eccleſię præſidentes, vt beatus Chryſoſtomus in hoc loco exponit. Nõ enim ad collectionẽ apoſtolorum ſolum verba illa Chriſti de poteſtate excõmunicandi dirigũtur, ſed ad ſingula etiam capita apoſtolorũ & ſucceſſorum eorundem. Alias ſi ad ſolam collectionem pertineret, nullus apoſtolus per ſe potuiſſet exercere hanc poteſtatẽ, ſed omnes debuiſſent congregari quoties aliquẽ voluiſſent excõmunicare: ſimiliter & nunc generalis ſynodus epiſcoporũ eſſet ſemper congreganda ad inferendam excõmunicationem: quod manifeſte ſcripturæ repugnat, et apoſtolicæ Tradi-

1.Tim.1

Epiſcopus ſine collecta. poteſt excõmunicare. Chryſo.

tioni,necnon eccleſiaſticæ interruptæ a tempore apoſtolorũ cõſuetudini: turpiterq; erraſſent,& contra Dei pręſcriptũ egiſſent, Petrus, Paulus, & omnes alij ſancti Pontifices,ſucceſſores eorũ,qui per ſe ipſos excõmunicationem cõminabantur & inferebant, nulla conuocata congregatione.

Cypria. B.quoq; Cyprianus lib.iij.epiſtola ix. Rogatiano epiſcopo ſoli tribuit quod poſſit excõmunicare aut deponere diaconum quendã, qui in eum iniurioſa verba dixerat,cum ipſe Rogatianus ſuper correctione eius conſuluiſſet Cyprianum et alios epiſcopos: Tu (inquit Cyprianus) honorifice circa nos et pro ſolita tua humilitate feciſti, vt malles de eo conqueri: cum pro epiſcopatus vigore et cathedræ autoritate haberes poteſtatem, qua poſſis de illo ſtatim vindicari. Et paucis interpoſitis: Quod ſi vltra te contumelijs exacerbauerit,fungaris circa eum poteſtate honoris tui,vt eum vel deponas vel abſtineas. Vbi nulla ſit mentio de hac ſolennitate. In epiſcopo vero quodãmodo eſſe Eccleſiam circa hæc repræſentatiue,

Cypria. præter id quod Chryſoſtomus affirmauit,idem Cyprianus apertis verbis docet,libro quarto,epiſtola nona ad Pupianum: Scire (inquit) te oportet epiſcopum in Eccleſia eſſe,et Eccleſiam in epiſcopo. Sufficit ergo quod in hoc iudicio excõmunicationis concurrat approbatio multorũ, quantũ ad cauſam propter quam excõmunicatio inferri debet. Non enim poteſt procedi ad excõmunicationem,niſi prius conſtet de delicti contumacia, per multos teſtes fide dignos probata. Nam pro peccato occulto, aut minime probato,excõmunicatio iuſte non infertur. Et hoc eſt quod redemptor noſter voluit illis verbis,vt ſcilicet concurreret approbatio multorum,cum Eccleſiæ præſidentis autoritate:id quod vſus apoſtolorum et totius Eccleſię optime declarauit, vt vidimus.

pro peccato occulto excomunicatio non infertur.

POTESTAS EPISCOPALIS AD LEges et inſtituta condenda ſe extendit.

EX his omnibus ſequitur obedientiam, quæ prælatis Eccleſiæ debetur,non tam anguſtis terminis concludi,vt aduerſarij falſo docent,videlicet vt extra caſum ſcandali,conſcientiæ ſubditorum ſint liberæ a præceptis epiſcoporũ, et quod nõ debetur eis obedientia ſecundũ conſcientiã,niſi in his quę ſunt iuris diuini. Quod ratione & ſcripturis,& totius Eccleſiæ vſu ſatis comprobatur.

Primo ſi pręlati ſunt pręſidẽtes,rectores,paſtores,politiæ eccleſiaſticę, vt iã probauimus,ſequitur poſſe eos pro ordine politiæ ſuæ inſtituẽdo & cõſeruando leges ſtatuere, quibus ordo eccleſiaſticus ſeruetˀ, & in diuino cultu cõmodius dirigatˀ. Quod ſi illi poſſunt ſtatuere,neceſſe ſubinde eſt, vt ſubditi obediãt:q̃d ſi neceſſe eſt vt obediant,obligantˀ fideles in cõſcientia(adhuc ſecluſo ſcãdalo)ad obediendũ maiorũ iuſſionibus &legibus: dummo-

dūmodo poſſibiles,honeſtæ,& ad bonum cōmune ſint ordinatæ. Alias vana eſſet hæc poteſtas & ſtulte conceſſa,inordinata,& valde defectuoſa eſſet Reſpublica Chriſtiana:ſi tales preſidentes haberet, qui nihil poſſent ſtatuere,nec cogere ſubditos ad leges quas ipſi ſtatuunt, ſeruandas. Quod ſi cogere poſſunt,cum ſecundum aduerſarios alia coactio Eccleſiæ non cōpetat,quam excluſio a cōmunione, ſequitur quod illos poteſt excōmunicare. Cum autem excōmunicatio non infligatur, niſi pro peccato contumaciæ,& non quidem contra diuinam legem cōmiſſo, ſed cōtra iuſtum præceptum ſuperioris,vt probauimus, ſequitur quod Eccleſia poteſt obligare ſuos ſubditos in conſcientia: quod aduerſarij negant. Si dicant hoc tantum verum eſſe in his quæ ſunt iuris diuini: probauimus in oppoſitum. Sed magnopere vellem vt hac in re explicarent nobis aduerſarij apertius ſuam intentionem:nam aut intelligunt,quod id quod mandatur a prælato,contineri debeat in iure diuino expreſſe,& tunc nō opus eſt mandato,neque prelati autoritate,ſed ſimplici admonitione & ſignificatione alicuius doctoris aut concionatoris. Si autem volunt quod ex ſcriptura poſſit in conſequentia neceſſario deduci, tunc etiam non eſſet opus vt in Eccleſia eſſent prælati & capita quæ præſiderent, ſed ſufficeret quod eſſent ſcribæ & docti Theologi,qui legem exponerent:quod manifeſto eſt Deum redarguere de imprudentia, qui prælatos Eccleſiæ preſidentes populorum eſſe voluit. Si autem ſufficit quomodocunq; ſtatuere id quod precipiunt in ſcriptura,tunc datur aperta occaſio inobedientiæ ſubditis,quia poſſint manifeſte refragari iuſtis preceptis maiorum,& Eccleſiæ ordinem perturbare. Nam ſtatim poſſet cauſari rebellis ſubditus, præceptum illud quod ſibi imponitur ex iure diuino non deduci, ac ſubinde facile poſſet a ſe obedientiæ iugum excutere. Et cuicunq; hoc examen commiſſum fuerit,an ſit præceptum diuino iuri conforme, nec ne, iam eſt conſtituere alios homines ſupra prælatos: quod inſtitutioni diuinæ plane repugnat.

Adde quod leges & iuſta inſtituta non opus eſt vt deducātur ex ſcriptura,nec ipſa eſt omnino regula inſtitutionum rectarū, ſed prudentia cum recta ratione naturali: quod manifeſte indicauit Paulus,cum de muliere velata diſpoſuit & inſtituit:cuius ſtatuti rationē nō ſtabiliuit in ſcriptura,ſed in naturę dictamine: nec ipſa (inquit) natura docet vos,vt mulier detecto capite oret. Lex enim(vt D. Iſidorus recte dicit) ratiōe debet conſtare,religioni congruere,diſciplinæ conuenire,& ſaluti proficere. Origo iuſtarum legū rationatu ralis. 1. Cor. 11 Iſidorus

Scripturæ etiam patētiſſimis teſtimonijs hæc falſa doctrina repugnat. Nam quod licuit primoribus antiquæ legis,vbi fere de omnibus agibilibus erant leges præſcriptæ, ſine aliquo expreſſo Dei verbo,quare non licebit legis euangelicæ pontificibus,vbi imperfecti etiam ſunt, qui legum iuſtitia regi debeant,huiuſmodi leges condere?

Deut. 27 Præcepit enim Moyſes Deuteronomij vigeſimo ſeptimo mandatum quod a Domino non acceperat, cum dixit: Quando tranſieritis Iordanem in terram quã Dominus Deus dabit tibi, eriges ingentes lapides, et calce leuigabis eos, vt poſſis in eis ſcribere oĩa verba legis huius. Rurſus præcepit in eodem loco quibuſdam vt ſtarent ad benedicendũ populum ſuper montem Gazirin Iordane traiecto: & id quidem ſine expreſſo verbo Dei.
Ioſue 1 Ioſue quoque ſine ſcriptura præcipit principibus populi, dicens: Tranſite per medium caſtrorum, & imperate populo, ac dicite; Præparate vobis cibaria, quia poſt diẽ tertiũ tranſibitis Iordanẽ. Cui obſequenti animo reſponderunt principes: Omnia quæ præcipiſti nobis faciemus. Et certe Ioſue nec habebat mandatum a Domino vt poſt tertium diẽ tranſirent Iordanem, neq; etiam vt præceptum illud imponeret principibus populi: cui ſi non obedirent, & ſcripturam ab eo ſuper iuſtitia mandati peterẽt, ridiculum facerent ducatum eius, & magni procul dubio peccati
Paralip. rei apud Deũ eſſent. Dauid quoq; ſanctus cap. xxvij. & xxiiij. Paralipomenon, leuitis præcipit vt miniſtrent, & cantent ante archã mane & ve-
21. & 16 Paralip. ſperi: quod præſcriptũ non erat in lege. Eiuſdem etiã regis pręcepto ſegregatur Aſaph cum filijs ſuis, qui prophetabant in pſalmis & cymbalis, & alij qui canerent cythara, omnes numero xxiiij. alternatim per hebdomadas ſeruientes. Laudatus quoq; ille Ezechias offerre ſacrificia varia can-
2. Paral. toribus, organis cantãtibus mandauit. Et Ioſias iurare iubet legem: quæ omnia in ſcripturis neq; diſtincte neq; confuſe cõtinebantur, qui laudati ſunt a Deo, eiſq; ſubditi ſalubriter obtẽperarunt. Item ſi licet excogitare cultus abſq; expreſſo verbo Dei, ergo licebit leges cõdere et eas executiõi mandare: conſequentia tenet per locum a maiori: Plus enim eſt cultus inſtituere q̃ hominibus leges pręſcribere. At ſancti reges iſti, cultus Dei laudabiliter excogitauerunt abſq; Dei verbo, & multi alij patriarchæ, vt in prima aſſertione abunde demonſtrauimus: ergo etiam pręcepta ſalubria & rationi cõſona, ſubditis imponi poſſunt. Nota etiam eſt rebellio Cho-
Num. 16 ritarũ Numeri xvi. qua rebellarunt illi ſuperbi, non pręcepto Dei expreſſo, ſed præcepto Moyſi, vt vidimus: in quos tam dure animaduertit Deus, vt eos viuos in momento terra dehiſceret.

Quid quod ſancti apoſtoli canones ædiderunt, & multos eorum ſub anathemate ſubditis cõmendarunt? Ipſius quoq; Pauli præcepta inſtituta iam vidimus: quod non permittat mulierem docere, quod vxor Chriſtiana a viro infideli non recedat, ſi maritus vult habitare cum illa, & cõtrario, item multa diſpoſuit circa ritum cõmunionis Euchariſtiæ. Item
1. Cor. 11 1. Tim. 3 quod epiſcopus aut presbyter, aut diaconus probentur antequam ordi-
1. Cor. 7 nentur: quæ omnia nullo iure diuino conſtabant, imo ipſe dicit cum de matrimonio diſparis cultus loqueretur, quod ipſemet inſtituebat: Sic (inquit) in omnibus Eccleſijs conſtituo et ordino. Verbum autem hoc autori-

autoritatem præceptiuam legiſlatoris & obedientiæ neceſſitatē inducit et præ ſe fert. Iam igitur capio vnum iſtorum præceptorū, quæ cōſtat a Paulo eſſe inſtituta: ſit illud verbi gratia, quod antequā ordinentur, probētur epiſcopi, diaconi & ſacerdotes. Quæro an licuiſſet Timotheo refragari præcepto tam ſancto ſui magiſtri, an non? ſi liber erat Timotheus in cōſcientia ab obligatione huius præcepti, ita vt citra ſcandalū poſſet licite non obedire, poterat ergo abſq; peccato non obtēperare. Quid igitur faceret Paulus in hoc caſu? quo ſe verteret? Vindicaret ne inobedientiam excōmunicatione, an relinqueret præceptum ſine executione? Si primū dixerint aduerſarij, iam ſequitur quod Timotheus obligatus erat ſecundū conſcientiam ad obediendū præcepto apoſtolico, quod in ſcriptura neque cōfuſe, neq; expreſſe continebaẗ, cū anathematis pœna, vt ſępius diximus, niſi pro peccato contumaciȩ adiuncto infligi debeat: relinquere autē præceptum ſaluberrimū ſine executione, valde ridiculū & dedecoroſum erat apoſtolico magiſterio. Quia aūt poterat pręcipere aut non: ſi poterat pręcipere, poterat cogere ad obedientiam: & ſic tenebatur Timotheus obedire ſecundum conſcientiam. ſi autem cogere non potuit, neq; etiam pręcipere. Manifeſtam ergo tyrannidem exercebat Apoſtolus hæc imperās, aut ſtulte præcipiebat. Vbi ergo eſt illa poteſtas de qua tantum gloriatur Apoſtolus, cum Corinthijs loquens: Hæc abſens ſcribo vobis, vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem? Et vbi eſt virga illa, qua idē Apoſtolus cōminatur Corinthus? 1. Cor. iiij. Iſta negari non poſſunt, apertiſſima ſunt: quamuis indocte ſatis & maligne in hac re lubricentur aduerſarij. Rurſus apoſtolorum princeps, & Clemēs loco eius, multa inſtituerunt & ordinarunt, ſine ſcripto verbo Dei, quæ nunc tenet Eccleſia, & nos etiam particulatim recenſuimus, quibus D. Petrus, vt refert Clemens, in prima epiſtola ſua hāc coronidem apponit cum ipſo Clemente loquens: Hęc (inquit) pręcepta nemo credat abſq; ſuo periculo negligere, imo diſſimulare, qa iudicio Dei ignis æterni tormenta ſuſtinebit, qui eccleſiaſtica decreta neglexerit: qui vero te audierit, gloriam accipiet: qui vero non audierit, imo loquentem Dominum per te, ipſe ſibi damnationem accipiet. 1. Cor. 4 Clemens ex Petr.

Præterea iubet Paulus Epheſ. vi. Filij obedite parentibus veſtris in Domino. Et Coloſſ. iij. ne putaret aliquis quod ſolum in his quæ diuini iuris ſunt debeant audiri parentes, ipſe exponit ſe ipſum in hunc modū: Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim eſt placitū Domino. Et Eccleſiaſtici iij. Infamis eſt qui relinquit patrem, et maledictus a Deo qui exaſperat matrem. Si igitur prælati Eccleſiæ, parentes ſpirituales fidelium ſunt, audiri debent in omnibus quæ iuri diuino & rationi non contradicunt, maxime ſi ad profectū ſubditorum, & honorem Dei eorum mandatum pertinet. Eſt locus etiā huic propoſito Deute. xxi. valde accōmodus, & Epheſ. 6 Deut. 21

 dignus

dignus plane qui non prętermittatur: Si genuerit (inquit Deus) homo filium contumacē,qui audierit patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempſerit ,apprehendent eum, ducentq́ ad ſeniores ciuitatis ipſius,& ad portam iudicij,dicentq́ ad eos: Filius noſter iſte proteruus eſt & contumax,monita noſtra audire cōtemnit, comeſſationibus vacat, & luxuriæ atq́ conuiuijs:Lapidibus eū obruet populus ciuitatis, & morietur,vt auferatis malū de medio veſtri,& vniuerſus Iſrael pertimeſcat. Hic ſi aduertis non ſolum propter peccata,quę contra legem Dei cōmittit ſuperbus filius,ſed quia monitus a parentibus, obedire contemnebat: & propter ſpeciale inobedientię peccatum,morte mulctatur. Cum igitur hoc ſit prælatus in Eccleſia,quod pater in familia,ſicut inobedientia erga parentes inducit nouum peccatū,propter quod Deus tam ſeuere in contumacem filium animaduertit, conuincitur ex conſequenti illos reos eſſe iræ Dei,qui prælatis locum Dei tenentibus repugnant et contradicunt. Forte dicetur,quod ideo pœna mortis mulctatur filius ille rebellis, quia admonitio illa parētum erat circa obſeruantiam pręceptorum diuinorū. Verū eſt,inculcatur illic obedientia erga diuina pręcepta:ſed non erat illa cauſa ſufficiens mortis infligendæ, ſed inobedientia erga parentes, quæ contra dictamen rectæ rationis eſt, & vt abominabile facinus punitur a
Deut. 17 Deo. Nam Deute. xxvij. iubetur ſimili pœna mulctari is qui in dubijs a ſummo ſacerdote determinatis,mandato illius non obtemperauerit. Apponens enim ſimilia verba Deus, quæ hic videtur appoſuiſſe,ait:Qui ſuperbierit,nolens obedire ſacerdotis imperio,qui eo tēpore miniſtrat Domino Deo tuo,ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malū de Iſrael,cunctuſq́ populus audiens timebit,vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. Eſto igitur quod aliquis fidelis (quod ſæpe contingit) dubitet rationabiliter de præcepto aliquo diuino,an illū obliget,nec ne,tūc ſi pręlatus declarauerit ipſum eſſe obnoxium præcepto, iubeatq́ vt ſine mora impleat:quis dubitat ſubditum illum accedente iam nouo prælati pręcepto,teneri ad aliquid agendum,quod alias non tenebatur? præceptū ergo paſtoris nouam addit obligationē in ſubdito. Alias quomodo paſtor, pater, & pręſidens animarū eſt,ſi conſcientiam non poteſt obligare? Adde quod ſi hęc doctrina vera eſſet, nulla poſſet fieri determinatio aut reformatio pręceptorum diuinorum in Eccleſia. Nam cū Deus pręcipiat ieiunare, cōfiteri peccata, externū Dei cultum per vacationē ab occupationibus tēporalibus, item orare: quæ omnia non in quocunq́ tēpore a fidelibus debent exerceri, ſi pręlatis obedientia nō deberetur determinātibus tēpus aliquod determinatū, & modū etiam pręſcribentibus, quo iſta fieri debent, quomodo carnale vulgus hominū diuina hęc præcepta adimpleret,quod valde tardum ad bonū faciendum eſt, & nihil plane horum intelligit. Iam igitur præſcripto tēpore ab Eccleſia, de cultu Dei, de oratione & ieiunio

& ieiunio faciendis, aut ſubditus tenebitur in conſcientia ad faciendũ eã vel non. ſi tenetur, iam præceptum illud de determinatione tẽporis, quod mere humanũ eſt, ligat illius conſcientiã: ſi nõ tenetur, quilibet ſubditus facere poſſit quod ſibi libuerit in diuinis præceptis, indies procraſtinãdo præceptorum diuinorum obedientiã. Nullum ergo erit regimen Eccleſię, nullus ordo, nulla politia. Et tamen Paulus iubet & ratio ipſa dictat, vt omnia ſecundũ ordinem fiant. Ordo autem iſte in euangelijs non exprimitur, ſed relictus eſt diſpoſitioni maiorum. Continentur aũt in euangelio præcipua, quæ ad fidẽ & ſacramẽta, & Chriſtianã perfectionẽ pertinẽt, vt ſciamus quo tendere debeamus, & quibus medijs. Cæterum quæ ad ordinem politiæ eccleſiaſticæ videntur attinere, neq; iota vnum Chriſtus præſcripſit, ſed reliquit hanc curam apoſtolis & ſucceſſoribus eorũ: id q̃d res ipſa plane demõſtrauit. Nam ſtatim poſt ipſum in cœlis ſublatũ, cœperunt apoſtoli per ſpiritum ſanctũ inſtituta facere, ordinem præſcribere, & vineam iſtã excolere. Iam ergo perturbet aliquis nebulo ordinẽ iſtum ab apoſtolis & ſucceſſoribus eorum præſcriptũ, poterit ne cogi ab Eccleſiæ præſidentibus huiuſmodi rebellis, nec ne? ſi cogi non poteſt, qualis eſt hæc Reſpublica Chriſtiana, in qua nulla eſt poteſtas coactiua aut ordinatiua? ſi aũt cogi poteſt ordinis perturbator, cũ non ſit alius modus cogẽdi ſecundũ aduerſarios q̃ per excõmunicationem, excõmunicari poteſt homo ille: quod ſi iuſte excõmunicatur, grauiter peccauit procax ille homo, & non niſi quia contra prohibitionem humanam egit, qua reus eſt in cõſcientia propter humanũ præceptũ. Si dicas nõ excõmunicari propter p̃ceptum, ſed propter ſcandalũ, hoc nihil eſt: q̃a ſcandalum iſtud, ſcandalũ nõ eſſet, niſi acceſſiſſet præceptũ humanũ p̃figens huiuſmodi ordinem. Cõſequitur ergo quod propter violationem pręcepti patrũ, merito per excõmunicationẽ talis cogatur, quamuis autẽ Apoſtolus & ratio naturalis iubeat omnia ſecundũ ordinẽ fieri, pręſcriptio tamẽ illius ordinis ſeruãdi, quantum ad tempus, locũ & p̃ſonas, & alias circũſtantias a volũtate maiorum prorſus dependet. Quod ſi propterea illud vis appellare pręceptum quaſi diuinũ, quia quodãmodo innitiẽ diuino & naturali iuri, non inficiamur, iam de nomine eſt q̃ſtio non de re. Nulla lex iuſta eſt in Eccleſia aut mandatũ pręlati, quod nõ innitatur hoc modo iuri naturę aut diuino. Leges eñ iuſtæ, cõcluſiones quædã practicæ ſunt, quæ inferuntur, ex maiori iuris naturæ aut diuini, & minore ſumpta per experientiam, aut ex morali & probabili rerũ coniectura, prout prudẽs legiſlator determinat: quare nobiſcũ cõſentit q hoc modo obedientiã prælatorꝫ p̃ceptis debitã interp̃tatur. Nã neq; nos tã latã obedientiã ponimus, vt dicamus prælatis licere p̃cipere ſubditis quicq̃d in mentẽ aut in buccã venerit, ſed ratiõe & maturo cõſilio præuijs, quæ quodãmodo innitãtur diuino iuri aut naturali, honorem Dei & ſalutẽ ſubditorum intendentes, non lucri aut quæſtus, aut

humanæ libidinis gratia. Vt eſto exempli gratia: Agnouit Petrus apoſtolus adoleſcentes Chriſtianos, cum iam ad iuuentutis annos accedebãt periculo fornicationis eſſe expoſitos, agnouit præterea ex diuino iure peccata omnia eſſe vitãda, decernit lege ſaluberrima, vt tales opportune ducant vxores, antequã in luxurijs diſtrahantur: quam prouinciam cõmendat & mandat presbyteris Eccleſiæ. Dicit enim in prima epiſtola Clementis: Presbyteri ante omnia pudicitiæ ſtudeant, adoleſcentes nuptijs iungant, quo calorem feruentis ætatis coniugali lege præueniant. In hoc ſtatuto non omnia petuntur ex ſcriptura aut lege naturali, ſed partim a diuina lege, partim ab experientia. Et quod presbyteris pręcipiatur magisq̃ alijs, ſola voluntate Petri, habita ratione, ad quandam generalem decentiam inſtitutum eſt.

Lex Petri pro matrimonio adoleſcentũ.

Sed nunquid liceret presbyteris iſtis refragari præcepto Petri, quia diuinum ius non habuit, quo magis illis quam alijs hoc opus imponeret? Seditioſi certe eſſent atq; ſuperbi, nec inulti remanerent Petro aut Deo, inobedientiam vlciſcentibus. Miror certe quid excogitauerit homicida ille diabolus, quo facilius in barathrum apoſtaſiæ homines ſecum detruderet. Cõtemplatus enim hominum ingenium ad rebellionem et ſuperbiã natum, ſuaſit eis prætextu quodam pietatis & euangelicę libertatis, vt in quolibet pręcepto maiorum, ius diuinum aut euangelium ab eis efflagitent, alias non obauditurís. Quis audiuit vnquam ſimilem barbariẽ & genus apoſtaſiæ, vt is qui obedire debeat, ignorans plerunq; ceruicoſus, & ipſe ſibi terminos obedientiæ pręſtituat, & iudex eſſe debeat, tum pręlati præcipientis, tum iuſtitiæ præcepti ſibi impoſiti. Cauponaria procul dubio eſt hæc doctrina, & non hominum ſenſatorum.

Rurſus cum prælatorum officium ſit non ſolum diuinas leges interpretari & determinare, & facere pro ſua virili, ne Deus offendatur a ſubditis ſuis, nec non eos qui ſunt mandato Dei rebelles, cogere: ſed & ſubditos in viam ſalutis dirigere, in diſciplina & ordine continere, (hæc enim officia ſunt paſtoris pręcipua) quomodo hæc poſſent facere, ſi ſubditi in his quę ipſi viderint opportuna & conducibilia ſuæ ſaluti, non tenentur obedire? Sit caſus igitur, vt omnes partes obedientiæ percurramus, qui plerunq; accidere ſolet, quod epiſcopus videat iram Dei ſæuire in populum ſuum, iam cum ille nouerit ex ſcriptura diuina flagella non aliter poſſe ceſſare, niſi per emendationem vitæ ſui populi, per pœnitentiam, ieiunium & orationẽ, & alia pietatis exercitamenta: nunquid iubere nõ poterit, vt certis diebus illius temporis omnes ſubditi ſui vnanimiter orẽt, ieiunent, & alia opera pietatis faciant? Certe non video quomodo duces & paſtores animarum dici poſſint, ſi hæc indicere non valent. Quæ & factitaſſe legimus multos ſanctos prælatos: maxime Mamertum, Gregorium, & ſynodum Gerundenſem, quorum letaniæ, & ieiuniorum, & pre-

cationum

cationū dies, pro ira Dei placāda præſcripta vſq; in hodiernum diē durant & ſeruantur ab Eccleſia. Alias ſi non poſſent iſta cū neceſſitatis obligatione hoc caſu emergente pſcribere prælati, longe minoris autoritatis eſſent, quam maiores populi Niniuitarum, qui pœnitentiam & ieiunium indixerunt, non ſolum maioribus, ſed & paruulis, & iumētis. Si ergo indicere poſſunt iſta, quæ manifeſte, quantum ad temporis deſcriptionē et modum quo fieri debēt, in ſcriptura non cōtinentur, eos etiam qui huiuſmodi mandatis obſiſterent, autoritate paſtorali et paterna quā habent, coercere etiam poſſunt vt obediant, quare in cōſcientia obligabunt ſubditi per huiuſmodi pceptum, alias non differrent Eccleſiæ rectores a priuatis cōcionatoribus, qui poſſunt hæc cōſulere et non cogere, ſuadere et nō iubere. Ergo latiores ſunt termini obedientiæ, q̄ aduerſarij putant: Id quod ſanctorū patrū conſenſu magis ac magis roborabitur et declarabitur.

D. Petrus in ordinatione Clementis cōmendans ſui ſucceſſoris obedientiā Romanæ eccleſiæ, ſic docet: Hi vero (ſubditi .ſ.) cum tanta reuerētia tua verba ſuſcipiant, tanq; qui ſciunt legatum te et pconem eſſe veritatis, et quodcunq; ligaueris ſuper terram, eſſe ligatū et in cœlo, et quodcunq; ſolueris, eſſe ſoluendum. hæc Petrus. Efficaciter ſatis probat princeps apoſtolorum obedientiā prælatis debitam: nam cum Chriſtus claues has poteſtatis et ſcientiæ illis tribuerit, manifeſto promittit ſe confirmaturum quicquid ab illis fuerit decretum et determinatū modo contra legem ſuā non ſit: hæc autē decreta et iuſſa, quæ clauiū poteſtate refirmari poſſunt, nō debent eſſe de his quæ in ſcriptura a Domino iubentur, aut in ea continētur: Nam illa rata ſunt et firmiſſima, et nullo etiā robore aut humano ſtabilimento indigent, vtpote quæ a Deo iam præſcripta et cōmendata ſunt: Extra ordinē ergo illorū debet eſſe, quod prælati per poteſtatem ſuā ſtatuere poſſunt, quod Deus hic ſe confirmaturū promittit: Qui vt non deſit promiſſiōibus ſuis, quæcunq; ſancta, quæcunq; pudica, quæcunq; ad cultum Dei, et animarū ſalutem ab eis inſtituta fuerint, tanq; oracula diuinitus cōfirmata, neceſſario a fidelibus recipienda ſunt. Diabolica enim ſuperbia eſt, vt quę Deus benedictus cōfirmat, homuncio aliquis aut ceruicoſus hęreticus propulſare velit aut cōuellere. Pergit tamen Petrus hāc poteſtatē coactiuā prælatorū declarare, cū Clemente loquens: Si te (inqt) multi e fratribus, propter rigorem iuſtitiæ odio habuerint, ex hoc quidem non lęderis, ſed ex huiuſmodi odijs amor tibi conciliabitur DEI, ideo ſatage magis et refuge ne lauderis ab iniquis, et ne a peſſime agentibus diligaris, ſed potius propter iuſtitię diſpenſationem et æquiſſimam regulę diſciplinam, a Chriſto collaudari merearis. Hic manifeſto aliud tribuit prelatis apoſtolorum princeps, quam noui iſti ſeditioſi Choritæ: non enim tribuit ſolum diſpenſationem verbi DEI, ſed rigorem iuſtitiæ, et æquiſſimam regulam diſciplinę, propter quam recti iudices inſenſi Clemens

ſolent

ſolent eſſe facinoroſis. Poſt vero conuertens ſe Petrus ad ſubditos, adiecit: Sed & vos chariſſimi fratres huic qui præſidet vobis ad veritatē docendam in omnibus obedite, ſcientes quod ſi quis hunc contriſtauerit, Chriſtum qui ei docendi cathedrā credidit, non recipit, & ideo nec ipſe ſuſcipietur in regno cœlorum: propter quod ſatagite ad omnem collectā congregationem, ſemper conuenire: conuenientes vero ſemper ad Clementem, date omnes operam pro ipſo ſentire, & ſi inimicus fuerit alicui malorum pro actibus ſuis, vos nolite ſpectare vt ipſe vobis dicat: Cum illo nolite amici eſſe. Vides quam late pateat campus obedientiæ prælatorum, in omnibus obedire iubet Petrus epiſcopis, et pro illis ſentiendū eſſe, & cum illis cōmunionem debere ſeruari, alias non recipietur in regno cœlorum, qui voluerit refragari et vnitatem diſſoluere. Infra vero loquens cum presbyteris, indifferenter cōmendat eis obedientiā prælati ſui: Nullus presbyter (inquit) in alicuius epiſcopi parochia aliqd agere debet abſq; eius permiſſu. Item presbyteri proprijs epiſcopis in omnibus abſq; mora obediant: quod dicit, non ſuum, ſed Dei inſtitutum eſſe. Et inter alia quę de eodem Petro refert Clemens, ibidem dicit, quod omnes legum diuinarum violatores, & ſacrarum inſtitutionum volūtarios perturbatores, eccleſiaſtica indignos regula, et ſancta communione iudicabat Petrus. Obligant ergo conſcientiam mādata prælatorum, nec ſunt minoris, imo maioris præeminentiæ in hoc quam ciuiles magiſtratus, quanto poteſtas eius ſanctior eſt, & ad finem excellentiorem ordinata, puta ad dirigendū animas in viam ſalutis.

Clemens In epiſtola autem tertia idem Clemens ex ipſius Petri doctrina in lib. Recognitionum, obedientiam in indifferentibus, vt epiſcopis ſuis prę ſtēt omnes, obnixe mandat, & rationem etiam mandati aperit. Cunctis fidelibus, et ſummopere omnibus presbyteris & diaconis, ac reliquis clericis attendendum eſt, vt nihil abſq; proprij epiſcopi licentia agant: non inquā Miſſas ſine eius iuſſu quiſquam presbyterorum in ſua parochia agat, nō baptizet, nec quicquam abſq; eius permiſſu faciat. Similiter & reliqui populi maiores et minores, per eius licentiam quicquid agendum eſt, agant: nec ſine eius permiſſu a ſua parochia abſcedant, animæ enim eorum ei creditæ ſunt, ideo omnia eius conſilio agere debent, et eo inconſulto nihil. Quicunq; enim obediunt epiſcopis ſuis, videntur quidem aliquid gratię conferre Deo: qui autem eis non obediunt, indubitanter rei et reprobi exiſtunt.

Ignatius D. Ignatius in paruis illis epiſtolis ſuis, tertio quoq; verbo epiſcoporum obedientiam inculcat, nō ſecus atq; diuinam, in epiſtola ad Trallianos: Epiſcopo (inqt) ſubditi eſtote ſicut Domino. ipſe enim inuigilat pro animabus veſtris, tanquam rationem redditurus Deo. Et infra: Neceſſarium vobis eſt, nihil pręter epiſcopum facere, (attende lector ad vocem neceſſi-

Epiſt. ad Trall.

neceſſitatis)neq; aliquid agere,ſed et presbyteri ſubditi eſtote,vt apoſtoli Ieſu Chriſto.In fine vero epiſtolæ poſtquam cōmendauit obedientiam quæ eccleſiaſticis patribus debetur,adiungit: Qui iſtis inobediens fuerit, hic ſine Deo omnino erit, impius et contemnens Chriſti ordinationem. Hic ad conſcientiam dicit pertinere obedientiam prælatorum. Confirmante hoc ipſum prima epiſtola ad Magneſianos: Dignum (inquit) eſt obedire epiſcopo veſtro,et in nullo ei contradicere: non enim iſtum viſibilem quis ſpernit,ſed illum inuiſibilem in eo contemnit, qui non poteſt a quoquam contemni:hic enim non ab homine,ſed a Deo habet promotionem. Dicit enim Samueli de contemptoribus eius,Non enim te ſpreuerunt,ſed me,nam & Moyſes populo aduerſus ſe murmuranti, ait: Non enim aduerſus nos murmuraſtis,ſed aduerſus Dominum Deum, nemo enim inultus remanſit, qui ſe contra potiores extulit. Et affert exemplū de Dathan & Abyron,Abſalon,Achab,et Saul, qui præſumpſit ſacrificare,non expectans principem ſacerdotū Samuelem. Et concludit:Oportet ergo & nos reuereri potiores. Non potuit ſanctius deſcribi materia, circa quam verſari debet obedientia, aut modus quo præſtanda eſt,dilucidius declarari,quam hic ſanctus martyr apoſtolorū ſucceſſor expoſuit. Obedire enim prælatis ſicut Chriſto iuſſit,non in vno vel duobus,ad arbitrium ſubditorum,ſed in omnibus ſine differentia: interdicens fidelibus ne aliquid attentent in ſpiritualibus, præter ipſius epiſcopi voluntatem, tantum abeſt vt per iſtum martyrem ſanctiſſimum liceat ſubditis, iuſtis mandatis ſuperiorū refragari. Quid quod autoritates & locos ſcripturę, quibus obedientia maiorum cōmendatur,dexterrime nobis expoſuit, & ſub interminatione iræ Dei maiorū obedientiam cōmendauit, ac ſubinde conſcientiam ſubditorum pręceptis maiorū poſſe obligari? Idem confirmante beato Polycarpo martyre, in epiſtola ad Philippenſes. Epiſco. ad Magne. Polycar.

Tertullianus excommunicandi & præſcribendarum inſtitutionū poteſtatem epiſcopis tribuit. Alterum in apologetico cōtra gentes, alterum contra Pſychicos. Primus locus ſic habet,narrans mores Chriſtianæ congregationis. Coimus (inquit) in cœtum,et congregationem: vt ad Deum,quaſi manu facta ambiamus orantes, hæc vis Deo grata eſt. Oramus pro Imperatoribus, miniſtris,pro ſtatu ſeculi,pro quiete et pro mora finis, cogimur ad literarum diuinarum cōmemorationem,ſi quid præſentium temporum qualitas, aut pręmonere cogit, aut recognoſcere, fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum inculcationibus frequentibus denſamus. Ibidem exhortationes, caſtigationes, & cenſuras diuinas. Et oſtendens quæ ſit iſta cenſura diuina, ad poteſtatem epiſcopalem eam reducit, ſubiungens: Nam et iudicatur magno cum pondere,vt apud certos de Dei cōſpectu, ſuumq; præiudicium futuri iudicij eſt, ſi quis ita dereliquerit vt a Tertull.

cōmu-

cõmunicatione orationis & conuentus, & omnis ſancti cõmercij relege-tur. Præſident probati quiq; ſeniores, honorem iſtum nõ prçcio, ſed teſtimonio adepti. Neq; enim prçcio vlla res Dei conſtat. Hæc Tertullianus: qui ſatis clare expoſuit penes epiſcopos diſciplinam eccleſiaſticam & coactiuam poteſtatem eſſe, non ſolum propter peccata, ſed propter ordinis Eccleſiæ obſeruantiam: nam coactio illa, qua cogebantur fideles ad conuentus, & alia eccleſiaſtica exercitia, ad ſolos epiſcopos pertinebat, quia nullos alios illa tempeſtate cognoſcebant maiores, nec illa ad quæ cogebantur fideles, vllo modo in diuino iure continebantur.

Alius locus de præſcriptione ieiuniorum, ſatis eſt etiam illuſtris: Epiſcopi (inquit) vniuerſæ plebi mandare ieiunia adſolent, non de induſtria, ſed ex aliqua ſollicitudinis eccleſiaſticæ cauſa. Vides ad ſollicitudinem eccleſiaſticam pertinere indicere ieiunia pro animarum ſalute.

Cypria. Diuus quoq; Cyprianus centies inculcat epiſcopalem hanc poteſtatẽ, quam vocat diuinam, cui ſicut Deo obedire oportet. Illuſtriores aliquot locos recenſebo.

Epiſtola tertia ad Cornelium locos illos veteris Teſtamenti de obedientia ſacerdotis in Deuteronomio, de rebellione Iudæorũ contra Samuelem. Item legem illam leproſorum, qua cogebantur oſtendere ſe ſacerdotibus, ſi in cœtum ſynagogæ volebant recipi. Rurſus factum illud Pauli Actuũ vigeſimo tertio, quando Pontificem illum laceſſiuit, & cum accuſaretur quod ſic inſimulaſſet ſacerdotem, quomodo ſe excuſauerit ignorantia, quaſi honorem deferens vmbratico adhuc & inani ſacerdotio. Denique illud: Qui vos audit, me audit, Lucæ decimo. Omnia hæc ad obedientiam epiſcoporum docte & eleganter applicat Cyprianus, ex his optime colligens hanc (quæ ſequitur) doctrinam: Cum hæc tanta ac talia & multa alia exempla prçcedant, quibus ſacerdotalis autoritas & poteſtas, diuina dignatione firmatur, quales putas eos, qui ſacerdotum hoſtes, & contra eccleſiam Catholicã rebelles, nec prçmonentis Domini cõminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum collegium quicq̃ moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragiũ, poſt epiſcoporum cõſenſum, iudicem ſe, non iam epiſcopi, ſed Dei faceret. Nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens, ſeorſum foris nouam hæreſim conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, vt putet ſine Dei iudicio fieri ſacerdotem. Et infra: Hoc eſt fidem non habere qua viuimus, hoc eſt Deo honorem non dare. Plane illi epiſcopi nõ de voluntate Dei fiunt, qui extra Eccleſiam

cleſiam ſiunt,ſed contra diſpoſitionem et Traditionem euangelij.de quibus dicit Eſaias:Væ vobis filij deſertores,habuiſtis conſilium, & nõ per me:feciſtis conuentionem,& non per ſpiritũ meum. Scopum ipſum quaſi acu tetigit ſanctus Cyprianus,cum dixit radices diſſidij,hæreſeon & diſſenſionum ſeminaria,in rebellione inobedientiæ aduerſus epiſcopos conſiſtere. Si enim regula obedientiæ epiſcoporum ſola ſcriptura eſſet,vt videntur prętendere aduerſarij,cum non omnia ibidem dogmata cõtineantur, neq; omnia quę agenda ſunt fidelibus ipſa pręſcribat,neq; etiam in omnibus adeo clara ſit,vt poſſit ab omnibus recte intelligi, quid ſupereſt niſi vt quilibet priuatus homo contumax & rebellis hæreticus,quoties a maioribus ſuper aliqua re vrgetur,importune petat locos ſcripturæ, quibus probari debeat tale mandatum: qui ſi nõ fuerint expoſiti pro ſuo arbitratu,ſtatim dicat ſe ad obedientiam non teneri,et poſt hęc turbas in Eccleſia moueat,populos ad ſeditiones incitet, & politiam eccleſiaſticã confundat? certe iſta manibus quotidie palpamus, pedibus terimus, & præ oculis omnium ſunt,quare niſi obedietia in rebus alijs ſeruetur, actũ erit de Chriſti Eccleſia, & populi Chriſtiani ordine & diſciplina.

Iuriſdictionem vero epiſcoporum paulo poſt inſinuat D. Cyprianus, cum refert quendã epiſcopũ partis Donati ab ipſo cũ alijs epiſcopis fuiſſe damnatũ,& ab epiſcopatu ſuo eiectum atq; priuatum. Rurſus epiſtola vndecima excõmunicat quoſdã,qui non conſentiebant electioni D.Cornelij: quod tamen mandatũ in ſcriptura omnino non cõtinebatur. Et lib. iiij.epiſt.ix,poſtq; probauit idem vnitatẽ ſacerdotij in Eccleſia,& vocauit epiſcopos,paſtores,gubernatores,Dei ſacerdotes & antiſtites,quibus Deus iuſſit obedire,concludit: Vnde ſcire debes epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiã in epiſcopo,& ſi qui cum epiſcopo non ſint,in Eccleſia nõ eſſe,et fruſtra ſibi blandiri eos,qui pacem cum ſacerdotibus non habentes,pacem obrepunt,& latenter apud quoſdam cõmunicare ſe credunt: cum Eccleſia quæ Catholica & vna eſt,ſciſſa nõ ſit neq; diuiſa. Quid eſt obſecro pacẽ cum epiſcopis nõ habere,niſi eis repugnare & non obedire? Igitur ſi quis pacẽ non habet cum eis,extra Eccleſiã eſt. Ergo,qui pręceptis eorum nõ obtemperat,ad caſtra diaboli pertinet: quare tenemur illis iuxta conſcientiam obedire. Lib.4

Magnus Athanaſius in cõmentarijs epiſtolæ ad Hebręos indifferẽter cõmendat obedientiam prælatorum,verſans illud Pauli:Obedite prępoſitis veſtris,& ſubiacete eis. Sicut oportet ſacerdotem aliorum animas curare,ita neceſſe eſt vt populus ſacerdoti ſe prębeat obſequentem: ergo tã neceſſaria erit ſubditis obedientia,quam neceſſaria eſt cura et vigilantia in paſtore. Cum igitur vigilantia eius, non tantum verſetur circa perpetrata peccata, quantum circa cautionem a peccatis et proximas occaſiones eorum, quid inde colligitur niſi quod tam late patet obedientiæ Athanaſ.

k ſubdi-

Baſilius ſubditorum campus, quam late ſe extendit cura & vigilantia paſtorum?

Diuus & magnus Baſilius ſermone tertio exercitamentorum, prudēter ſatis & docte exponit nobis cauſam, quare in Eccleſia & religionibus neceſſarij ſunt prælati. Ne ſcilicet communitate in varias voluntates diſtracta, vnuſquiſq; in ea viuat prout lubet, nulla habita ratione ad cōmune bonum & ordinē politiæ: affirmans quod vera et perfecta obedientia ſubditorū in hoc conſiſtit, vt non ſolum ab abſurdis abſtineant, ſed neq; ea quæ laudabilia ſunt citra ſuperioris ſententiam faciant. Nam contināentia (inquit) & omnis corporalis afflictio ad aliquid vtilis eſt: verum ſi quis proprios motus ſequens, quod ſibi ipſi placet, fecerit, et conſulenti præfecto non paruerit, magis peccatum erit, quam recte factum. Qui eñ reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: & obedientiæ merces maior eſt, quam recti facti ſecundum cōtinentiam. Iam hic habes tria: Primū, quod obedientia prælatorum non verſatur ſolū circa ea quæ diuinitus præſcripta ſunt. Secundo, quod præter prælati ſententiam, non licet aggredi quicquid velimus, etiāſi laudabile ſit. Tertium, quod obediētia eſt meritoria

Quæſt. 114. apud Deum. In quæſtionibus autem diffuſe diſputatis latitudinem eorū, quæ præcipi a prælato poſſunt, deſignat, valde conformiter doctrinæ Eccleſiæ: Præceptorum (inquit) differentia non exigua eſt, alia eñ cōtraria ſunt mandato Domini, aut corrūpentia ipſum aut inquinātia, alia coincidunt cum mandato, alia etſi palā nō coincidant, tamen cōferunt, & velut auxilium quoddā mandati exiſtunt. Quare ſi quid coincidēs aut cōferens mandato Domini, nobis præceptū fuerit, velut voluntatem Dei ſuſcipere oportet. Cum vero quid contrariū pcipitur mandato Domini, obedire oportet magis Deo quam hominibus. Sapientiſſime diſtinxit nobis triplicē differentiam pceptorum: Prima, quæ coincidit cū mandato Dei, ita vt ad obſeruantiam eius ordinet: qualis eſt determinatio iuris diuini affirmatiui, quæ a prælatis fieri ſolet. Secunda, quæ conducit ad obſeruantiam diuinorum præceptorꝝ, vt ad cultum Dei retinendū, augendum & conſeruandū: quas duas præceptorum differētias docet ſuſcipiendas a ſubditis. In quæſtionibus autem exercitatorijs, generalē ponit obedientiæ regulam, qua fere omnia quæ diximus, concluduntur: Quemadmodū (inquit) oues paſtori obediunt, eo pergentes quo duxerit ipſas paſtor, ſic cōuenit exercitatores pietatis obedire præfectis: nō curioſe inueſtigādo præcepta, vbi a peccato fuerint pura, ſed cum omni alacritatis ſtudio, explēdo

Terminus obedientiæ. ea quæ ſunt demandata. En vides terminū obedientiæ prælatorū eſſe, ne iubeant aliquid contra mandatū Dei: in omnibus alijs morē gerere præcipit obedientiæ maiorū hic beatus, omnibus ſubditis. Et aduerte quod loquitur hic de prælatis religionis, quibus adhuc non tantum debetur quantum epiſcopis, qui a Deo ipſo poteſtatem acceperunt.

Chryſo. Diuus quoq; Chryſoſtomus homilia vi. in Geneſin, cum monuiſſet ſubdi-

ſubditos ſuos,ne adirent ſpectacula tempore Quadrageſimæ, in quibus fiebant quædam equorum certamina, & vbi forte eſſe poterant occaſiones peccatorum, excommunicatione minatur ſubditos ſuos ne illuc ſe conferant:non ſolum eos qui peccatum poterant facile incurrere, nam nõ omnes verſabantur in æquali periculo,ſed generaliter: Sciant(inquit) ſi poſt hanc noſtram admonitionem in ea negligentia remanſerint, non tolleraturos nos,ſed legibus eccleſiaſticis vſuros, & magna auſteritate docturos,ne talia poſt hæc negligant, neve tanto contemptu diuina audiãt eloquia. Omnibus quidem loquimur,ſed ſuum auditores quiq; remedium capiant:reus quidem vt a delicto deſiſtat, & non vltra progrediatur, ſed ſtudio ſuo ipſum reuocet,errata corrigat:Innoxius vero, cautior fiat ne capiatur, & aliquando reus fiat. Et homil.xi.Prælatum medicum facit,medicus autem non tantum circa ægrotos,& male habentes apponit diligentiam vt ſanentur,ſed circa robuſtos, vt bene habeant & cõſeruentur.Nec diſſentit ab his ſanctus pater Hieronymus, imo in pleriſq; ſuæ doctrinæ locis obediẽtiam tanquam religionis fundamentũ magnopere cõmendat.Dicit enim cap.viij.ſuę regulę cum fœminis religioſis loquẽs: Obeditis Chriſto firmiſſime, cũ præpoſitis veſtris parere ſtudetis, vicarij enim honor redundat in Deũ, deſtructioni eſt corpus expoſitũ, cum diſcordat a capite.Et epiſtola xxxix. ad Ruſticũ: Præpoſitum (inquit) monaſterij timeas vt Dominum,diligas vt parentem, credas tibi ſalutare quicquid tibi præcepit, nec de maioris ſententia iudices, cuius officij eſt obedire & implere quæ iuſſa ſunt.Specialiter tamen de epiſcopis epiſtola vndecima ad Ruſticũ Narbonenſem pręclaram facit mentionẽ,vbi cum omnes fere gradus Eccleſiæ recenſeat,ad epiſcopũ veniẽs,ſic præfatur:Primus et perfectus in cunctis ex quo proceſſus gloriarũ,& plenitudo virtutum,Epiſcopus eſt,qui præeſt fabricæ Dei,& ordinat ſacerdotes,oſtendit quod quiſq; facere debet,ipſe clamat,ipſe recipit,ipſe rigat, ipſe claues regni cœlorum tenet,ipſe thronum Dei reſerat,ſupra ſe nihil habẽs:huic ab omnibus clericis & populo deferenda reuerẽtia eſt,quia non dicit figmẽtum ei qui ſic ſe fingit,vt quid me ſinxiſti ſic?hic per omia Deo ſimilis eſt, ſi ab his non recedat. Et cap.xvij. de epiſcopis continuans ſermonẽ: Epiſcopus(inquit)veſter cui Eccleſiæ cõmiſſum eſt regimen,quem Deus ſpeculatorem poſuit in vinea ſua,paſtorem ouiũ,dilectorem gregis,doctorẽ plebis,vos cuſtodia ſingulari foueat, ſanctæ doctrinæ vos pabulis nutriat:cui cõmiſſa eſt ciuitas vniuerſa,huic æquamines ſicut Deo omnes deuote obediant,hunc patrem,hunc zelatorẽ virtutũ,tam Præpoſita veneretur q; ſubditæ. Abunde ſatis ſanctus hic pater expreſſit nobis obedientiæ latitudinem:conſuluit enim nobis, ne rationem petamus eorum quæ pręcipiuntur. Ex cuius doctrina ſatis clare colligitur,in dubijs prælatos eſſe ſequendos. Pręſertim idẽ omnino docẽte B. Auguſtino epiſt. lxxxvi. ad Caſſu-

Homi.xi

Hieron.

Epiſt.39

Epiſt.11

In dubijs pręlatus ſequendus.

Auguſt.

ad Caſſulanum ſuper diuerſos mores Eccleſiarum cõſulentem. Si cõſilio (inquit) meo libenter acquieſcas, epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere, & quod facit ipſe, ſine vllo ſcrupulo vel diſceptatione ſectare. ac rurſus libro de verbis Domini ſerm. lxij. tantũ obedientiæ in grege dicit eſſe debere, quantum in prelatis vigilantiæ eſſe oportet: Pertineat (inquit) ad nos cura, ad vos obedictia: ad nos vigilãtia paſtoralis, ad vos humilitas gregis.

In paſtorali. Et alibi: Paſtor portat, regit, reficit & cuſtodit: portat expectatione, regit inſtructione, reficit conſolatione, cuſtodit religione, vt per diſciplinã non diſſoluatur: certe ſi reſpectu horum omniũ circa quæ oportet vt curã habeat prælatus, obedientia ſubditorum non eſſet neceſſaria, ſuperfluo hæc poteſtas & prouincia in Eccleſia eſſet conſtituta.

Bernard. Sed apertiſſimis verbis omnem hanc confirmat doctrinam D. Bernardus lib. de diſpenſatione & præcepto: Quicquid vice Dei (inquit) prelatus homo precipit, quod non ſit tamen certũ diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendũ eſt, ac ſi præcipiat ipſe Deus. Quid enim intereſt vtrũ per ſe vel per ſuos miniſtros homines, ſiue angelos, hominibus ſuũ notificet beneplacitum Deus? Poſt vero ſubiungit: Ipſum hominem prælatũ,

Terminº obed entiæ prelatorum. quem pro Deo habemus, tanq̃ Deum, in his quæ aperte non ſunt contra Deum, audire debemus. Adeſt tibi ſepties repetitus terminus obedientiæ prælatorũ, obediendũ eis. ſ. eſſe, exceptis his quæ contra Deum ſunt.

Bernar. Idem quoq; Bernardus in quadam epiſtola, partitionẽ trimembrẽ facit, eorum circa quæ verſari poteſt ſuperiorum preceptũ: Quedam (inquit) ſunt pure bona, quædam vero pure mala: in his (inquit) nulla debetur hominibus obedientia, quoniam nec illa ſunt omittenda cum prohibentur, nec iſta facienda cum iubentur. Porro inter hæc ſunt quædã media, quæ pro loco, tempore vel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona: in his obedientiæ lex poſita eſt, tanquam in ligno ſcientiæ boni & mali, in quibus fas non eſt noſtrum ſenſum præſcribere ſententiæ magiſtrorũ. Nil eſt quod iam deſiderari in hac parte poſſit, nam vniuerſa antiquitas, & omnes ſancti ſubſcripſerunt noſtræ ſententiæ.

Senſus philoſophorum erga obedientiã parentũ & maiorum. Aulus Gellius. Similem partitionem a recte inſtitutis philoſophis olim poſitã in Aulo Gellio legimus lib. ij. cap. vij. vbi agitur de officio et obedientia erga parentes, diuiſio hoc modo procedit: Omnia quæ in rebus humanis fiunt, aut turpia ſunt, aut per ſe bona, aut indifferentia. Quæ ſua vi recta aut honeſta ſunt, vt fidem colere, patriam defendere, amicos & benefactores diligere, ea fieri oportet, ſiue maiores imperent ſiue non. Quæ vero his ſunt contraria, quæque turpia, & omnino iniqua, etiamſi imperentur, facienda non ſunt (nam propter quecunque duriſſima non eſt

Ariſtot. turpe quid agendum, dixit Ariſtoteles in moralibus.) Quæ autem medium locum tenent, vt in militiam ire, cauſas defendere, honores acceptare, vxorẽ ducere, aut a ducẽda vxore abſtinere, hæc & his ſimilia, neq;

honeſta

honeſta ſunt neque turpia, in huiuſmodi rerum generibus parentes atque maiores audiendi ſunt. Et hic ſenſus philoſophorum omniũ recte ſentientium. Quare aduerſarij ab Apoſtaſię ſpiritu male decepti, contra ſcripturam, contra apoſtolicam Traditionem, contra vniuerſalem patrum ſenſum, denique contra ipſam rationem ſtulte docent & ſeditioſe, in eo quod dicunt in his quæ diuini iuris ſunt tantum prælatis eſſe obediendũ: Tantundem enim eſt ac ſi dicerent, nulla obedientia debetur maioribus. Nam obedire illis in his quæ diuini iuris ſunt, non eſt illis prope obedientiam prę ſtare, ſed his quæ diuinitus ſunt præſcripta: non enim aguntur quia ipſi pręcipiunt, ſed quia Deus illa pręcepit. Et in hoc maxime apparet ſiniſtra & diabolica aduerſariorũ mens, quod cum ciuilibus magiſtratibus, tam latam (vt diximus) poteſtatem aſſcribant, vt leges poſſint condere, contractus hominũ quaſſare & confirmare, & adiuramenta & pactiones cogere, quæ omnia ad decentiam & ordinem ciuilis Reipublicæ duntaxat ordinantur, & mere adiaphora ſunt. Prælatos vero Eccleſiæ, & eorum poteſtatem, quam a Deo immediate habent, vt animas ſeruent ad vitam, tam anguſtis coarctant repagulis, vt neq; verbum quidẽ hiſcere eis liceat, quin ſtatim dici poſſit a quouis nebulone, hoc eſt, contra ſcripturam, nihil nobis poteſt præcipi, quod non ſit in ſcriptura. Euangelium liberos nos fecit ab huiuſmodi oneribus, præcepta prælatorum cõſcientiam nõ obligant, & alia deliramenta pernitioſa & meras nugas poſſint obijcere quicunq; refractarij, quaſi non maiori ratione dictum illud Apoſtoli, qui poteſtatibus reſiſtit ſibi ipſi damnationem acquirit, procederet in magiſtratibus Eccleſiæ, quam in ciuilibus. Scio cauſam huius differentiæ, ſi haberet eccleſiaſtica poteſtas gladiũ materialem, quo poſſet rebelles & ſeditioſos iſtos vita priuare, & bonis omnibus abdicare, ſat ſcio non ſic theologizarent hi adulteratores euangelij. Rom. 13

Quo fit vt accedente præcepto maiorũ rebus honeſtis & ad cultum et honorem Dei conducibilibus, quæ per ſe adiaphoræ ſunt, fiant quodãmodo neceſſariæ. Si enim neceſſe eſt obedire præpoſitis, & bona pars obedientiæ verſatur circa huiuſmodi res, neceſſariæ ſubinde quodãmodo fiunt.

Summa ergo autoritas prælatorum et totius latitudinis obedientiæ, prout nos ſancti et ſcripturæ docuerunt his gradibus continetur. Summa obedientiæ & gradus eius.

Primus gradus eſt, quod coercere poſſunt hominem peccatorem, vt a peccato exeat, etſi contumax fuerit, mucrone anathematis ipſum percellere, atq; hic gradus directe verſatur circa Dei pręcepta et peccata quę in ipſa fiunt.

Secundus gradus huic proximus circa occaſiones proximas peccatorũ, circa quas vidimus multa præcepta ſanctorum, et officium paſtoris magnopere verſari debet.

Tertius,erga Dei cultum & eccleſiaſticæ politiæ ordinem, augmentũ & conſeruationem eorum.

Quartus,erga ea quæ tollere poſſunt iram Dei a populis ſibi ſubiectis.

Quintus,erga dubia quæ non conſtant lege Dei, quibus non licet cõtradicere aut ſtatim repugnare.Hos omnes gradus infra obedientiæ latitudinem poſuerunt omnes ſancti,quos ambit ſub ſe epiſcopalis & eccleſiaſtica autoritas,& circa quos etiam verſatur epiſcopalis cura.

QVOD VLTRA POENAM EXCOMmunicationis ſit penes prælatos Eccleſiæ alia coactiua poteſtas.

IN tantum adulantur & palpant aduerſarij ciuiles magiſtratus,vt affirment omnem poteſtatem aliam (præter eam qua remittuntur peccata, diſpenſatur verbum Dei, et ab Eccleſiæ cœtu excõmunicantur indigni)nullo pacto conuenire prælatis in ſubditos ſuos, niſi ex beneuolentia principum Chriſtianorum. Quod tantum abeſt a veritate et ſcriptura, & apoſtolica Traditione et ratione, quantum hi qui hęretici ſunt diſtant a vera Eccleſia: id quod non erit difficile cõmonſtrare, tum ratione, tum apoſtolica Traditione & ſanctorum teſtimonijs.

Primo,ſi epiſcopi præſidentes ſunt Eccleſiarum,rectores fidelium,parentes ſpirituales ſubditorum, vt iam oſtenſum eſt, & maxime circa peccata ſubditorum verſetur eorum imperium & iuriſdictio, cum multipliciter poſſit a ſubditis peccari,et pro delictorum menſura et qualitate adhiberi debeat medicina pœnarum, vt ipſa ratio naturalis dictare videtur: Imprudẽter certe inſtituta eſſet a Deo huiuſmodi Eccleſię poteſtas, ſi tantum vnus modus coactionis et pœnę illi eſſet conceſſus pro cenſura tã diuerſorum peccatorum,quę in membris Eccleſię quotidie contingunt. Quod quam ſit blaſphemum et impiẽtiſſimum, nemo non videt, qui vel micam rationis habeat. Eſſe vero diuerſitates peccatorũ ac ſubinde cor-

Auguſt. rectionum,ipſa nos experientia inſtruit,et beatus Auguſtinus de correptione & gratia cap. xv. declarat. Corripiantur itaq; a præpoſitis ſuis ſubditi fratres,correptionibus de charitate venientibus,pro culparum diuerſitate,diuerſis vel minoribus vel amplioribus, quia & ipſa quæ dãnatio nominatur,quam fecit epiſcopale iudicium,qua pœna in Eccleſia nulla maior eſt,poteſt ſi Deus voluerit,in correptionem ſaluberrimam cedere atq; proficere.

Apoſt. Conuincit etiam iſtos de falſitate autoritas D. Pauli apoſtoli. 1. Cor. vi. Vbi manifeſte iuriſdictionem erga lites & contentiones de rebus adhuc tẽporarijs Eccleſiæ tribuit,antequam eſſent Imperatores Chriſtiani: Secularia (inquit) iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia

cleſia viros conſtituite ad iudicandum. Ecce conſtituuntur iudices in Ec-cleſia Corinthiorum ad dirimendum contentiones de rebus ſecularibus. Quod ſi ſeniores Eccleſiæ et Paulus ipſe creare poterant iudices, qui de huiuſmodi rebus poſſent ferre ſententiam, poteſtatem habebant apud ſe iudicandi & coercendi ſubditos, circa huiuſmodi res. Nemo enim dat quod non habet. quod ipſe manifeſte fatetur ante illa verba: Audet (inqt) aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos et non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? Quaſi diceret, non, ſed poteſtatem habetis de his minimis iudicandi. Quod ſi poteſtatem habebant iudicandi, ergo et coercendi. Manca enim eſſet poteſtas iudicij ſine poteſtate coercitiua. Cum igitur excōmunicatio maxima pœna ſit, quæ ab Eccleſia infligi poteſt, minime credibile eſt, pro huiuſmodi rebus minimis et caducis ab Eccleſia tunc infligi, vt hodie multi ignari iudices eccleſiaſtici faciunt in vilipendium gladij ſpiritualis. Quare relinquitur ante beneficia principum fuiſſe aliam coercitiuam poteſtatem in Eccleſia ex diuina & apoſtolica Traditione. Alias ante principum conuerſionem, non eſſet politia Chriſtiana congregatio, ſed res confuſa & ſine ordine.

Rurſus beato Timotheo, (qui epiſcopus erat) ſcribit idem Paulus: 1. Tit. 5 Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Si coram epiſcopo tēpore apoſtolorum accuſatio presbyteri deferebatur, cum ſolennitate teſtium, argumentum clarum eſt, apud illos eo tempore fuiſſe iudicium & autoritatem, qua poſſent iuxta probata reum accuſatum abſoluere aut damnare. Si ergo damnare poterant, cum non omnia peccata ſint æqualia, nec æqualem requirant pœnam & damnationem (niſi cum ſtoicis lubeat delirare) concluditur ſubinde neceſſario aliam fuiſſe in epiſcopis poteſtatem coercitiuam, a poteſtate excōmunicandi. Confirmat hoc ipſum vſus ſanctæ Eccleſiæ a tempore apoſtolorum vſq; ad tempora Conſtantini magni.

In canonibus enim apoſtolorum depoſitionis pœna præter excōmunicationem valde frequens eſt. Sextus canon presbyterum aut diaconum qui ſeculares curas agit, & monitus non eas dimittit apoſtoli iubent deponere. Eadē pœna imponitur canone xxix. & canone xxx. presbyteris, qui contemnentes epiſcopum ſuum ſeorſim colligunt. & canone xxxiiij. Ordinati ab eo qui non eſt ſuus epiſcopus, iubentur deponi. * Can 6 apoſtolorum.

In prima epiſtola Clementis beatus Petrus apoſtolus per presbyteros Eccleſiæ iubet dirimi contentionum diſſidia fratrum: Si qui (inquit) ex fratribus negocia habent, inter ſe apud cognitores ſeculi non iudicentur, ſed apud presbyteros Eccleſiæ, quicquid illud eſt, dirimatur: & omnino obediant ſtatutis eorum. Iam vides hic iudicij poteſtatem

in presbyteris,& obedientiæ neceſſitatem circa ſecularia adhuc negocia.

Et quid ſibi vult diligentia illa & cautio tam ſæpe repetita quã ponit Clemens,Anacletus, Euariſtus,Alexander primus,& fere oẽs Pontifices q apoſtolis ſucceſſerunt in ſuis epiſtolis,qua cauebant ne cõtra epiſcopos admitterentur teſtimonia maleuolorum hominum,aut eorum qui extra Eccleſiam ſunt,ſi apud Eccleſiæ patres poteſtas non erat alia iudicandi et coercendi ſuos ſubiectos?Nec ſolum circa epiſcopos hæc diſponunt, ſed circa cauſas aliorum.Dicit enim Anacletus prima epiſtola ſua,accuſandi vel teſtificandi licentia denegatur omnibus, qui Chriſtianæ religionis & nominis dignitatem,& ſui propoſiti normã, aut regulariter prohibita neglexerint,tranſgreſſores enim ſponte legis ſuæ eiuſq; violatores, apoſtatæ nominantur.Omnis autem apoſtata refutandus eſt ante reuerſionem ſuam,nõ in accuſatione recte agentium, aut teſtimonio recipiendus,quia vir duplex animo inconſtans eſt.Quid etiam quod ipſe Anacletus tribunalia conſtituit, & diſtinxit tam pro ſecularibus cauſis quam pro eccleſiaſticis?Dicit enim in præfata epiſtola, leges Eccleſiæ apoſtolica autoritate firmamus,& peregrina iudicia ſubmouemus: vnaquæq; prouincia, tam iuxta eccleſiaſticas,quam iuxta ſeculi leges ſuos debet iuſtos & non iniquos habere iudices,& non extraneos:niſi apoſtolicæ ſedis huius decreuerit autoritas:quatenus quicunq; cauſam habuerit apud ſuos iudices iudicetur,& non apud alienos,ne detur occaſio vagandi, & ſubiungens ad quos debet ferri negocium,ad duodecim (inquit)eiuſdem prouinciæ iudices,ad quorum iudicium omnes cauſæ ciuitatum referuntur, deferatur negocium,ſi autem fuerit eccleſiaſticum & maius negocium apud epiſcopos interueniente primate,ſi vero minus, interueniente metropolitano: ſi vero fuerit ſeculare apud eiuſdẽ ordinis viros,iudicio tamen epiſcoporum.Cum Apoſtolus (inquit) priuatorum Chriſtianorũ cauſas magis Eccleſijs deferri,& ibidem ſacerdotali iudicio terminari voluit.Vides legum cenſurã,vides negociorum deciſiones penes prælatos tempore apoſtolorũ fuiſſe?

Anacletus tribunalia cõſtituit.

Anacle. 3.epiſt. In tertia quoq; epiſtola manifeſte tribuit epiſcopis iuris dictionem & coactiuam poteſtatem generaliter & indifferenter. Nobis (inquit) ſummopere ſtudendum eſt vt cooperatores ſimus gratiæ Dei,quia ad hoc vocati ſumus,eiuſq; familiari colloquio ſociati,vt fructuoſos illi manipulos reportemus cooperante gratia ipſius, neceſſe eſt etiam vt rectores a ſuis ſubditis timeantur,ab ipſiſq; corrigantur, vt humana formidine peccare metuant,qui diuina iudicia nõ formidant.Correctio autẽ cum non ſuſcipitur,coactiua poteſtate perficitur.

Euariſt. Item Euariſtus qui Anacleto ſuccedit,presbyteris mandat, vt peccata populorum examinent,& medicinas applicent, quæ ſine coercitiua poteſtate cõmode fieri non poſſent,cum ſubditi infirmi medicinam a ſe reijcerent.

rent: Sacerdotes (inquit) exquirere debent peccata populorũm, & ſagaci ſolicitudine vnumquemq; probare iuxta teſtimonium Domini ad Hieremiam, Probatorem dedi te populo meo robuſtum.

Et quid ſibi volebat illa coactio cuius Tertullianus meminit in apologetico contra gentes, prout dudum nos allegabamus? Certe non eſt credibile ad omnia illa quæ Tertullianus dixit rigorem excõmunicationis applicuiſſe eccleſiaſticos ſuæ Eccleſiæ patres. Quid quod beatus Cyprianus duas coactiuas poteſtates ponit in epiſtolis libri tertij, epiſtola nona ad Rogatianum? qui inſuper inſolentia cuiuſdam diaconi, conſuluerat ipſum Cyprianũ, ad quem hoc modo deſcribit: Grauiter et dolenter cõmoti ſumus, ego et collegæ mei, qui præſentes aderant, frater chariſſ. lectis literis tuis, quibus de diacono tuo conqueſtus es, quod immemor ſacerdotalis loci tui, ac miniſterij ſui oblitus, contumelijs & iniurijs ſuis te exacerbauit. Et tu quidem honorifice circa nos, et pro ſolita tua humilitate feciſti, vt malles de eo conqueri, cũ pro epiſcopatus vigore, et cathedræ autoritate, haberes poteſtatem qua poſſis de illo ſtatim vindicari: certus quod collegæ tui omnes ratum haberemus, quodcunq; circa diaconũ tuum contumelioſum ſacerdotali poteſtate feciſſes, habens circa huiuſmodi homines præcepta diuina. Et allegat illud Deute. xvij. Homo quicunq; fuerit in ſuperbia, vt nõ exaudiat ſacerdotem aut iudicem etc. Et paucis interpoſitis: Si nos aliquid audere contra Deum poſſumus, qui epiſcopos facit, poſſunt et ij contra nos audere, a quibus diaconi fiunt. Ideo oportet diaconum, de quo ſcribis, agere audaciæ ſuæ pœnitentiam, vt honorẽ ſacerdotis agnoſcat, et epiſcopo præpoſito ſuo plena humilitate ſatisfacere. Hæc ſunt enim initia hæreticorum, et ortus atq; conatus ſchiſmaticorũ male cogitantium, vt ſibi placeant, vt præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altare prophanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti et ordinationem atq; vnitatem Dei rebellatur. Quod ſi vltra te contumeliis ſuis exacerbauerit et prouocauerit, fungaris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abſtineas.

Cypria.

Deut. 17

Iam vides ibi tria genera coactionum expreſſa, et epiſcopali poteſtati annexa, puta pœnitentiam temporalem, qua etiam vtebantur antiqui canones ante Conſtantinum, depoſitionem et excõmunicationem, confirmãtibus hæc ipſa antiquis ſynodis. Vnde in Ancyrana, quæ fuit ante Nicænam ſynodum, Chriſtiani qui in templis idolorum cœnabant, cogũtur tribus annis pœnitentiam agere. Sic enim habet canon quartus eiuſdem ſynodi: Qui in templis idolorum cœnauerint, et ſacrificare coacti ſunt, indifferenter ſumentes omnia quæ fuerunt appoſita, placuit vt inter audientes vno anno conſtitutos, tribus alijs annis agere pœnitentiam, & ex ipſo triennio per biennium tantum in oratione cõmunicare, tertio autẽ anno reconciliari Sacramentis.

Tria genera coactionũ tẽpori Cypria. Ancyrana synodo. Cano. 4

Canone

Cano. 1 Canone quoq; ij. mulieribus fornicarijs quę partus ſuos necant, & cooperatoribus huius ſceleris, decem annos pœnitentiæ imponunt. Et huc
Sozomenius. forte tendebat inſtitutum religioſum Cōſtantini magni, qui vt refert Sozomenius primo libro tripartitę, omnibus ſuis tribunalibus iuſſit, vt ſententiæ imperfectę ad epiſcopos per Appellationem deferrentur. Quid ergo contra tā aperta teſtimonia audent negare maligni iſti, aliā poteſtatē eſſe in Eccleſia pręter excōmunicationem? certe ſatis apparet eos magis ex odio eccleſiaſticæ poteſtatis, vt adulentur ſecularibus iſta cōminiſci, quā ratione aliqua ductos.

NON EST NEGANDA OBEDIENTIA præpoſitis & prælatis Eccleſiæ propter eorum malam vitam.

Licet talis debeat eſſe Pontifex, vt alij ſibi ſubditi ad comparationem puritatis vitæ eius, merito grex poſſit nuncupari, et adhuc qui religioni detrahunt, vitæ eius detrahere non audeant: Voluit tamen Deus, vt in pace ſanctam ſuam Eccleſiam retineret, & rebellionis occaſiones proximas auferret, pontifices ſuos quātumuis malos, modo infideles non ſint, aut religioni pernitioſi, tolerari, eiſq; obedientiam & honorem a ſuis ſubditis et fratribus pręſtari: nō propter eos, ſed propter ipſum Deū, cuius locū tenent, & quē in Eccleſia repręſentant. Exempla & mādata ſunt in ſcriptura haud obſcura, vnde hoc ſatis clare colligitur. Cum enim Dominus Deus in lege veteri cōmendaſ-
Deut. 17 ſet ſubdito populo ſuo obedientiā ſacerdotis, & filijs cōmendaret obe-
Deut. 21 dientiā parentū, Deute. xxi. abſq; vlla limitatione legem obedientiæ pręſcripſit. Si enim hanc limitationem haberet obedientia, periret omnis ordo, periret omnis iuſtitia, et deniq; induceretur inter homines magna cōfuſio, quia cum pauci aut nulli ſuperiores ſint qui ſint mundi a peccatis, ſemper haberent facinoroſi ſubditi, quod poſſent obijcere ſuperioribus ſuis, cum in eos vellent animaduertere, & ex conſequenti omnia delicta & facinora quæ in Republica fierent, manerent impunita: quod quā ſit barbarū & pernitioſum, nemo non videt. Monet etiam nos de hac re S. Dauid, qui cum nouiſſet Saulum regē a Deo eſſe reiectū & reprobatum, & ſe in locū eius a Deo ipſo regem deſignatū, etiamſi iniuſte & maligne ab eo vſq; ad internitionē perſequeretur, minime auſus eſt in ipſum non ſolū ſęuire cum poſſit, aut iniuriam irrogare, ſed nec verbum inſolens vllum ei dixit, magna cū reuerentia tractans vmbram illam regiā, & perſonam publicam, propter Deū, qui populo ſuo Saulum pręeſſe voluerat. Habuit
1. Re. 24 certe ipſum in poteſtate ſua in ſpelunca illa Engaddi, cuius cum abſcidiſſet oram chlamydis ſilenter, dixit ad pueros ſuos, qui ei ſuaſerant vt Sau-

lum

Dauidis in Saulem olim Regem clementia.

lum occideret, propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meã in eum, quia Chriſtus Domini eſt, viuit Dominus, quia niſi Dominus percuſſerit eũ, aut dies eius venerit vt moriatur, aut deſcendens in prȩlium perierit, propitius ſit mihi Dominus, vt non mittã manum meam in Chriſtum Domini. Et cõfregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & nõ permiſit eos vt inſurgerẽt in Saulem, quinimo poſt egreſſum de ſpelunca Saulem, a longe ſtans pronus in terram adorans, talia verba præfatur: Domine mi rex, quare audis verba hominum loquentiũ, Dauid quȩrit malum aduerſum te? Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit Dominus te in manum meã in ſpelunca: vide quoniã in manu mea nõ eſt malũ neq; iniquitas, neq; peccaui in te, tu aũt inſidiaris animæ meæ, vt auferas eã: iudicet Deus inter me & te. Videtur quod ſanctus Dauid Paulum apoſtolũ legerit, qui iubet ſeniorẽ non eſſe increpandũ, ſed obſecrandum vt patrem. 1. Tit. 4

Quid quod Chriſtus redemptor noſter Matthæi vigeſimo tertio Phariſæis & ſcribis obaudiri iubet, etiamſi alias male viuant & operentur: Super Cathedrã (inquit) Moyſi ſederunt ſcribæ et phariſȩi, omnia quȩcunq; dixerint vobis ſeruate et facite, ſecundum opera vero eorũ nolite facere, dicunt enim & nõ faciunt. Ecce ſine limitatione aliqua, vel materiæ quæ prȩcipitur, vel autoritatis prȩcipientis iubet Chriſtus ſuis, vt legis ſacerdotes & doctores in omnibus audiantur, eorumq; præcepta ſeruentur. Quid putas dixiſſe de nouæ legis a ſe inſtituendis prælatis, qui Dei & ipſius Chriſti cathedrã in Eccleſia tenẽt, qui tantum honoris detu lit vmbraticis legis ſacerdotibus, quorum autoritas breui abrogãda erat? Certe tanto maior euangelici ſtatus pontificibus honor & reuerentia debetur, quanto cathedra quam tenent, excellentior eſt & permanẽtior. Si enim totus honor & reuerentia (quæ eis datur) propter eorum merita debuiſſet impendi, pauci forte aut nulli eſſent, quibus obedientiam debuiſſet populus præſtare, cum omnes ſimus peccatores, et ad multas imperfectiones propenſi. Tunc vero quid officij exhiberemus Deo, ſi pro meritis tantum eorũ, qui cathedras tenent, obediẽtia & honor exhibenda eſſent? Cum igitur propter Deũ, cuius vices agunt, honorentur & audiantur, non eſt quod de vita eorum multum ſimus ſolliciti, imo apud Deum gratioſior erit noſtra obedientia, quando prælatus fuerit deterior, cui ſolum propter Deum obedientiam prȩſtamus. Emphaſin habet dictum illud Pauli: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt, inſinuat enim illis verbis, malo etiam præſidenti deberi ſuum honorẽ. Pulchre beatus Auguſtinus tractans illa uerba Chriſti, Quæcunq; dixerint vobis, facite: Doctrinam iſtam nobis tradidit, loquens de peccatoribus & quaſi mercenarijs præſidentibus. Nunquid non aſcendunt aliquando, aut presbyter, aut epiſcopus, & non dicit aliud de ſuperiori loco, niſi ne

Matt. 23

1. Tim. 4

Serm. 46 de verbis Domini

niſi ne rapiantur res alienæ,ne fraudes fiant,ne ſcelera admittantur? Non poſſunt dicere aliud qui in Cathedra Moyſi ſedent, & ipſa loquitur de illis,non ipſi.Quid eſt ergo? Nunquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus?Et omnis arbor ex fructu cognoſcitur. Phariſęus poteſt bona loqui,Phariſæus ſpina eſt.Quomodo de ſpina lego vuas?quia tu Domine dixiſti:Quæ dicunt,facite:quæ autem faciunt,facere nolite.De ſpinis me iubes vuam decerpere,cum dixeris: Nunquid colligunt de ſpinis vuam?Reſpondet tibi Deus: Non iuſſi te de ſpinis vuam legere, ſed vide,attende bene.Forte ut fieri ſolet,vitis cum circũierit per terram, inuoluta ſit in ſpinis. Nam aliquando inuenimus illud fratres mei, vitis poſita vt ſuper caricem,quia ibi habet ſepem ſpinoſam,extendit palmites ſuos,& inſerit in ſepem,extendit in ſpinas botros,& qui vidit botrũ,carpit: non tam de ſpinis quam de vite,quæ circumplexa eſt ſpinas. Sic ergo illi ſpinoſi ſunt,ſed ſedendo in cathedra,inuoluit eos vitis, & pendent ab eis botri,id eſt,verba bona,et bona præcepta. Tu lege vuam, non te pungit ſpina quando legis. Quæ dicunt,facite:ſed quæ faciunt,facere nolite: Pungit autem te ſpina,ſi quod faciunt,facis. Vt ergo legas vuam, & non inhęreas ſpinis,quæ dicunt, facere debetis,ſed quæ faciunt, nolite facere.

Vuam de ſpinis legere.

August. epiſt.137

Epiſtola quoq; cxxxvij.ſubditos ſuos inhibet ne hęreticis Donatiſtis crimina opponant,et malam vitam,ſed tantum quod hæretici ſunt, & diuiſionem in Eccleſia fecerunt, eo quod viciſſim illi Catholicis opponebant peccata alia cõmunia & crimina,quæ dicit minime obeſſe poteſtati eccleſiaſticæ,aut doctrinæ. Dicit igitur;Ne obijciatis hæreticis, niſi quod non ſunt Catholici,ne ſimiles eis ſitis,qui nõ habentes quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſime iactant,vt quia ipſam diuinam ſcripturam et veritatẽ,qua vbique diffuſa Chriſti Eccleſiæ cõmendatur,criminari & obſcurari non poſſunt,homines per quos prædicatur,adducunt in odium: vos autem non ita didiciſtis Chriſtum,ſi tamen illum audiſtis et in illo docti eſtis: quippe qui fideles ſuos ſecuros fecit,etiam de diſpenſatoribus malis, mala ſua facientibus,et bona eius loquentibus. Cum ait Matth.xxiij. Quæcunq; dixerint vobis,facite. Et alibi cõparat malos pręlatos carnalibus,per quos Chriſti gratia deriuatur ad nos.

Petrus Clemens

Item D. Petrus in ordinatione Clementis affirmat, & ſubditis ſuis mãdat,vt ſine delectu aliquo epiſcopis obediatur.Qui epiſcopos(inquit) lędit,lædit eum cuius legatione funguntur. Et infra: Epiſcopos & ſacerdotes tota animi virtute diligite, in omnibus obedite, etiam ſi ipſi, quod abſit,aliter agant:memores dominici præcepti:Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt,nolite facere. Et in tertia epiſtola Clemens cum epiſcopis loquens:Dominus (inquit) miſit vos vice ſua in loco apoſtolorum ad prædicandum,& pręcepit vobis docere,omneſq; vobis fideliter obedien

tes exiſtere. Percelebriter tamen apud beatum Chryſoſtomũ Homil.lxv. in Geneſin, obedientia ſacerdotum & prælatorũ commendatur, quamuis mali ſint, quam dicit apud Deum valde gratam & meritoriam eſſe, exponens illum locum Geneſeos, de libertate terræ ſacerdotum Aegypti: Audiant qui nunc viuunt, quantam olim ſacerdotũ idolorum curam habuerint, & diſcant vt vel ſaltem parem habeant honorem his quibus omniũ Dei miniſterium creditum, et ſacerdotio inſigniti ſunt. Si enim errantes illi, et tantum idolorum curam habẽtes, quia ex hoc putabãt idola magis coli, ſi ita eorum miniſtros colerent: quanta condemnatione digni ſunt, qui nunc imminuunt quod ad illorum ſpectat cultum? An neſcitis quod honor ad Deum ipſum pertinet? Ne igitur reſpicias eum cui honor confertur. Non enim propter illum debes quod tuum eſt facere, ſed propter illum cuius ſacerdos eſt, vt et ab illo retributiones vbertim accipias. Propter quod et dicebat: Qui fecerit vni horum, et mihi fecit, et qui accipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet. Num a dignitate vel vtilitate miniſtrorum tibi retribuet Dominus? Ob alacritatem tuam vel coronat, vel condemnat. Et ſicut honor qui propter ipſum impenditur, multum parit fiduciæ (propria enim ſibi facit Deus quæ in ſeruos ſuos collocantur) ita et illorum contemptus multam e ſupernis pœnam nobis deferet. Igitur ſicut ſuum eſſe honorem, ita et cõtemptum dicit. Id quod ſciẽtes, nunquam negligamus cultum, qui ſacerdotibus Dei debetur. Et hæc dico non tantũ illorum rationẽ habens, quantum veſtræ charitatis, cupiens vos in omnibus lucrifacere. Quid enim das? quantum accipis a Domino? quantum autẽ cultum affers? Attamen et pro illo viſi, et in eum qui in præſenti vita ſimul diſſoluitur, immortales accipies mercedes, et ineffabilia bona. Hæc mente verſemus, et properemus ad eorum obſequia, non attendentes ſumptum, ſed lucrum, et acceſſionem quæ inde naſcuntur. Nam ſi videtes viri alicuius ſingulari dignitate inſignis familiarem, operam damus vt quantum poſſibile eſt illi præſtemus obſequiũ, cogitantes quod quæ illi fiunt, eius Domino accedant, et quod ille familiaris, vbi ſignificarit patrono ſuo, maiorem nobis apud eum fauorem conciliet: multo magis hoc erit apud vniuerſorum Dominum. Nam ſi quis in vulgarem et abiectũ, benignitatem et compaſſionem aliquam declararit: Dominus quæ fiunt ſibi propria faciens, promittit ſe in regnum introducturum eos, qui aliquid boni illi fecerint, et dicturum: Venite benedicti patris mei, quia eſuriui et dediſtis mihi quod comederem: multo magis eos, qui propter Deum affliguntur, et ſacerdotio inſigniti ſunt, ſi quis obſeruauerit, non ſolum parem aſſequetur retributionem, ſed multiplíciter maiorem, miſericorde Deo ex abundantia miſericordiæ ſemper ea quæ a vobis fiunt, vincente. Ne igitur ſimus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem adhuc tantum cultum exhibent illorũ fa

Chryſo. Hom. 65

mulis:ſed quantum diſtat error & veritas,tantum diſtant & illorum, & Dei ſacerdotes. Tam excellentẽ igitur honorem impendere debemus, vt multo plures e ſupernis nobis retributiones accreſcant. Tam illuſtria et clara ſunt huius Diui verba,ad cõmendandam malorum etiam prælatorum obedientiam,& gratiam quam obedientes apud Deum promerentur,vt maiori explicatione non egeant.

COROLLARIVM.

NON PERTINET AD POPVLVM eijcere malos prælatos a ſuis ſedibus, ſed neque eos eligere aut in Cathedra collocare.

ADuerſarij eccleſiaſticæ poteſtatis & ordinis a Chriſto et apoſtolis præfixi, quo liberius & facilius legitimos paſtores e ſuis ſedibus expellerent, & ipſi tanquam lupi rapaciſſimi licentius poſſent in Chriſti oues ſæuire, & apoſtolorum Cathedras vſurpare, pernicioſum hoc mendacium cõmenti ſunt,dicentes ad populos pertinere,tum pontificũ electionẽ,ſi forte mali & inutiles ſunt,tum etiam electionẽ. Et licet omnes in hoc dogma conſpirauerint,vnus tamen inter eos maxime pernicioſus,ex ſcriptura & D. Cypriano nititur pernicioſum hoc cõmentum deducere.Habetur in epi-
1.Tim.3 ſtola Timothei,vbi diſponit Apoſtolus de presbyteri, epiſcopi, & diaconi ordinatione, vt ordinandus bonum teſtimoniũ habeat ab his qui foris ſunt.Sed hic locus nullam omnino apparentiã habet ad probandũ electionem epiſcopi ad populum pertinere, longo enim interuallo diſtat quod aliquis habeat bonum teſtimonium apud populum quando eligitur,ab eo quod populus eligere debeat epiſcopũ,vt res ipſa ſe declarat,quin potius ex eadem ſcriptura colligitur clare, non ad populũ ſpectare huiuſmodi electionem aut ordinationem. Nam in hoc capite quod iſti allegant,totum negociũ ordinationis et electionis epiſcoporum videtur Paulus reijcere in ipſum Timotheum, cui qualitates epiſcopi & preſbyteri ordinandi præſcripſit: ſi enim ad plebem pertineret electio,nõ erat opus vt ad epiſcopũ Timotheũ hæc ſcriberet Paulus,ſed ad ipſam plebẽ.
1.Tim.5 Adde quod eidem Timotheo dicitur in ſequenti cap. Manus cito nemini
1.ad Titum. impoſueris. & Titũ epiſcopũ ita de hac re monet,quaſi in ipſo ſolo fuerit poteſtas conſtituendi epiſcopos & presbyteros: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas ibi per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Hic manifeſte innuit Paulus legitimam electionis conſequentiam a Chriſto in apoſtolos, ab apoſtolis

in eorum

in eorum diſcipulos. Chriſtus em̃ apoſtolos ſuos elegit, apoſtoli aũt ſuc-
ceſſores ſibi delegerunt, & non populi quibus pręficiebantur. Legimus
Petrum apoſtolorum principẽ, Clementem ſucceſſorem ſuum ſibi ſubro-
gaſſe, & in Antiochia Euodium epiſcopũ loco ſui reliquiſſe. hęc ſunt ver- Petrus 1
ba Petri in ordinatione Clemẽtis: Audite me fratres & cõſerui mei, quo- Epiſtol.
niam vt edoctus ſum ab eo q miſit me, dies mortis meæ inſtat, Clemen- Clemẽt.
tem hunc epiſcopũ vobis ordino, cui ſoli meæ prędicationis et doctrinæ
Cathedram trado, & ligandi atq; ſoluendi poteſtatem, ipſum ergo audi-
te: vbi nullam vides a populo præmiſſam requiſitionem.

Diuus autẽ Anacletus, ordinationem epiſcoporũ a tribus epiſcopis ex Anacle.
Traditione apoſtolica præſcripſit eſſe faciendã in prima epiſt. Item in ter- 1. epiſt. 3. epiſt.
tia ad omnes fideles, de conſtituendis epiſcopis in ciuitatibus, nullam mẽ-
tionem facit de populi ſuffragijs. Hæc ſunt verba eius: Epiſcopi in caſtel-
lis aut modicis ciuitatibus non debent conſtitui, presbyteri autẽ in caſtel-
la, & modicas ciuitates debent ab epiſcopis ordinari et poni: ſinguli tamẽ
per ſingulos titulos ſuos. Epiſcopus non ab vno, ſed a pluribus debet or-
dinari, et ad honorabilem vrbem titulandus et nominandus eſt: vbi tam
in nominatione quam in ordinatione epiſcopi nihil meminit de populo,
ſed tantũ in epiſcopos reiecit onus iſtud. In antiquis etiã ſynodis expreſſe
denegatur plebibus delectio epiſcoporum. Vnde in ſynodo Antioche- Synodus
na canone xvi. ſic de electione epiſcopi decernitur. Si quis epiſcopus in Ec- Antiochena.
cleſiam vacantem ſuperuenerit, & pręter plenariam ſynodum occupandã Cano. 16
eſſe crediderit, hunc abijci oportet, quamuis plebs velit illum ſibi epiſco-
pum retinere, illa autem dicitur ſynodus plenaria, in qua epiſcopus Me- Synodus
tropolitanus adfuerit. Hic iam habes non ſufficere totius populi conſen- plenaria
ſum ad hoc quod aliquis ſit legitimus epiſcopus. In ſynodo vero Laodi- Synod.
cenſi ante 1150. annos celebrata canone xij. expreſſe dicitur electio- Laodicenſis.
nem epiſcopi fieri non poſſe ſine iudicio Metropolitani et finitimorũ epi- Cano. 12
ſcoporũ. Non oportet epiſcopum pręter iudicium Metropolitanorum
et finitimorum epiſcoporum conſtitui ad Eccleſiæ principatum, neque
eligantur niſi hi quos multo ante, nota probabiliſq; vita cõmendat. Ca-
none vero xiij. expreſſe negat ad populum pertinere epiſcopi electionem. Cano. 13
Non eſt (inquit) populis concedendum electionem facere, eorum qui al-
taris miniſterio ſunt applicandi. Rurſus ſynodus ſecunda Carthaginen- 2. Carthaginenſ.
ſis tempore Valentiniani Imperatoris coacta, ſic de electione epiſcopi
conſtituit, canone xij. Aliqui epiſcopi vſurpatione quadam exiſtimant Cano. 12
contempto primate cuiuslibet prouinciæ ad deſiderium populi epiſcopũ
ordinare, ſine literis ad ſe primæ Cathedræ manantibus, nec poſtea acce-
ptis, ideo placet, vt in conſulto primate cuiuslibet prouinciæ, nemo præ-
ſumat, licet cum multis epiſcopis in quocunq; loco ſine eius præcepto
epiſcopum ordinare, ſi autem neceſſitas fuerit, tres epiſcopi in quocun-

que loco ſint,cum primatis præcepto ordinare debent epiſcopum. Verum tamen eſt quod epiſcopi iſti qui ad electionem congregebantur cōſenſum expectabant Cleri & populi,vt in ſynodo Carthaginenſi quarto refertur,qui conſenſus magis erat teſtificatio vitæ eius qui erat ordinandus,et ſignum quoddam expreſſiuū eius deſiderij,quod volebat Paulus, quando bonum teſtimoniū populi dicebat expectandum ante ordinationem,ideo antiquitus ordinationes epiſcoporum ſemper ſiebant in propria Eccleſia ordinandi coram toto populo,quo melius de moribus et fama conſtaret ordinandi. Quem modum inſinuat Cyprianus epiſtola quinta,ad presbyteros & diaconos, et plebem vniuerſam. In ordinandis clericis,fratres chariſſimi ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum cōmuni conſilio ponderare, ſed expectanda non ſunt teſtimonia humana,cum præcedant diuina ſuffragia. Hoc dicebat Cyprianus volens quendam confeſſorem Aurelium lectorem ordinare. Idem Cyprianus epiſtola quarta libro primo modum ordinationis epiſcopi ſic deſcribit. De Traditione diuina & apoſtolica obſeruatione ſeruandum eſt & tenendum, quod apud nos quoq;, & fere per prouincias vniuerſas tenetur,vt ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, epiſcopi eiuſdem prouinciæ proximi quiq; conueniant, & epiſcopus deligatur plebe pręſente,quæ ſingulorum vitam pleniſſime nouit,& vniuſcuiuſq; actum de eius conuerſatione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, vt de vniuerſæ fraternitatis ſuffragio,& de epiſcoporum,qui in pręſentia conuenerant quiq; de eo ad vos literas fecerant iudicio, epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponerentur.

Cypria. lib. 1. epiſtol. 5

Quare illud quod a populo & Clero olim expectabatur, non erat ſuffragium a quo electio ſubſtantialiter dependeret,ſed bona de ordinando teſtimonia aut laudabilia conſilia,quod modo rationabiliter non obſeruatur,quia non eliguntur epiſcopi de Clero vrbis, vbi debet præſidere. Quamuis non diſpliceret mihi,vt in ordinatione epiſcoporum, & eorum qui curam animarum agere debent, haberetur ratio ad vocem populi,nō vt illi cōmitteretur electio, nam ſemper eſſent diſſidia & contentiones, ſcindente ſe vulgo in varia ſtudia & affectiōes,ſed vt requireretur,ſi forte aliquam iuſtam cauſam habuiſſent, quare illis non præfici debuiſſet epiſcopus eligendus aut ordinādus,vt ſi forte vita diſſolutus eſſet, aut ignorans,aut abſens,aut prophanus,quarum obiectionum examen ad epiſcopos finitimos aut ordinatores pertineret, hoc enim modo magis præcioſus eſſet illis prælatus, magiſque amabilis, ne cogerentur inuiti, inutiles homines, & interdum pernicioſos ſuis ſudoribus alere. Atque hoc dictum ſit de electione ſiue ordinatione, in qua aduerſarij tam enormiter errauerunt, quia nolunt diſtinguere inter ordinationem et electio-

electionem, contra omnem ſcripturam & apoſtolicam Traditionē. Electio enim etſi multipliciter ſecundum differentias temporū variata eſt, ordinatio tamen ſemper eſt immobilis, & ad epiſcopos ſemper pertinuit, & nunquam ad populares: eo quia nemo poteſt dare quod non habet, prout late in ſuperioribus deduximus.

Electio epiſcoporum variabilis, ordinatio immobilis.

Nunc ad repulſam epiſcoporum veniamus, quæ multo minus a plebe fieri poteſt quam electio. Quamuis quidā ex aduerſarijs doctor de quo ſupra diximus, ex D. Cypriano contendat licite poſſe fieri. Verba Cypriani quæ allegat, iſta ſunt: Poſtquam adduxerat illud, quod dixit Deus Numeri decimo ſexto, de Chore, Dathan & Abiron. Separamini (inqt) a tabernaculis hominum iſtorum, ſubiungit: propter quod plebs obſequens præceptis dominicis, & Deum metuens, a peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilega ſacrificia ſacerdotis miſcere, cum ipſa maxime habet poteſtatem, vel eligendi dignos ſacerdotes vel recuſandi. Hæc ſunt verba Cypriani, quæ prima fronte ſatis dura videntur.

De repulſa epiſcoporum. Cypria. Num. 16

Porro quod ad electionem attinet, iam vidimus quid obſeruatum fuerit ex apoſtolica Traditione in antiqua Eccleſia, & ipſemet Cyprianus nobis expoſuit, quare vocabulum electionis hic poſitum, accipiendum eſt pro conſenſu quodam & exhibitione teſtimonij, quæ a populo cui præficiebat epiſcopus expetebatur: aut forte erat mos tempore eius in Eccleſijs Hiſpaniarum, quod nunquam legi, vt aliqui ex populo vocem haberēt electiuam. Quod vero dicit populum poſſe recuſare indignos, etiā faſſi ſumus, quantum ad electionem, ſi indignitas ordinandi ſit nota & populo pernitioſa. Quantum vero attinet ad reiectionem epiſcoporum, fatemur etiam populum poſſe eos recuſare indicatiue, vtputa ſynodo aut Romano pontifici cauſas indicando, quibus epiſcopus poſſit deponi, et ſi ſit etiam publicus & notorius peccator, quod ab eius ſacrificijs ſe abſtineat, & quodāmodo ſe ſeparet, iniquum non videtur: ſed quod a ſede ſua propellatur ab ipſo populo nullo expectato maiorum iudicio, irrationabile, ſeditioſum, & contra apoſtolicam Traditionem eſt, nec hoc affirmat Cyprianus. Pro cuius intellectu duo animaduertere oportet in hac eadē epiſtola expreſſa: Alterum quod iſti duo epiſcopi Hiſpani, Baſilides et Martialis, libellis idololatriæ publice cōmaculati erant, & nefandorum facinorum conſcientia conuicti. Nam et eos Chriſtum negaſſe, & idololatriæ obtemperaſſe, Cyprianus affirmat, & relatio ipſa Eccleſiarum citerioris Hiſpaniæ continebat. Iam ergo iſti manifeſto in fide errarunt, publici idololatræ fuerant, nec aliqua pœnitentia aut ſatisfactione purgati violenter in epiſcopij miniſterijs pergebant, contra omnem eccleſiaſticā Traditionē: Alterum in hac epiſtola contentum eſt, quod Cornelij Papæ inſtituto, huiuſmodi epiſcopi epiſcopali honore erant priuati. Dicit enim Cyprianus, loquens de præfatis Baſilide & Martiali, fruſtra tales epiſco-

Inſtitutio Cornelij.

patum ſibi vſurpare conantur, cũ manifeſtũ ſit eiuſmodi homines, neq; Eccleſiæ Chriſti poſſe eſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere, maxime cũ iam pridem nobiſcũ, et cũ omnibus omnino epiſcopis in toto mundo cõſtitutis, etiã Cornelius collega noſter ſacerdos, pacificus & iuſtus, & martyrio quoq; dignatione Domini honoratus, decreuit huiuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendã poſſe admitti, ab ordinatione autẽ Cleri atq; ſacerdotali honore prohiberi. Vbi vides latam legem a Cornelio, conſenſu omnium epiſcoporũ confirmatam de huiuſmodi prælatis reijciendis. Ergo cum præceſſiſſet iam publica autoritas, quę iſtos & alios ſimiles damnauerat, ſimiliter & crimina idololatriæ publica de quibus illi erant iam cõuicti, ſatis iuridice Cyprianus iubebat huiuſmodi epiſcopos a plebe, tanquam ab executore legis, publice reijciendos eſſe: quare maligne & ſine propoſito ad prælatos Eccleſiæ noſtri temporis, torquetur a fallaci iſto magiſtro ſententia Cypriani, vtpote qui huiuſmodi peccatis non ſunt irretiti, nec autoritate publica damnati. Quod vero rationi repugnet dogma iſtud ſeditioſum, facile ex eo patet, quia tunc ſi aliquis falſus propheta, vel aliquis turbulentus homo contra prelatum vellet ſeditionem in plebe ſuſcitare, dicens eum vel contra fidem docere, aut crimina aliqua perpetraſſe, facile remoueri poſſit paſtor ab ouibus, cum populus ſuapte natura mobilis ſit, & in varias ſententias multoties diſtraheretur: ac ſubinde ordo et religio confunderetur, autoritas inſuper apoſtolica, magno vilipendio exponeretur, ſi ab huiuſmodi vulgi vocibus ſtabilimentum eius dependeret, nullos auderent repræhendere prælati, neminem coercere, placentia ſemper illis loquerentur, ne forte in illos exercerent ſuam tyrannidem: quæ quam ſint pernicioſa politico ordini, videant iſti ſi de magiſtratibus ciuilibus hoc concederent, vt a popularibus poteſtas hæc poſſet conuelli. Contra naturã enim eſt, vt inferiores iudicent de ſuperioribus: populus enim vt quidam peruetuſtus pater, ait, docendus, inſtruendus, regendus, & non ſequendus eſt. Adde quod a tempore apoſtolorum magna diligentia cautum eſt, ne a plebibus aut inferioribus iudicentur aut expellatur hi, qui Cathedras tenent apoſtolorum. Dicit enim Petrus in ordinatione Clementis, loquens de epiſcopis: A ſolo Domino iudicandi aut remouendi ſunt, & non ab inferioribus: nam quis (inquit) eſt qui alterius iudicet ſeruum? & ſi iſta non patiuntur homines in ſeruis ſuis, nec DEVS. Vbi manifeſte laicos ab eorum vexatione repellit, idem rurſus in eadem: Cunctorum ſacerdotũ vitam ſuperiorem ſanctioremq;, ac diſcretam a ſecularibus & laicis hominibus eſſe, & ſpirituales & ſacerdotes ſuper carnales & laicos ſemper conſtituere oportet: quoniam pro minimo nobis eſſe debet a talibus iudicari, maiores vero a minoribus nec accuſari nec iudicari poſſunt. In fine vero epiſtolæ loquens de popularibus & epiſcopis, ait: Ab iſtis non ſunt

Quantũ in diſcrimen res adducuntur, ſi in creando vel reijciendo epiſcopo, populo & pleb. ſtandũ eẽt.

Petrus in epiſt. Clemẽt.

ſunt repręhendendi epiſcopi vel compręhendendi, vel arguendi, ſed ſupportandi: niſi in fide errauerint, quia epiſcopi ſuper hos ſunt, non illi ſuper iſtos, et maior a minori argui non poteſt, nec iudicari: nullus ſe extollat cōtra doctores ac magiſtros ſuos, quia diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum.

Item Anacletus epiſtola ſecunda: Epiſcopi a DEO ſunt iudicandi, non ab hominibus prauæ vitæ lacerandi, ſed potius ab hominibus ſunt ſupportandi, dicente Domino: DEVS ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem eorum Deus diiudicat. Apoſtoli enim ſtatuerunt, ne facile cōmouerentur aut lacerarentur vel accuſarentur columnæ ſanctę Dei Eccleſiæ, qui apoſtoli & ſucceſſores eorum non immerito dicuntur, ſed ſi quis aduerſus eos vel Eccleſias eorum commotus fuerit, aut cauſas habuerit, prius ad eos recurrat charitatis ſtudio, vt familiari colloquio commoniti, ea ſanent quæ ſananda ſunt, & charitatiue emendent, quæ iuſte emendanda agnouerunt: ſi autem aliqui eos priuſquam hæc egerint, lacerare, accuſare, aut infeſtare præſumpſerint, excommunicentur & minime abſoluantur: antequam per ſatisfactionem condignam egerint pœnitentiam, quia iniuria eorum ad Chriſtum pertinet, cuius legatione funguntur. Anaclet.

Beatus Euariſtus ſecunda epiſtola ad Aegyptios, de epiſcopis ad populum loquens: Præuidendū (inquit) nobis eſt, ne offendatis eos qui tantā habent a Domino poteſtatem, ideo potius obediendi, diligendi, venerādi ſunt & ſupportandi, dicente Domino: Qui vos audit, me audit. Euariſt.

Sanctus quoq; Alexander, modum quo iudicari poſſunt epiſcopi, deſcribens, nihil omnino tribuit populis, ſed primatibus aut ſuperioribus, ita tamen, vt prius iuxta euangelium et decretum Anacleti ſupra poſitum moneantur humiliter. Quid quod canone apoſtolorum xxxiij. ad cōcilium iubet cauſas epiſcoporum deferri? qui ſic habet: Epiſcopum de aliquo perfide dignos accuſatum homines, ab epiſcopis vocari neceſſarium eſt, & ſi quidem comparuerit, & confeſſus & conuictus fuerit, cenſura irrogator eccleſiaſtica: ſi vero vocatus non obtemperauerit, ſecunda quoq; vice vocator, miſſis duobus ad ipſum epiſcopis, quod ſi pee contumaciam nec ſic quidem comparuerit, ſynodus contra ipſum ſuam pronunciato ſententiam. Alex. 1. Canon apoſtolorū 33.

Sed & Anacletus, & Clemens, item Alexander, & alij ſancti martyres, diſcipuli apoſtolorum, ad apoſtolicam ſedem vltimo iuſſerunt cauſas epiſcoporum deferri. Sedes apoſtolica index cauſæ epiſcoporū.

Iſidorus libro ſecundo de ſummo bono, capite xxix. Non eſt iudicandus a plebe rector inordinatus, imo magis nouerit populus ſui fuiſſe meriti, quod peruerſi regimen pontifices ſuſceperunt: nam pro meritis plebium diſponitur vita rectorum. Vnde ſententia damnatur Cham filij Noe, qui ſuorum præpoſitorum culpas in publico produnt, & Iſidorus

pudenda non ſolum non cælant,ſed diſcooperiunt. Et infra: Rectores ergo a Deo iudicandi ſunt,a ſuis autem ſubditis nequaquã. Quod ſi a fide exorbitauerit rector, tunc erit arguendus a ſubditis: pro moribus vero reprobis,tolerandus magis quam diſtringendus a plebe eſt.

Abſtinuit ſe ab hoc irreligioſo inſtituto magnus ille Conſtantinus,cui cum in ſynodo offerrentur libelli,in quibus multa crimina et accuſationes prælatorum continebantur,reſpondiſſe fertur,Illos oportet de nobis iudi- Sozomenius lib. 1 care,& non nos de illis iudicium ferre.Quid igitur ſeditioſi iſti contra Eccleſiæ prælatos plebes incitant,turbas mouent,euangelium corrumpunt, Traditionem apoſtolorum contaminant, & denicp totum ordinem Eccleſiæ inuertunt,ſuadentes damnabiliter plebibus, quæ ſupra ſuam poteſtatem ſunt? O audaciam,o ſuperbiã ſathanicam. Quo fit vt omnes qui per ſolam autoritatem plebis Cathedras apoſtolorũ vſurpant,cõtra apoſtolicam Traditionem manifeſtarij lupi & fures ſint,quantumuis ſibi applauſibiles titulos arrogent. Ex his ſequit̃ magna reuerentia excipi debere inſtituta ſanctarum generalium ſynodorum,a tota Eccleſia, item & ſanctorum patrum,Romanorum pontificũ,et aliarum ſynodorum particularium,aut epiſcoporum oracula,a ſuis prouincijs & dioeceſibus,tanquam ſi Deus exhortaretur per eos,ſeruata tamen omnibus ſui gradus autoritate,penſata quocp materiæ inſtituti qualitate. Magni enim facienda eſt August. eccleſiaſticorum patrum autoritas, vt Auguſtinus ait libro cõtra Manichæos,quam ab ipſis fundatiſſimis apoſtolorum ſedibus vſcp ad hodiernum diem ſuccedentiũ ſibimet epiſcoporum ſerie,& tot populorum conſenſione firmatur. Beatus quocp Gregorius ſtatuta quatuor ſynodorum generalium venerari ſe dicit,vt quatuor euangelia: Quia (inquit) dum vniuerſali ſunt conſtituta conſenſu,ſe & non illa deſtruit,quiſquis præſumit abſoluere quos ligãt, vel ligare quos abſoluunt. cõfirmante hoc alio Nazianzenus. magno Gregorio Nazianzeno,cap. Suſcipitis. item Auguſtino ad Petilianum,cap. Si in adiutorium. Item quocp Gregorius diſtin. xij. Præceptis Causa 2 quæst. 1 non dura ſuperbia reſiſtatur,quæ a ſancta Romana eccleſia & apoſtolica Damas. autoritate iuſſa ſunt. S. Damaſus blaſphemos in ſpiritum ſanctum appel- Vrban. lat,qui contra ſacra inſtituta non neceſſitate cõpulſi, ſed libenter aliquid aut proterue agunt,& loqui præſumunt. D. quocp Vrbanus,ſummũ Pontificem poſſe condere nouas leges,plane affirmat:ſed vbi euangeliſtæ aut Vrban. cap. sunt quidam. ſancti patres aliquid omiſerũt. Vbi vero inquit aperte Dominus vel eius apoſtoli,& eos ſequentes ſancti patres ſententialiter diffinierunt, ibi non Zozim. nouam legem Romanus pontifex dare, ſed potius quod prædicatũ eſt, vſcp ad animam & ſanguinem confirmare debet. id quod D. Zozimus apertis verbis declarat: Contra ſtatuta (inquit) patrum audere aliquid vel mutare,nec huius quidem ſedis poteſt autoritas, apud nos enim in conuulſa radicibus viuit antiquitas,cui decreta patrũ ſanxere reuerentiam.

Nec

Nec permittit D. Gregorius, vt ſucceſſor Pontificis laudabilia inſtituta eneruet prædeceſſoris, quia tunc (inquit) non conſtructor ſed deſtructor cenſebitur, ſi ergo pontificibus non licet maiorum ſuorum laudabilia inſtituta pro Eccleſiæ vtilitate ſancita violare, quanto minus licebit priuatis hominibus ſuperba temeritate in maiorum Traditiones irrumpere. Gregor.

Dixi notanter laudabilia & vtilia inſtituta, quia ſcio multa eſſe in diuerſis Eccleſijs, quorum nulla pia ratio cõſtare poteſt, oneroſa quidem, et nullius frugis, quorum non eſt tanta habenda ratio, vt inferius probabimus.

Habemus igitur ex his quę a ſexta aſſertione vſq; nunc dicta ſunt, tres fontes Traditionũ, puta diuinum magiſteriũ, apoſtolicum & epiſcopale, Traditiones autem quæ ex his fontibus emanarunt, quaſdam eſſe vniuerſales, quaſdam particulares ſicut & ipſi epiſcopi, particulariũ vero quaſdam eſſe vtiles, quaſdam vero oneroſas & nullius frugis, quę Auguſtinus ad Ianuariũ optime videtur collegiſſe, vt inferius videbimus. Nec hæc diuerſitas traditorum fidei integritati, & Eccleſiæ vnitati aliqua ex parte derogat. Nam vt magnus Gregorius docet epiſt. ad Leandrũ, in vna fide nihil officit Eccleſiæ ſanctæ cõſuetudo diuerſa. Idipſum confirmante D. Auguſtino. Etſi fidei (inquit) vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebretur, nullo modo quod in fide verum eſt, impeditur. August. Gregor. August.

SEPTIMA ASSERTIO.

Non omnes ſanctas Traditiones æqualis ponderis & autoritatis eſſe.

EAm ex his (quos deſignauimus) ſanctarum Traditionum fontibus præcipuis, incipit clareſcere differentia in traditis & inſtitutis, nec non ponderis & autoritatis inæqualitas, Si enim quędam a Domino Ieſu Chriſto, et ſpiritu eius per apoſtolos ſpecialiter diſponente in Eccleſia tradita ſunt, & inſtituta, quędã ab ipſis apoſtolis priuato ſpiritu introducta, quædam vero ab apoſtolorum ſucceſſoribus & Eccleſiæ præſidentibus ſanctis patribus Eccleſiæ demandata, non poteſt non eſſe inter hæc omnia magna latitudinis differentia, diuina enim autoritas longe prędſtantior eſt, quacunq; pure humana autoritate. Inſuper apoſtolico magiſterio plus debetur honoris & reuerentiæ cæteris paribus quam epiſcopali. Nam licet apoſtolis et ſucceſſoribus eorũ, ęqualiter dictum ſit. Hoc facite in meam cõmemorationem: Accipite ſpiritũ ſanctum, quibus remiſeritis peccata, remittuntur eis, etc. Item quæcunq; alligaueritis ſuper terrã, erunt ligata et in cœlo. Per quæ manifeſto concluditur, ęquã eſſe poteſtatẽ, quantũ ad regimẽ Eccleſiæ attinet in apoſtolis et epiſcopis, longe tamen maior fuit ſanctis apoſtolis autoritatis acceſſio, quam in poſterioribus epiſcopis, eo quod Chriſtũ ipſum Deũ noſtrũ viderunt,

viderunt,& cum ipſo conuerſati ſunt,quod primi lapides ſtructuræ eccleſiaſticæ fuere:quod vitæ ſanctimonia & miraculorum claritate, magnoq; lumine ſpiritus a Deo illuſtrati ſunt,atq; diuino robore cōfirmati. Ipſa etiam ratio naturalis de hac diuerſitate nos inſtituit. Maior enim eſt autoritas in Imperatore,quam vel in proconſule,vel præfecto quolibet, etiamſi vices eius gerat. Data quoq; paritate,plus offendit, qui principē ipſum ſupremum paruipēdit in ipſa perſona, quam in eiuſdem miniſtro, quare cęteris paribus ex parte differentiæ autoritatis inſtituentium Traditiones,emergit clare differentia in ipſis traditis & inſtitutis, quantū ad obſeruationem.

MATERIA ETIAM TRADITIONUM conſideranda.

Sed cum doctrinæ maieſtas atq; autoritas,non pendeat ſolum ex autoritate inſtituentis aut promulgantis, ſed ex eorum quę traduntur & dicuntur qualitate. Attendenda etiam eſt materia circa quam verſantur Traditiones, propter cuius diuerſitatem acceſſit etiam illis non parua diuerſitatis differentia, quantum ad obligationem. Non enim omnia quæ tradita ſunt circa eandem materiā verſantur,ſed quædā materiam inuariabilem concernunt, vtputa formā aut materiam venerabilium ſacramentorū, diuinæ ſcripturæ intellectū, credibiliaq; aliqua ad ſalutem neceſſaria:quędam vero circa variabilem, quæ pro loco,tempore & perſonis,aliiſq; penſatis circūſtantiis,ad Eccleſiæ vtilitatem mutari et variari poſſunt,prout in multis factū cernimus, velut eſt inſtitutio de non edendo ſuffocato & ſanguine,de publica pœnitentia,de electione epiſcopi & presbyteri & diaconi,de Euchariſtia tradēda recens baptizatis,cūius quidem rei illuſtre exemplum habes apud
Cypria. Cyprianum. De guſtatione mellis & butyri, quæ pręcipiebatur nouiter
Tertull. regeneratis,meminerunt Tertullianus. & D.Hieronymus aduerſus Lu-
Hieron. ciferianos. Quod diebus dominicis ſtātes oremus. Sexta quoq; ſynodus
6.ſynod. meminit dicens,eſſe apoſtolicū inſtitutū, vt poſt ſuſceptum lauacrū ſacroſanctum,quod per totam hebdomadā Chriſtiani a lauacro quotidiano abſtinerēt. Tertullianus lib. de corona militis,vt ad memorias martyrum panis et vinum deferatur,quod Auguſtinus lib. vi. confeſſionum refert ab Ambroſio fuiſſe abrogatum,& multa id genus alia, quæ Eccleſiæ autoritate prohibente vel diſſimulante, vel contraria aliquando ſtatuente iterū pēſata qualitate atq; natura, propter ipſius Eccleſiæ vtilitatē reſciſſa,& obliterata ſunt. Igitur cum obiectorum differentia et inęqualitas,iuxta philoſophiæ principia inæqualitatem & differentiam inducat in his quæ de ipſis enunciantur atq; tradūtur, conſtetq; materiā neceſſa-

riam

riam vel inuariabilem,longe honorabiliorem eſſe, quam ſit contingens aut mutabilis,alijs manentibus paribus (diuturniora enim & magis neceſſaria,temporarijs & variabilibus iuxta topicam regulam præferenda ſunt)manifeſtum ſit,magnam latitudinem inæqualitatis, intra hunc Traditionum campũ contineri. Vnde noua rurſus emergit differentia, quantum ad neceſſitatem obſeruantiæ ſanctarũ Traditionũ. Non enim(quãuis ad omnes teneamur,interim dum publica autoritate quaſſatæ nõ ſunt, ſed integra manet adhuc earundẽ ratio)in æquali gradu cogimur omnia obſeruare,ſed ea duntaxat quæ magis neceſſaria ſunt, & maioris autoritatis, cautius & diligentius, maioriq́ obſeruantia & reuerentia digna ſunt, quemadmodum præcepta iuris naturæ,aut diuina,plus debent obſeruari & venerari, quam mere humana: quod ipſa ratio ſi conſulas, dictat. Ariſtot. in topicis.

Quo fit vt ex ſola æqualitate vel excellentia tradentis & inſtituentis minime arguere liceat in Traditionibus æqualitatem excellentiæ, & neceſſitatem obſeruantiæ earundem,nec pendere ſolũ ex autoritate tradẽtis,cum nõnulla ſint(vt monſtrauimus)in Eccleſia per apoſtolos introducta,quæ iuſtis de cauſis hodierna Eccleſia nõ tenet,rurſusq́ multa alia, quæ ab eiſdẽ accepimus,quæ perpetuo ſancta Eccleſia tenuit, et magnopere venerata eſt,quod ex diuerſa traditorũ qualitate prouenire in aperto eſt.Audi ſi placet ſuper hac re ex actis apoſtolorum perquam illuſtre petitum teſtimoni: Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, nil vltra imponere vobis oneris,quam hæc neceſſaria,vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorũ, & ſuffocato, et ſanguine,et fornicatione,a quibus cuſtodiẽtes vos bene agetis.Hic ſi inſtituentiũ autoritatẽ ſpectes in his quatuor,quæ ſub neceſſitate præcipiuntur,nullam differentiam inuenies,idem eſt ſpiritus ſanctus mouens inſtituentium corda,idem apoſtoli, vno eodemq́ tẽpore,& ſub eodem decreto,decernẽtes.Idem præterea iuſſionis modus, æqualiter enim iubentur nomine neceſſitatis, eodemq́ tenore verborũ, Eccleſijs quatuor illa tradita ſunt et cõmendata. Attamen propter materiæ diuerſitatem,non fuerunt æqualis ponderis & neceſſitatis, nec ab Eccleſia,nec ab ipſis apoſtolis ſemper reputata.Cũ enim illa tria.ſ.abſtinẽtia ab immolatis,ſuffocato & ſanguine,iudaicã ſeruitutem ſaperent,reſq́ per ſe adiaphoræ et nullius frugis eſſent, ac tantũmodo pro bono pacis Eccleſiæ,quæ tunc erat ex Iudæis (qui mordicus iſta tenebant) & ex gentibus coadunatæ, vtque ſuperſtitioſorum & infirmorum Iudæorum ſcandala tollerentur, ac demum ſynagoga cum honore (iuxta Auguſtinum) ſepeliretur, inſtitutæ fuiſſent, his cauſis variabilibus quæ tunc emergebant, poſtmodum ceſſantibus, ceſſare etiam debuit vis eorum quæ tradebantur. Obtinuerunt autem illa tria præcepta in Eccleſia robur, quouſq́ plene cognitũ fuit IESV CHRISTI Domini noſtri Acto. 15

inexti-

inextimabile beneficium,& ſufficientia iuſtitiæ & magnificentia euange
lij eius: poſtea vero annis vix ducentis in eccleſia ſaltem Occidentali du-
Tertull. Cypria rauerunt, quorum (ni fallor) Tertullianus in libro de pallio, & D. Cypri-
anus lib. de duplici martyrio, inter latinos doctores meminerunt poſtre-
Roma. 1 mi. At quorſum ego in oſtendenda horum præceptorũ diuturnitate mo-
1. Cor. 8 ror: cum Paulus apoſtolus magnus euangelicæ libertatis vindex, de hiſce
ipſis loquens, ſecuram dicit conſcientiam illorum, qui idolothita mandu-
cant, modo ſine puſillorum ſcandalo id faciant: Omnia (inquit) munda
ſunt mundis, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. Et
alibi de eiſdem loquens, dicit: Eſca nos non cõmendat Deo: neq; enim ſi
manducauerimus, abundabimus: neq; ſi nõ mãducauerimus, deficiemus.
Cæterum præceptum de abſtinendo a fornicatiõe, tanquã puritati Chri-
ſtianæ conuenientiſſimũ, et iuri naturæ valde conſonũ, vires ſuas ſemper
obtinuit, & obtinebit in vniuerſa Eccleſia Dei. Nec per huiuſmodi quaſ-
ſationem aliquid derogatum putes apoſtolicæ autoritati, et ſpiritus ſancti
magiſterio: tum quia ipſi apoſtoli noluerunt hæc in omne tempus obſer-
uari debere, ſed tantiſper dum Eccleſia adoleſcebat, propter iam dictas
cauſas: quibus ceſſantibus, vtpote quæ neceſſarię nõ erant, nihil mirum ſi
Autoritas Eccleſiæ in re firmãdis aut abrogãdis ſtatutis apoſtolicis. ceſſaſſet etiã inſtitutorum vis et obligatio: tum etiã quia in Eccleſia ſancta
Dei eſt, & vſq; ad finẽ ſeculi erit, diuinitus promiſſa ſpiritus ſancti aſſiſtẽ-
tia, & collata a Deo autoritas, qua poteſt pro loco & tempore, alijs circũ
iacentibus conſideratis, ad ſuam vtilitatem & Dei gloriã, Traditiones
quæ de materia variabili & minus graui ſunt, moderari. Quanquã hoc
non a quibuslibet priuatis hominibus & rudi plebe temere debet attẽtari,
quibus datum tantum eſt vt paſcantur atq; regantur: ſed ab ipſis Eccle-
ſiæ præſidentibus, quibus Deus ſuam Eccleſiam excolendã & guberman-
dam cõmiſit, dũmodo maturo iudicio ꝓuio, & καὶ μετὰ τῆς ἐπιεικείας moderato
grauitate comite, timore Dei ob oculos poſito, Chriſti gloriam et Eccle-
ſiæ, cui pręſunt vtilitatem pretendant, non priuata cõmoda, vt hodie fit.
Omnia enim ſecundũ ordinem fieri Paulus docet: neq; eſt data Eccleſiæ
præſidentibus poteſtas a Deo ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, et
ſanctarum Traditionũ et legum obſeruationem, quarũ directioni ſubie-
cti ſunt ipſi quoq; Pontifices. Latiſſimus hic ſe nobis aperiebat campus,
de obligatione obſeruantiæ legum eccleſiaſticarũ: ſed conſideratio hæc
ampliorem locũ expoſcit. nunc ſufficiat fontes ipſos demõſtraſſe, quibus
prælibari poteſt differentia ponderis & inęqualitatis Traditionũ, qui ſunt
inſtituentis autoritas, & materiæ de qua agitur, qualitas. Vtraq; enim pẽ-
ſanda ſunt, ſi de re tã graui nolumus leuem aut iniquã cenſuram proferre.

Eſt etiam in huiuſmodi Traditionibus & inſtitutis, & obligatiõe ea-
rum attendenda intentio inſtituentium, quæ multoties ex tenore verbo-
rum inſtitutionis conſtat, quædã enim præcipiuntur, quædam conſu-
luntur

ſuntur,quædam vero nonnunquã permittuntur generaliter cum inſtituto alicui apponitur excõmunicationis cõminatio,aut verbum aliquod quod præcepti præ ſe ferat ſignificationem,(ſemper præſuppono inſtituti rectitudinem) non eſt dubium quin conſcientias obliget ſubditorum, maxime ſi de materia graui ſit:in alijs vero inſtitutis non ita.

Diſpiciendus quoque cum in hoc peccatur aut delinquitur,ad peccati grauitatem perpendendam in eo qui Traditionibus contrauenit,animus eius qui delinquit,vtputa ſi ex contemptu aut data opera,fragilitate, metu aut ignorantia,quibus omnibus penſatis, facile de obligatione traditorum & inſtitutorum Eccleſiæ,item de peccatorum eorum qui in ea delinquunt grauitate iudicabit exercitatus Theologus:de quibus ad longũ pertractare non eſt noſtræ conſiderationis,ſat eſt fontes ipſos demõſtraſſe,quibus differentia ponderis ſanctarum Traditionum dignoſci poſſit, ſimul & obligatio.

Vnde facile deprehendet ſenſatus lector,id quod dicũt aduerſarij,nos ſ.docere omnes Traditiones de ſubſtantia pietatis eſſe, eaſque ad ſalutẽ animi neceſſarias,meram impoſturam et calumniam eſſe. Cõmonſtrauimus enim magnam eſſe in illis latitudinem diuerſitatis, tam ex parte inſtituentium aut tradentium,quam ex parte materiæ de qua ſunt. Atque hoc ſufficiat circa hanc aſſertionem dixiſſe,quod ad aſſertiones ſequentes,vbi de particulari robore ſanctarum Traditionum iuxta partitionem dudum a nobis poſitam agetur,quaſi præludium eſt.

OCTAVA ASSERTIO.

TRADITIONES ECCLESIASTICAE PARTIcularium Eccleſiarum vel locorum, quæ pietatem nec promouent, nec conſeruant, nec ad retinendum eccleſiaſticæ politiæ ordinem conducunt,quamuis oneroſæ et nullius frugis,modo contra pietatem non ſint(ſi ſine ſcandalo reſcindi non poſſunt)retinendæ ſunt.

NOtanter dicit aſſertio, huiuſmodi Traditiones retinendas, quando ſcandalum puſillorum ſubeſt, quia vbi ſcandalum ceſſet poſthabendæ ſunt. Eſt enim contra euangelicam libertatem onerare conſcientias fidelium, preceptiunculis ijs, quæ cũ nihil pietatis præ ſe ferant, laqueos conſcientijs parant,& iudaicam quandam ſeruitutem inducunt. Dicit enim Auguſtinus lib.ij.ad inquiſitiones Ianuarij,cap.xix.qui liber inter epiſtolas circunfertur,& eſt numero cxix. Omnia talia quæ neq; ſanctarum ſcri- Aug.

ptur arum autoritatibus continentur,neq; in concilijs epiſcopo⁊ ſtatuta inueniuntur,neq; conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variātur, ita vt vix aut omnino nunquā inueniri poſſint cauſæ, quas in eis conſtituendis homines ſecuti ſunt, vbi facultas tribuitur, ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo. Quamuis enim neq; hoc inueniri poſſit, quomodo contra fidē ſint, ipſam tamen religionem q̄ pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum ſacramentis miſericordia Dei liberam eſſe voluit, ſeruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior ſit conditio Iudęorū, qui etiamſi tempus libertatis nō agnouerint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubijciūtur. Hęc Auguſtinus, qui paulo ſuperius eodem in capite dixerat: Hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, vt grauius corripiatur, q per octauas ſuas terram nudo pede tetigerit, q̄ qui mentē vinolentia ſepelierit. Ex hoc itaq; exēplo, q̄d Auguſtinus adfert, manifeſto conſtat mentem horum ſanctor⁊ in hiſce verbis ad hoc ſolū extēdi, vt Traditiōes de rebus friuolis et indifferētibus, ab Eccleſijs reijcerentur, nihilq; in p̄ſenti loq de ijs, q̄ aut per ſe malę ſunt, aut cōtra eas q̄ religionē aliqua ex parte promouent. De malis em̄ cōcors eſt omniū ſancto⁊ ſentētia (neq; in hoc aduerſarij diſcrepāt ab Eccleſia) quācunq; robore vetuſtatis firmatas reſcindi debere, nulla ratione ad ſcandalū adhibita, quales ſunt naturam cibo⁊, q̄s Deus creauit, tanquā p ſe malā execrari, matrimonia dānare, quorū Hieron. ſuper Malach. cap. ij. meminit. Admonet nos huius rei D. Cyprianus in epiſt. ad Pompeiū dicens: Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt, propter quod relicto errore ſequamur veritatē, quas ipſe Traditiones malas appellat. Etiā ſanctiſſimus Athanaſius in cōmentarijs ſuper epiſt. ad Hebręos, doctrinas peregrinas, a quibus corda fideliū abduci perſuadet Paulus reijcere iubet. Aduerte aūt diligenter, quod vir ſanctiſſimus Auguſt. in fine iam citati capitis addit: Eccleſia Dei inter multam paleā, multaq; zizania cōſtituta multa tolerat, & tamen quæ ſunt contra fidē vel bonam vitā, nō approbat, nec tacet, nec facit. Quis dubitat tēpore q̄ hic vir ſanctimonia & doctrina clariſſimus erat legē cœlibatus, miſſam venerandā, & alia multa, quæ aduerſarij tanquā legi diuinę cōtraria execrantur, in Eccleſiam fuiſſe introducta? Ad oculum ſane demonſtrauimus in ſuperioribus omnia hęc quę impia iſti ore blaſphemo eſſe prædicant de apoſtolico prodiſſe magiſterio. Ac doctor quidem hic ſanctiſſimus aperto ore fateri audet, in Eccleſia Dei nullam conſuetudinem Traditionis, contra fidem & Chriſtianam religionem ſuo tempore fuiſſe admiſſam.

Hieron.

Cypria.

Athanaſ.

Quo fit vt impia ſit autoris Auguſtanę confeſſionis diſtinctio, quam de ſanctis Traditionibus poſuit. Dixit enim quaſdam ex ijs pugnare cū

lege

lege diuina,exemplum ponens de ſacro cœlibatu: quaſdam vero eſſe ex rebus ſuapte natura adiaphoris,quæ infringi poſſunt atq; omitti ſine peccato. Primo diſtinctionis membro vniuerſus ſanctorum patrum chorus cōtradicit,præcipue vero vnus ſanctiſſimus Auguſtinus,cuius autoritas plus ponderis habet ꝙ vniuerſa Lutheranorum & Zuinglianorum conuenticula. Negat enim in Eccleſia quicquā eſſe receptum, quod impietatem ſapiat: tantū abeſt,vt impium ſit quod ipſa tradit. Alterum vero mēbrum, quo ipſe deceptus,omnia (pręter impia iſta quæ dicit) in Eccleſia tradita ſub nota indifferentiæ concludit,ſatis iam in pręcedentibus de manifeſta falſitate conuicimus; Addit tamen vir probus ille mendaciū mendacio, vbi enim dixiſſet omnia hæc liberas habere obſeruationes, & hęc libertas (inquit) non fuit patribus ignota. Auguſtinus enim dicit totum hoc genus rerum liberas habere obſeruationes. Vbi ſunt illi patres o bone,qui iſti falſæ tuæ ſententię ſubſcribunt? cur nō eos allegaſti ſuper re tā graui atq; difficili,in qua cum tota Eccleſia pugnatis? Putaſti nos ſono duntaxat verborum perſuaſum iri, magnificoq; ſanctorum patrū nomine allectos,in tuam pernicioſam ſententiam tam facile poſſe induci? longe aberras. Scimus ſanctos patres a doctrina veſtra [illegible] diſtare, q̄d & partim hactenus cōmonſtrauimus,et in his quæ reſtant adſpirante diuino numine oſtēdemus. Allegaſti patres: cum vnum duntaxat adduxeris,atq; hunc diſtorte et perquam corrupte,qui veſter mos eſt, quoties a ſanctis patribus teſtimonia petitis. Dic mihi bona fide obſecro,vbi habet Auguſtinus vniuerſalem illam de omnibus Traditionibus ſententiam? vbi dicit quod totum hoc genus rerum vniuerſas Traditiones includens liberas habeat obſeruationes? Scio te nullum mihi locum oſtendere poſſe, etiamſi oēs lineas Auguſtini centies legas ac perlegas. Atq; ille de particularibus aut oneroſis Traditionibus in doctrina ſua intellexit,id tu impuriſſime quaſi de omnibus in vniuerſum loqueretur, maligne et perperam es interpretatus: quod vero Auguſtini ſermo quantum ad hunc locū attinet, particularis ſit,et de huiuſmodi indifferentibus et oneroſis Traditionibus ibi loquatur,exemplo quod poſuit,et verbis ipſis, quę illic habet,ſatis innoteſcit. Conqueſtus enim eſt de ijs, quæ pręſumptionibus quibuſdam in Eccleſia inducta eſſent, et quod grauius corriperetur, qui per octauas ſuas terram nudo pede tetigerit,quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Itaq; duo hic repręhēdit ſanctus vir (ſi rem penitus inſpicias) alterū quod inutilibus et indifferentibus inſtitutiunculis abſque alicuius fructus ſpe onerentur fideles: alterum, quod qui in has peccant, grauius corripiebantur, quam qui diuina pręcepta continebant: quod nemo ſanę mentis nō approbat. deniq; non de omnibus,vt tu falſo contendis Auguſtinus loquitur,audi verba ſequentia: Omnia itaque talia, quę neque ſanctarum ſcripturarum autoritatibus cōtinentur,neq; in cōcilijs epiſco

Expenditur ſenſus Auguſtini de Traditiōibus

[Handwritten margin notes: ōmnino; [illegible]; declaratur [illegible]]

m ij porum

porum ſtatuta inueniuntur, neq; cõſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt (attende q̃ magnum numerũ Traditionũ excipiat, ac vide rurſus minimam Traditionum partem, quam concludit. ſ. Traditiones diuerſorum locorum diuerſis moribus variatas, ita vt vix aut omnino nunquã inueniri poſſint cauſæ quas in eis inſtituendis homines ſecuti ſunt) vbi facultas tribuitur (inquit) ſine vlla dubitatione reſecanda exiſtimo. Auguſtinus ergo in hoc loco cõtradicit tuæ ſententiæ: nam tu dixiſti, cunctas Traditiones liberæ obſeruantiæ eſſe, hic vero ſanctus affirmat, non oẽs habere liberam obſeruantiã, cum magnum Traditionum numerum ab hac libertate eximat, quare de mendacio infamaſti ſanctiſſimum doctorem, et in vna et eadem ſententia bis a veritate defeciſti. Obijcies mihi fortaſſis alterum locum Auguſtini libro primo capite primo, ad inquiſitiones Ianuarij, quo tanq; tuopte telo ac gladio iugulaberis: merito enim in caput tuũ vibrari debet, quod tu, quiſquis autor fuiſti tam nefandi ſacrilegij, vſq; adeo maligne et inique ad propoſitum tuum conatus es detorquere: nec adferam, qui tuus mos eſt improbiſſimus, mancam aut mutilã ſententiam, ſed ab ipſo autore fideliter & pure deſumptam: quorſum eñ detrũcatio, niſi ad incruſtanda veſtra tam impia & aperta mendacia? Sic habet Auguſtini locus: Illa quæ per loca terrarum regioneſq; variantur, ſicuti eſt quod alij ieiunant Sabbato, alij vero non, alij quotidie cõmunicant corpori & ſanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt, alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbato tantum & Dominico, alibi tantum Dominico, & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, tertium hoc genus rerum liberas habent obſeruationes, nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentiq; Chriſtiano, quam vt eo modo agat vt agere viderit Eccleſiã ad quamcunq; forte deuenerit. Ex quo loco duo aperte colliguntur: alterum eſt, quod hic ſanctus nõ loquitur de Traditionibus in vniuerſum, ſed de ijs, quæ pro ratione ipſarum Eccleſiarum variantur, quas omnino particulares eſſe locus ipſe manifeſtiſſime indicat: alterum, quod non omnibus permittit huiuſmodi libertatẽ obſeruantiæ, vt pro ſua libidine vnicuiq; liceat reſcindere, ſed ijs duntaxat, qbus cum illis Eccleſiis nulla neque cõſuetudo eſt, neque cõmercium, quare relinquitur aperte cõuictus hic falſarius. Iam quod ratio haberi debeat ad ſcandalũ puſillorum in reſciſione Traditionũ inutiliũ, quę per ſe malę nõ ſunt, oĩs Ieſu Chriſti doctrina, & vere Chriſtiana vita, quæ in ædificatiõe proximorũ tota verſatur, hoc poſtulat. Grauiter eñ cõminatur Chriſtus ijs, qui ſcandala puſillorũ contemnunt, Matth. xviii. dicens: Si quis ſcandalizauerit vnũ de puſillis iſtis minimis qui in me credũt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, et demergatur in profundũ maris. ſunt autem puſillorũ ſcandala potiſſimũ, quando ex infirmitate conſcientiæ ipſorũ, in his adhuc, quæ per ſe mala non ſunt, ſed mali ſpeciem quandam

Expenditur alius locus Auguſtini.

Matt. 18

Puſillorum ſcandala.

quandam præ ſe ferunt,ædificantur ad gehennā. Eſt de hac re beatiſſimi Rom. 14
Pauli doctrina percelebris,& huic noſtro propoſito ſatis accōmoda: quē vtinam audire vellent noui iſti euangeliſtæ,vt ſunt toti Paulini,ſuper his quæ magno cum ſcandalo totius Eccleſiæ reiecerunt: Si propter cibum (inquit)contriſtatur frater tuus,iam non ſecundū charitatem ambulas: noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt: noli propter eſcam deſtruere opus Dei;omnia ſunt munda mundis,ſed malum eſt homini qui per offendiculū manducat.Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinū,neq; in quo frater tuus offenditur aut ſcandalizatur, aut infirmatur.Clare hic dicit Apoſtolus abſtinendū eſſe aliquando ab indifferentibus,et ne onerofis inſtitutionibus repugnemus cum proximorum noſtrorum ſcandalo,loquitur enim illic de inſtituto abſtinentiæ ab immolatis: ſed quia multi gloriabantur ſcire ſe illa nihil ad pietatem conferre,ſed onerofa plane eſſe & libertati Chriſtianę aduerſa. Subiungit ſanctus Apoſtolus:Tu fidem habes apud temetipſum,habe coram Deo, beatus qui ſemet iudicat in eo quod probet.ac ſi clarius diceret:Non ſufficit tibi ad hoc vt peccatum caueas,quod cognitionem et conſcientiā habeas de illorum inſtitutorum qualitate, tanquā quæ conſcientiam tuam non obligent,niſi coram Deo teſtimoniū habeas, te ea quæ ędificationis ſunt proximorū,ſectari.Non enim beatus eſt & a reatu liber, qui ſemetipſum & vitam ſuā,per hoc quod ipſe probat,ſolum moderatur,quin potius plane miſer eſt,ſuperbus,et aſſecla diaboli. Ille vero beatus eſt,& ad Chriſti ſcholam pertinet,qui ad charitatis normā,& proximorū ędificationem,actiones ſuas tanquam ad perpendiculum dirigit. Hoc eſt enim ex fide, charitate formata operari. et ad hoc propoſitum paulo ſuperius dixit Apoſtolus,quod ſcientia inflat, ſi ſola ſit: charitas vero ædificat, id eſt,ædificationem proximorū intendit,& infirmorū ſcandala vitat. Huc etiam pertinet illud 1.Cor. x. cum in hunc eundem locū incidit ſanctus 1.Co.10.
Apoſtolus:Omnia(inquit)mihi licent,ſed non omnia expediunt: omnia mihi licent,quantum ad hæc attinet,ſi libertatem euangelicā ſpectes:Sed non omnia expediunt,ſi ad ędificationem proximorū rationem habeas. Et addit:Nemo quod ſuum eſt,quęrat: ſed quod alterius,hoc eſt, nemo hoc ſolo ſit contentus,quod cognitionē habeat apud ſe huiuſmodi ritus conſcientiam non ligare:ſed ſi Chriſtiane ſapit, infirmorum quoq; conſcientiæ,qui iſtorum tranſgreſſionem illicitā putant,conſulat.quomodo autem infirmorū cōſcientia lædatur,paucis verbis ſubindicat in eo quod ſequitur:Si quis dixerit,hoc eſt immolatū idolis,nolite mādùcare, propter illū qui indicauit, & propter conſcientiā fratris.ſ. ne lædatur facto tuo,& ad agendū contra id quod putat eſſe illicitū inducatur. Poſt vero induens Apoſtolus perſonam hominis licentioſi, qui ſolo conſcientiæ ſuę dictamine contentus,nil de proximorū ſcandalis curat,adiecit: Si ego cū

m iij gratia

gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago? Reſpondet
Apoſtolus: Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, omnia in gloriã Dei facite.
exponenſq; quid per hæc verba velit, ſubnectit: Sine offenſione eſtote lu-
dæis & gentibus, & Eccleſiæ, ſicut et ego per omnia omnibus placeo, non
quęrens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. quibus verbis
aperte declarat Apoſtolus, neminẽ poſſe ad gloriã Dei aliqd operari, qui
in huiuſmodi rebus ad ſuam tantum opinionem reſpexerit, nihil de ſcan-
dalo vel ſalute proximorum ſollicitus. In viij. tamen cap. huius epiſtolæ,
aperte licentioſos iſtos monet, & q; male agant in vſu huiuſmodi liberta-
Cori. tis ſpecialius declarat: Videte (inquit) ne forte hæc licentia veſtra offendi-
culum fiat infirmis. Si enim quis viderit eũ, qui habet ſcientiã (quod hæc
.ſ. in ſe nullius momenti ſint) in idolio recumbentẽ, nõne conſcientia eius
(ſcilicet infirmi qui videt) cum ſit infirma ædificabitur ad manducandũ
idolothita? & peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quẽ Chri-
ſtus mortuus eſt. quare? nõ niſi quia facti tui libertate, inuitabitur ad agẽ-
dum contra id quod eius conſcientia illi ſuadet non eſſe faciendũ. Et con-
cludens Paulus, dicit: Sic autem peccantes in fratres, et percutientes eorũ
conſcientiam infirmam, in Chriſtũ peccatis: quapropter ſi eſca ſcandali-
zat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meũ
ſcandalizem. Hęc ſacratiſſimus apoſtolus diſſerebat de iudaicis ritibus, q
iam per Chriſti mortem aboliti erant. quid hac noſtra tempeſtate putas
diceret, ſi nouorum iſtorum euangeliſtarum carnalem licentiam cerneret,
qui nihil curantes de totius Eccleſiæ ſcandalo, & proximorum ruina, nõ
indifferentes duntaxat, & particulares ritus (quos neq; paruum piaculum
eſt, priuata autoritate publice paruipendere atq; reſcindere) ſed in apoſto-
lica inſtituta, Chriſti conſilia, et vetuſtiſſimas eaſdemq; vniuerſales Tra-
ditiones, contra charitatem et propriam conſcientiam agẽtes, petulanti li-
bidine irruperunt? Vix mihi perſuadere poſſum, modo iſti fidem ſaltem
mortuam teneant, ex conſcientia agere quæ agunt, niſi quod indurati ho-
mines animum ad malum deſpondentes proteruiam iam fecerunt. Nam
quod maius indicium dari poteſt mentis diabolicæ, et prorſus a Chriſti
corpore alienæ, quam de Chriſtiana pace, et charitatis vinculo non cura-
re, imo eam falſo pietatis prætextu impugnare, et de Chriſto contra Chri
Auguſt. ſtum armari? Non permittit Auguſtinus libro primo ad inquiſitiones
Januarij conſuetudinem quę in melius cõmutari poteſt, conuelli, quando
ipſa nouitas et mutatio perturbationem in Eccleſia poteſt inducere: quã-
to minus ea permitti debent vt irritentur, quæ præter hoc quod perniciẽ
et incõmodum in Eccleſia non inducunt (imo multa ex eis pietatem au-
gent et religionem conſeruant) tanto robore, tanta autoritate, tanta anti-
Synod. quitate, in vniuerſali et ſancta Eccleſia inualuerunt. Recte de huiuſmodi
Tolet. 12 graſſatoribus et perturbatoribus ſancta quædam ſynodus Toletana di-
cit,

cit,libertatis et licentiæ carnalis fructus graphice deſcribens: Maiorum (inquit)inſtitutionibus,auſu temerario contraire, et ſanctorum patrum decreta cōuellere, et ſuperiorum ſuorum effrenata libidine, contra ſanctiſſimi Apoſtoli doctrinam ſanctionibus reniti, quid aliud eſt, quam vinculum ſocietatis Chriſti abrumpere, & vſurpatæ præſumptionis licentia ſtatum Eccleſiæ diſſipare? At qui vinculum Chriſtianæ ſocietatis tollit,vinculo quod abrumpit,non tenebitur. extra Eccleſiam ergo eſt,et ad caſtra ſathanæ pertinet, qui ſanctarum Traditionum materiam propria autoritate cum Eccleſiæ ſcandalo diſſoluit. Qui enim maioribus nō obediunt,& charitatis vincula negligunt,poſthabita proximorum ędificatione, & ſuum proprium fallaciſſimum caput ſequuntur, qui fieri poteſt vt Eccleſiæ membra ſint? Pugnant iſta, & mutuo ſe perimunt: nam ſola inobedientia & contemptus ſanctorum patrum, eos facit filios gehennæ & membra diaboli:non poſſunt habere Deum patrem,vt Cyprianus & Auguſtinus docent,qui Eccleſiam non agnoſcunt, & reuerētur vt matrem. At Eccleſiam non agnoſcere vt matrem, qui ſanctis & antiquis eiſdemq; apoſtolicis patribus tam aperte repugnant, & ſancta inſtituta contemnunt, tam eſt recte ſentientibus manifeſtum, quam ouem ad illius paſtoris ouile non pertinere,cuius vocem non audit, ſed eius regimini renitens, per deuia & inuia, luporum morſibus expoſita vagatur. Neque enim alia ratione idem pater Cyprianus Nouatum ſchiſmatum eccleſiæ Catholicæ membrum eſſe negat, niſi quia cum Eccleſiæ patribus non colligebat, ſed coitiones & conuenticula per ſe faciens,primæ ſedis epiſcopo,ſancto Cornelio,iniuſte repugnabat. Aiunt autem tollerabiles eſſent huiuſmodi Traditiones, ſi cum conſcientiæ onere fidelibus non cōmendarentur,& Chriſtiana iuſtitia in illis non conſtitueretur. Audio excuſationem,ſed non recipio impoſturam. Nouit ſancta Eccleſia,nec opus eſt vt a ſciolis iſtis neq; hac in re,neq; in alijs erudiatur, cultum Dei pręcipuū ab actionibus fidei,ſpei & charitatis ſubſtantialiter dependere,neq; in omnibus,quę per Traditionē ipſa cōmendat,Chriſtianam iuſtitiā collocari,quanquā obedientes, & ex animo illis obtemperantes,non fraudentur ſua æterna mercede. Nouit ad hæc quod et nos demōſtrauimus,qui intra parietes ipſius per Dei gratiā eruditi ſumus,nō omnes Traditiones ęquale pōdus et vim habere,tū ex diuerſitate autoritatis,tū ex grauitate materiæ de quibus ſunt,quāuis omnes obligēt, ad hoc vt non contemnantur interim dum publica autoritate quaſſata non ſunt,cæterum omnes ad iuſtitiam Chriſtianam neceſſarias eſſe,earumq; omiſſiones (contēptu et ſcandalo ſecluſis) grauiter fideliū conſcientientiā onerare: id quod aſſerūt ab Eccleſia doceri,manifeſtū eſt mendacium, nec vllus ꝓfecto doctus et pius in Eccleſia eſt, qui hoc ſentiat,tantum abeſt vt doceat, Quod ſi qui ſuperſtitioſi,et minus docti ſecus docuerint, et

Cypria. epiſt. 8 ad Cornelium. Auguſt. lib. 4. de ſymbolo

ſimplicium conſcientiam ſuo errore infirmã reddiderunt, nullam omnino differentiã inter eccleſiaſticas Traditiones agnoſcentes, ipſi viderint, incuſentur, redarguantur, ſuperſtitioſi et vani vocentur, nec ob id Eccleſia Dei apud vulgus ignominioſe traducatur, pax publica non interturbetur, nec apoſtolica & eccleſiaſtica autoritas lædatur, nec eccleſiaſtica politia (in qua excolenda ſanctiſſimi patres noſtri plurimũ inſudarunt) confundatur, & a ſuis fundamentis conuellatur. Longe enim facilius erat (quamuis vtrumq; iure fieri ab ijs potuiſſet, id quod negamus, vtpote priuatos homines poſſe facere) ſimplices deceptos admonere, & ad viam veritatis verbo ſeu ſcripto reducere, doctoreſq; ſuperſtitioſe docẽtes, redarguere: quã vniuerſum ſtatũ Eccleſiæ cũ tanto ſcandalo immutare. Quod ſine dubio iſti noui apoſtoli feciſſent, ſi a ſpiritu Dei, & non ſathanæ ad nouitates ſuas diſſeminandas agitati fuiſſent. Non enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis: qui per apoſtolum ſuũ Chriſtianos docet ſolicitos eſſe debere ad ſeruandã vnitatẽ ſpiritus, in vinculo pacis. Has Traditiones cõmendabat Auguſtinus, quando libro primo capite ſecundo, ad inquiſitiones Ianuarij dicebat, quod neq; contra fidẽ, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorũ inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum.

August.

NONA ASSERTIO.

Traditiones particulares conſuetudine fidelium obfirmatæ, ad cultum Dei, et pietatem pertinentes, neceſſario in illa Eccleſia vbi vigent, retinendæ ſunt.

HVius aſſertionis veritas ſatis patet, tũ ex his quæ diximus, tum ex his quæ de mente ſanctorũ dicemus. Qui enim Traditiões contemnit, vel non obſeruat, ſcandalũ generat, tanto magis pernicioſum illo quod in tranſgreſſiõe indifferentiũ traditorũ perpetratur, quanto materia pietatis, & laude digna, excedit materiã indifferentẽ & inutilem. Itaq; non ſolum ex parte pacis & neceſſitudinis inter eos, inter quos viuitur conſeruandæ neceſſe eſt non contẽnere, ſed etiã ex parte dignitatis eorum quæ traduntur, omitti non debent: adde quod non parua eſt obligationis acceſſio ex parte autoritatis maiorũ inſtituẽtium, quibus non obedire peccatũ eſt, quia Dei ordinationi, vt Paulus dicit, reſiſtitur. de quibus ſic docent ſancti Eccleſiæ patres:

Rom. 3

Diuus Ambroſius libro de pœnitentia: Totum (inquit) decet quicqd religioni defertur, vt nullum obſequiũ, quod ad cultum et obſeruantiã Chriſti pertinet, erubeſcamus. Parum tamen hoc eſſet, niſi de earum obligatione et neceſſitate alios ſanctos patres loquentes audiamus.

Ambro. libro de pœnitentia.

Diuus Auguſtinus libro ſecundo ad inquiſitiones Ianuarij ſupra citato

Auguſt.

tato cap. xviij. hoc modo docet: De his quæ varie per diuerſa loca obſeruantur, tibi aliqua ſcribere nō eſt neceſſarium: vna in his ſaluberrima regula retinenda eſt, vt quę non ſunt contra fidem nec contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunq; inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed et laudando & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum ſit. Si enim eo modo impediat, vt maiora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, q̃ calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt, maxime illud quod etiam de ſcripturis defendi poteſt, ſicut de hymnis & pſalmis canendis: cum & ipſius Domini, & apoſtolorū habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam vtilia. Sed ne de more ſuo cauilletur hæreticus, dicens regulam ſeruandæ Traditionis ex ſcriptura debere deſumi, aduertat duo: Primum quod nō excludit, imo accipiendas eſſe dicit Traditiones, quæ ex ſcriptura nō trahuntur, ſed ex ſcriptura deductis ampliorem tribuit honorem: Alterum, quod multum inter ſe differunt, ab exemplo ſcripturæ aliquid ſtabiliri, et ex ipſa ſcriptura argumento neceſſario aliquid deduci: nam a ſcripturæ exemplo trahi poteſt laudabile eſſe totam noctem in oratione perſiſtere, quod Chriſtum ducem noſtrum egiſſe apud Lucam legimus, & tamē ex ſcriptura non trahitur illud debere fieri. Primum affirmat Auguſtinus de Traditionibus & non ſecundū: itaq; nihil habent ex Auguſtino quo poſſint nos vrgere aduerſarij. Sanctus quoque Hieronymus epiſtola ad Lucinium, tractans de ieiunio Dominicæ diei, quod celebrabant Manichæi, cōtra decreta maiorum & Eccleſiæ conſuetudinem, ait: Vnaquæque prouincia, ſuo ſenſu abundat, et præcepta maiorum leges apoſtolicas arbitratur. Quod ſi leges apoſtolicæ exiſtimari debent, neceſſe eſt & eis obedientiæ obſequium exhiberi. Addit tamen diuus Auguſtinus ad hæc verba Hieronymi in epiſtola ad Caſſulanum, clarius ſuper hoc noſtro axiomate iudicium de ieiunio eiuſdem Dominicæ diei loquens: Quiſquis (inquit) hoc die ieiunaſſet, non paruo ſcandalo eſſet Eccleſiæ: nec immerito, in his enim rebus, de quibus nil certi ſtatuit ſcriptura diuina, mos populi DEI, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt, de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum cōſuetudine alios improbare, orietur interminabilis luctatio, quæ cum nulla certa documenta veritatis inſinuet, vtique cauendum eſt ne tempeſtate contentionis ſerenitatem charitatis obnubilet. Aperte hoc loco ſanctus iſte pater conſuetudines maiorum pro legibus habendas eſſe affirmat, omnibus qui in illa prouincia degunt vbi tales conſuetudines vigent, ac ſubinde adſtrictos eſſe bonarum conſuetudinum obſeruantiæ, tum ratione obedientiæ maiorum, tum ratione ſcandali vitandi, & pacis Chriſtianæ cōſeruandæ, licet alijs qui extra illā prouinciā ſunt, liberę ſunt obſerua-

Aug. epiſt. 86.

Auguſt. epiſt.118. obſeruatiõis:quod paulo extenſius docet idem Auguſtinus libro primo capite primo,ad inquiſitiones Ianuarij. Quam ſententiã quamuis paulo ante in ſeptima aſſertione cõmemorauimus,cum tamen ad præſens propoſitum tam aperte & neceſſario facere videretur, viſum eſt eandem hoc loco repetere:Illa(inquit)quæ per loca terrarum regioneſq; variantur,ſicuti eſt quod alij ieiunant ſabbato,alij vero non:alij quotidie cõmunicant corpori et ſanguini Dominico,alij certis diebus accipiũt,alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi ſabbato tantũ & Dominico, & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt,totum hoc genus rerum liberas habent obſeruationes: nec diſciplina illa eſt in his melior, graui prudentiq; Chriſtiano,quam vt eo modo agat, vt agere videat Eccleſiã ad quamcunq; forte deuenerit. Nec te moueat o Chriſtiane lector, quod Auguſtinus dicit hoc loco ab aduerſarijs corrupto,deprauato, ac torto, totum hoc genus rerum liberas habere obſeruationes, vt ex hoc putes ad omnes Traditiones,in vniuerſum ſermonem poſſe deflecti. Cõmonſtratum enim eſt tibi luce clarius ſanctum Auguſtinũ de Traditionibus loqui,quæ per loca terrarum regioneſq; variantur,id eſt, quæ in particularibus Eccleſijs obſeruantur: de vniuerſalibus autem Traditionibus, eiſdemq; apoſtolicis,vel quæ per generalia epiſcoporũ concilia introductæ ſunt,nullum hic dat iudicium,vt ex verbis eius patet: ſed neq; has particulares omnibus liberæ obſeruantiæ ſimpliciter dicit eſſe,ſed illis duntaxat,qui extra prouinciam illam vbi laudabiles illas Traditiones tenẽt, viuunt.In eodem enim libro cap.ij.ſanctus hic pater ſuper hac re Ambroſianam regulam merito magnifacit, aſſertioni noſtræ Catholicæ valde conſentientem:Mater mea(inquit) Mediolanum me conſecuta, inuenit Eccleſiam ſabbato non ieiunantem:cœperat perturbari & fluctuare quid ageret. Tunc ego talia non curabam, ſed propter ipſam conſului de hac re beatiſſimę memoriæ virum Ambroſium. Reſpondit ſe nihil docere me poſſe,niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet, id potius obſeruaret. Cumque ego putaſſem,nulla reddita ratione,authoritate ſola ſua nos voluiſſe admonere,ne ſabbato ieiunaremus,ſubſecutus eſt,& ait mihi:Cum Romam venio ieiuno ſabbato,cum hic ſum non ieiuno: ſic etiam tu, ad quam forte Eccleſiam veneris,eius morem ſerua,ſi cuiquã non vis eſſe ſcandalo,nec quenquam tibi. Et ſubiungit Auguſtinus:Ego de hac Ambroſij ſententia etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui, tanquam eam cœleſti oraculo ſuſceperim.Senſi enim ſæpe dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri,per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem,& ſuperſtitioſam timiditatẽ. Hic obiter aduerte lector, regulam cœleſti oraculo merito comparatam, qua conſulitur non ſolũ timidis & ſcrupuloſis conſcientijs,qui trepidare ſolent, vbi non eſt cauſa timendi, ſed etiam diſſolutis hæreticis obuiatur, ne putent libere poſſe

conuelli

conuelli quæ altis radicibus in Eccleſia tantum inualuerunt, cum vniuſcuiuſq; prouinciæ mores laudabiles in tantum cõmendentur. Et ex Nycena ſynodo memini me legiſſe decretum ſatis pium, quo decernitur vt quælibet Eccleſia ſuos mores veteres retineat, nec inter ſe de ritibus rixentur. *Nycena ſynodus.*

Quod autem de Traditionibus particularibus hic dicimus, de Traditionibus ſynodorum generaliũ tanto maiori ratione intelligendum eſt, quanto maior eſt in totius orbis patribus autoritas, quam in vnius prouinciæ vel Eccleſiæ prꝍſidibus, vt iam tetigimus.

ASSERTIO DECIMA.

TRADITIONES APOSTOLICAE AB VNIuerſali Eccleſia cognitæ atq; ſalubriter receptæ, & vſu iam Eccleſiæ confirmatæ, non minus audiri debent quam ipſa ſcriptura.

APoſtolicas Traditiones eas voco, quas antiquiſſimi ſcriptores Catholici ab apoſtolis deriuatas eſſe agnoſcunt, vel quæ tanta antiquitate pollent, vt fere in ipſa naſcẽti Eccleſia ſeruarent̃, etiã ſi nulla extet in ſcriptura memoria, q̃ ab apoſtolis deriuatas eſſe affirmet. Auguſt. em̃ lib. ij. de baptiſmo cõtra Donatiſtas ca. vij. oĩa fere quæ p̧ vniuerſam Eccleſiã cuſtodiunt̃, quoꝝ cõſtitutio in cõcilijs epiſcopoꝝ non patet, recte ab apoſtolis cõmendata, & tradita eſſe credit: nec ab eo quiſq̃ ſanctoꝝ diſſentit, imo D. Leo hanc ſententiã in verbis confirmauit, in quodã ſermone quatuor temporum. *Auguſt.*

Huius aſſertionis ratio minime obſcura eſt, nam quæ ab eiſdem autoribus emanant (ſi autoritatẽ inſtituentiũ ſpectes) æqualiter obſeruari debent: ab apoſtolis vero vtrumq; emanaſſe, Traditionem ſ. & ſcripturã, abunde in ſuperioribus probauimus. Et Auguſtinus epiſtola centeſima octaua id docet: Non omnia (inquit) quæ facta ſunt ab apoſtolis, etiam ſcripta inueniuntur, veruntamen ſacta eſſe ex certis documentis probantur. Ergo cum non minoris autoritatis fuiſſent apoſtoli cum ſcripturas ſcriberent, quam cum Traditiones oretenus ſuis poſteris cõmitterent, quippe qui eodem ſpiritu ducti, & fideles docebant & Eccleſiam inſtituebant: Sequitur has cum illis veluti magiſterium diuinum debere recipi, quod intelligo (vt ceſſat omnis calumnia) ſimilia ſimilibus comparando, credibilia credibilibus, neceſſaria neceſſarijs, contingentia contingentibus: ad hũc enim intellectum moderandus eſt ſenſus aſſertionis noſtræ, & quicquid ex ſanctorum promptuarijs in medium proferemus. Supereſt iam vt ſcriptura & ſanctorum autoritate, & ſynodorum generalium conſenſu, aſſertionem noſtram comprobemus. *Auguſt.*

Apoſto-

Apoſtolus Paulus non ſemel docet et inculcat Traditiones has eſſe ſeruandas. Tritus ſatis eſt & cōmunis locus,& a nobis ſępe allegatus ſecunda Theſſal. ij. Itaq; fratres ſtate,& tenete Traditiones quas didiciſtis, ſiue per epiſtolam, ſiue per ſermonē. quo in loco æqualiter cōmendat Apoſtolus,& ſub eodē imperio tam quæ per epiſtolam illis tradiderat, quam quæ oretenus ab eo acceperant. Tenete, obligatiōis verbum eſt, quia imperatiuum. Prima etiam Theſſal. iiij. Rogamus(inquit) vos, et obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodū accepiſtis a nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, ſic ambuletis, vt abundetis magis: ſcitis enim quæ pręcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Ecce antequam ad eos aliquid ſcriberet Apoſtolus, tradidiſſe ſe illis aliqua memorat, quæ pręcepta appellat: quod ſi præcepta ſunt, neceſſitatem obſeruationis inducunt. Idem fere dicit ad Corinthios, laudans eos ab obedientia traditorum præceptorum, non ſcriptura, ſed verbotenus acceptorum. Et idē facit in prima epiſtola ad eos miſſa: Laudo vos (inquit) fratres, quod per omnia mei memores eſtis,& ſicut tradidi vobis, pręcepta mea tenetis. Vbi iterum vides præcepta Corinthijs inculcata, quæ ſcriptura canonica minime conſtabant.

Theſſ. 2 · Theſſ. 4 · 1.Cor. 11

Huc pertinet etiam depoſitum illud ſacroſanctum, quod penes Timotheum idem Apoſtolus repoſuiſſe aſſerit, quod non niſi ſanctarum Traditionum recondita quędam doctrina erat, quod ipſum et Tertullianus vult. Pauli verba ſunt: O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum nouitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidā promittentes, circa fidem exciderunt. De quo depoſito clarius idem Paulus meminit ſecundo capite ſecundæ epiſtolæ ad eundem: Tu ergo (inqt) fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, et quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc cōmenda fidelibus hominibus, q; idonei erūt et alios docere. Hic aperte vides et aliam reconditiorem doctrinam ſimplicioribus et imperfectioribus minime cōmunem, coram teſtibus Timotheo diligenter a Paulo cōmendatam, quam etiā vult impartiri ſanctus Apoſtolus, his qui ſufficiētes ſunt alios docere. Hi ſunt loci in Paulo pręcipui, qui ſine vllo inuolucro aut verborum multiplicitate, veritatē noſtræ aſſertionis oſtendunt: neq; mireris obſecro eadem toties occini, cum ſæpenumero vnus atq; idem ſcripturæ locus ad varia ac diuerſa probāda induci poſſit. Succurrit & alius in Paulo locus, neutiquam certe aſpernandus, ſecunda Theſſalonicenſium tertio, quem pro ſeruando Eccleſiæ ordine allegat Cyprianus in fine epiſtolæ tertiæ ad Cornelium aduerſus Nouatianos, qui ſic habet: Pręcipimus vobis in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, et non ſecundum Traditionem quam acceperunt a nobis. Ecce Paulus excōmunicat eos, qui non ſecundum apoſtolicam Traditionē viuebant; quod minime

1.Tim. 6 · Tertull. · 2. epiſt. ad Tim. · 2. Theſſ. 3 · Cypria.

nime faceret, ſi neceſſariæ obſeruationis Chriſtiano non eſſent. Diuus Cyprianus locum hunc applicat aduerſus hos, qui eccleſiaſticam diſciplinam perturbabant, quæ tamen diſciplina (quam Cyprianus & ſancti alij tenebant) in ſcriptura expreſſa non erat.

Item Actuum decimo quinto & decimo ſexto de Paulo & Syla, & Timotheo dicitur, quod perambulantes Syriam & Ciliciã, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab apoſtolis: quorum etſi Lucas obiter poſtea meminit, nihil tamen eis acceſſit, quantum ad obſeruantiæ neceſſitatem, ob id quod ſcripturæ poſtea mandata ſunt, reſpectu illorũ dico, quibus tunc mandabantur. Adde quod ſine ſcripturæ veteris autoritate illa ſtatuerunt apoſtoli, quæ ſub nomine neceſſitatis promulgarũt. Dicunt enim: Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, nil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria. Vides hic neceſſitatem præcepti in his, quæ per canonicas ſcripturas minime conſtabant. Hucuſque ſacra eloquia & recta ratio noſtræ aſſertioni apertiſſimum teſtimonium exhibuerunt, supereſt nunc vt ſanctorum patrum chorus eidem etiam ſubſcribat. Act. 15 & 16.

Diuus Dionyſius Pauli apoſtoli diſcipulus, Athenarumq; (vt Euſebio placet) epiſcopus, vbicunq; de apoſtolicis Traditionibus loquitur, (loquitur autem paſſim & ſæpiſſime ac præcipue in libro de eccleſiaſtica Hierarchia) ſanctas atq; diuinas, alijſq; honorificentiſſimis titulis eas cõpellat. Eſt inter alia pleraque in primo capite eiuſdem libri inſigne de ſanctis Traditionibus teſtimonium, vbi Timotheum ſuum de eccleſiaſtica doctrina perfecte vult inſtruere: Sacerdotij (inquit) noſtri functionem ſanctiſſime fili Timothee auguſtioris eſſe ac diuinæ, & diuinitus indultæ ſcientiæ, actioniſq; ac perfectionis, his qui ſacratioris doctrinæ inſtitutionem ex ſacerdotalibus myſterijs, Traditionibus acceperunt, de ſanctarum ſcripturarum maieſtate, neceſſario demonſtrare inſtitui. Vides vtrumq; genus doctrinæ miſceri a ſacroſancto hoc viro, vt præſulem iſtum erudiat, ſcripturas ſcilicet & Traditiones, quaſi vnum ſine altero perfecte conſtare non poſſit. Pergit autem Dionyſius doctrinam Traditionum vſq; ad cœlum efferens. ſed obſerua diligentius ne ſancta ſanctorum efferas, neu prophanis luminibus violanda permittas, verum reuereberis magis, occultaque Dei myſteria ſpiritualibus inuiſibilibuſque notionibus honorabis, atq; intemerata ſeruabis, nequaquam ea paſſim rudibus tradens, ſed ſanctis ſolis ſanctarum rerum intelligẽtiam ſacratius pandes. Sic enim vt Theologiam nobis ſuis ſtudioſis cultoribus tradidit ipſe quoq; Ieſus, diuina profecto atque omni ſubſtantia ſuperior mens & hierarchia, omniſque expiationis ac diuinæ actionis initium atque ſubſtantia. In his verbis tria licet tibi perſpicere. Primum, quod præter ſcripturas alia ſit in Eccleſia doctrina recondita, quæ non omni-

bus fuit cõmunis, id quod a diuo Paulo nuper diſcebatur: Secundum quod iſtud doctrinæ genus magna debeat veneratione coli, & intemerate ſeruari. Tertium quod a Ieſu Chriſto Domino noſtro, hęc doctrina Traditionis effluxerit, tantum abeſt vt cõmentis hominum poſſit recte comparari.

Ignatius — Ignatius Ioannis apoſtoli auditor, & a Petro in ſede Antiochena tertius, epiſtola ad Heronem loquens de quibuſdam eccleſiaſticis ritibus: vtpote de carniũ & vini abſtinentia, diſtrictiſſime cõmendat huiuſmodi obſeruanda, quæ per Traditionem in Eccleſia recepta ſunt. Omnis (inquit) qui dixerit præter illa quæ tradita ſunt, tamen ſi fide dignus ſit, tamen ſi ieiunet, tamen ſi virginitatem ſeruet, tamen ſi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem operans. Quid ſi ſanctus hic martyr reuiuiſceret ac videret ſeculi huius corruptiſſimos mores, religionis peruerſores, nefarios apoſtolicarum Traditionum violatores, quid illum dicturum fore autumas, quandoquidem in eos qui vel prę ter ea quæ tradita eſſent dixiſſent quippiam, vſq; adeo acriter inuehitur, vt lupos vocet ouium deuoratores?

Euſebius — Refert etiam de hoc viro apoſtolico & martyre Venerabilis Euſebius libro tertio eccleſiaſticæ hiſtoriæ, quod cum hic ſanctus Romam iuſſu Traiani per Aſiam in cuſtodia captiuus pro Chriſti nomine duceretur, ſingulas ciuitates et Eccleſiæ populos euangelicis cohortationibus edocebat in fide perſiſtere, & obſeruare ſe ab hæreticorum contagijs, qui tũc primum copioſius cœperunt pullulare, & vt diligentius ac tenacius apoſtolorum Traditionibus inhęrerent, & ne hoc intelligas de Canonicis ſcripturis eſſe dictum, vide quid ſequitur. Quas Traditiones (inquit) cautelæ gratia, ne quid ad poſteros remaneret incerti, etiam ſcripto ſe aſſerebat martyr ſanctiſſimus reliquiſſe, quem codicem ter in ſuo opere octuaginta hæreſium Epipahnius allegat, cum libri Traditionum meminit. Quis contradicat quęſo tam oculato teſti atque ſanctiſſimo Chriſti martyri apoſtolorum diſcipulo, tam clarum de ſacris Traditionibus, & earum obſeruantia neceſſaria teſtimonium reddenti, niſi capitoſus quiſpiam hæreticus? Attende nouator ne ſicco pede tranſeas hoc teſtimõnium, quod ad tenendã fidem & hęreticis repugnãdum neceſſarium ducit hic martyr Dei ſanctiſſimus, non leuiter ſed tenacius, & diligentius apoſtolicis Traditionibus inhærere. Neue putes vnicam eſſe aut duas res, quas nomine Traditionum commendat, ſcriptas eaſdem ad memoriam reliquiſſe fatetur. Dignum profecto pręconium, quod de ipſa ſcriptura dici poſſit, et alibi in epiſtola ad Magneſianos: Studete (inquit) confirmari in dogmatibus Domini, & apoſtolorum, vt ex omnibus quę facitis dirigamini in viam rectam.

Clemens — D. Clemens prima epiſtola ſua, vbi ordinationis ſuæ mentionem facit Petrum

Petrum magiſtrum ſuum, hæc verba de eccleſiaſticis Traditionibus loquentem ad ſe,introducit,ob id quod munus epiſcopale Clemens recuſabat:Libenter(inquit) ſuſcipe epiſcopatus officium, eo vel maxime, quia eccleſiaſticas diſpoſitiones a me probabiliter didiciſti, vt ſalus eorũ qui per nos confugerunt ad Dominum,nequaquã vacillet: tam neceſſarias ducit Traditiões apoſtolicas Chriſtianis eſſe,hic apoſtolorum ſummus, vt ſine his ſpiritualem ſalutem vacillare non dubitauerit, quorum traditorum obſeruantiam ſic in eadem epiſtola cõmendat hic magnus Apoſtolus,vt contemptores earum ad æternum ignem adigere non dubitet. Hæc (inquit) præcepta nemo credat abſque ſuo periculo negligere vel diſſimulare,quia iudicio Dei ignis æterni tormenta ſuſtinebit, qui eccleſiaſtica decreta neglexerit, quo clarius nil dici potuit ad robur ſanctarũ Traditionũ oſtendendum.

Quid vero Irenęus et Tertullianus ſuper hac re ſenſerint, abunde ſuper quinta aſſertione monſtrauimus, quod cauſa prolixitatis vitandæ ſtudio ſic prætermiſimus,ſat eſt per celebres hoſce & antiquiſſimos,illius temporis hæreticos, non alio quam ſanctarum Traditionum mucrone ab ipſis eſſe iugulatos: non enim ad eas tanquam ad legitima arma confugiſſent,niſi magnam vim et autoritatem in ijſdem agnoſcerent,ac ſubinde obedientiæ neceſſitatem Traditiones præ ſe ferrent,per has enim dixit Irenęus in Eccleſia eſſe lumen diuinum et vitæ introitum, magnaque diligentia apprehendi debere a fidelibus veritatis Traditionem. Irenęus

Irenęus

Habet tamen Tertullianus lib.de corona militis, de Traditionibus apoſtolicis, & earum neceſſitate minime omittendam teſtificationem: Aquam(inquit)baptiſmatis adituri,aliquanto prius ſub antiſtitis manibus conteſtamur nos renunciare diabolo,et põpis,& angelis ſuis,de hinc ter mergitamur,amplius aliquid reſpondentes,quam Dominus in euãgelio determinauit:Euchariſtiæ ſacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino etiam ante lucanis cœtibus,nec de aliorum manu,quam præſidentiam ſumimus.Oblationes pro defunctis,pro natalitijs martyrum annua die facimus, die Dominico ieiunium nefas ducimus,vel geniculis adorare,eadem immunitate a die Paſchæ vſq; in Pentecoſten gaudemus,calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxie patimur,ad omnem progreſſum atq; promotum,ad omnẽ aditum & exitum, ad veſtitum & calciatum, ad lauacra,ad menſas atq; cubilia,ad lumina,ad ſedilia,quæcunq; nos conuerſatio exercet,frõtem crucis ſignaculo terimus:harum et aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum,nullam inuenies, Traditio tibi prætendetur autrix,conſuetudo confirmatrix,et fides obſeruatrix.En tibi autorem antiquiſſimum,qui teſte Hieronymo epiſtola ad Theodorum, Papiæ Ioannis apoſtoli diſcipuli auditor fuit,de vniuerſalibus Traditionibus Tertull.

Tertullianus Papiæ, Ioannis apli. diſcip. auditor fuit.

bus ab Eccleſia fere ſemper retentis, magna cum fiducia differentē ante quam generalia concilia libere in Eccleſia fierent, quæ non niſi ab apoſtolicis moribus deriuari potuerunt, ſuntꝗ bona fide conſeruatæ, & cōſuetudine fidelium, quæ neceſſitatem obligationis inducit, cōfirmatę: propter quod idem autor aduerſus pſychicos affirmare audet, quod eorum quæ ex Traditione in Eccleſia obſeruantur, tanto magis dignam rationem debemus habere, quanto carent ſcripturæ autoritate.

Origen. Adamantius Origenes, qui Tertulliano fere coætaneus fuit, Homil. v. ſuper libro Numerorū, de eadem re adhuc magis ad propoſitum docet: In eccleſiaſticis obſeruationibus (inquit) ſunt nōnulla quæ omnibus quidem facere neceſſe eſt, nec tamen ratio eorū omnibus patet: nam quod genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cœli plagis ad ſolē orientis partem conuerſi orationem fundimus, non facile puto ratione compertū, ſed & Euchariſtiæ, ſiue percipiendæ, ſiue eo ritu quo geritur, explicandæ, vel eorū quæ geruntur in baptiſmo verborum, geſtorū ordinum atꝗ interrogationū ac reſponſionū, quis facile explicet rationē? & tum omnia hæc aperta & velata portamus ſuper humeros noſtros cū implemus ea & exequimur, vt a magno pontifice, & eius filio tradita et cōmendata ſuſcepimus. Ipſa luce meridiana clarius hic peruetuſtus pater profitetur, non ſolum Traditiones, et ſacrorum ritus a ſummo pontifice noſtro Chriſto, et ſanctis eius diſcipulis deriuari, ſed et ſuper humeros noſtros debere portari, illorumꝗ obſeruationi obnoxios neceſſario eſſe, tantū abeſt, vt adiaphoræ ſint, et liberas habeant obſeruationes, q̄d

Cypria. aduerſarij falſo prętendunt. Beatiſſimus martyr Cyprian. lib. ij. epiſt. viij. ad Corneliū, cū mentionē facit de Nouato ſchiſmatico, q in Africa coitiones cōtra epiſcopos faciebat, qbus inuitis, p̄sbyteros & diaconos ordinabat cōtra eccleſiaſticas et apoſtolicas Traditiōes, de huiuſmodi aggreſſoribus talem ſententiam profert: Remanere in Eccleſia Dei nō poſſunt, q deificā et eccleſiaſticam diſciplinam, nec actus ſui conuerſatione, nec morum pace tenuerunt. Quis hic dicet diſciplinam eccleſiaſticam, quæ per Traditiones in Eccleſia conſtat, obſeruationis neceſſariæ nulla ex parte eſſe: cum violatores eius ab Eccleſiæ regno extorres ſanctus Cy-

Cypria. prianus faciat, et ſpiritus ſancti cōmunione priuatos aſſerat? nemo ſane, niſi prorſus fidei (aut qui ad ſchiſmata animū deſpondet) expers. At non ordinare presbyteros vel diaconos inuito epiſcopo ſuo, non eſt ex contentis in ſacris libris, & tamen quia aduerſus hanc Traditionem ſuperba temeritate agebat Nouatus, & ſui, eos membra Eccleſiæ eſſe negat Cyprianus. Vnde facile intelligent ſuam ſententiam Proteſtantes, qui pręter alias ſacras Traditiones quas vilipendunt, in hanc tam ſacrilego auſu frequētius & liberius irruperūt. Item epiſtola xij. primi libri nomine Cōcilij, ad Rogatianum, Antonianum & Honoratum miſſa, vnctionem

in ſacro

in ſacro lauacro neceſſariæ obſeruationis eſſe affirmat, & quaſi verba Clementis allegat, quæ mera Traditio apoſtolica eſt. dicit enim de baptizatis loquens: Vngi quoq; neceſſe eſt, eum qui baptizatus ſit, vt accepto chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & habere in ſe Chriſti gratiam poſſit. Vide Traditionis neceſſitatem, vt omittentes eam, diuina gratia priuet hic ſacratus Pontiſex: hunc ſacroſanctum ritum ab apoſtolis introductum ſuperbi iſti reiecerunt, imo deriſerunt: nec id quidē quamuis eos lateat, ſine occulto Dei iudicio. quid enim illis cum ſacroſancta ſpiritus vnctione negocij eſt, qui ſpiritui ſancto in ipſis apoſtolicis traditis contradicunt? Nulla eſt conuentio tenebrarum cum luce, neq; Chriſti cum Belial: nec alia via ratum & firmum reputat idē Cyprianus paruulorum baptiſmum, epiſtola octaua ad Fidum, quam ex firma Eccleſiæ conſuetudine Traditione maiorum introducta: nam neque ſcripturam, neq; rationem efficacem ad hoc affert, vt dogma tale probetur.

Sanctiſſimus Athanaſius decies martyr, hæreticorum olim malleus, in libro ſuo de ſpiritu ſancto, eundem ſpiritum Deum eſſe affirmās, nulla alia magis ratione ſe munit, niſi quia ſic acceperunt Eccleſiæ ab apoſtolis, quæ eius verba ſunt, & hic etiam pro diuino oraculo videtur Traditionem tenere, cum tam arduum fidei articulum cōtentus eſt ſola ſe apoſtolica Traditione confirmaſſe. Athanaſ.

Gregorius Nazianzenus cognomento magnus, in oratione quadā, quæ inter opera Gregorij alterius Nyſeni inuenitur, qua inuitat eundem Nyſenum vt ipſum confirmet, ſic de ſanctarum Traditionū autoritate diſſerit: Confiteamur vſq; ad extremum ſpirituſ, magno animo, corde, & dicendi libertate, ſacra ſanctorum patrum noſtrorum inſtituta, quæ vtiq; propinqua ſunt Chriſto, ac veræ ac ſynceræ fidei ſanctum rudimentum, & gloriationem a puerili teneritate nobis implantatā, & nobis enutritam, q̄ primum loqui & fateri cœpimus, & nihil niſi [illegible] ſapiamus. hæc Nazianzenus. Pondera lector verba diligenter, toto animo & toto corde, vſq; ad ſpiritus egreſſum ſacras patrum Traditiones obſeruari iubet diuinus hic doctor, quæ propinqua Chriſto eſſe dicit, & ſimul cū ipſo ſymbolo retineri debere affirmat. Nam hoc appellat (ni fallor) ſanctum rudimentum fidei, & addidit quod aliter ſapere [illegible] mera eſt: quæ ergo Chriſto ſunt proxima, & cum ſymbolo pariter cōmendantur, habebunt ne liberas obſeruationes? At quorſum cōmendaret hic vir tam celebris obſeruationem horum vſq; ad extremum vitæ egreſſum, niſi quid diuinum ipſis apoſtolicis Traditionibus ineſſe ſentiret? Et aduerte obiter hic occaſione gloriationis ſpiritus ſancti, cum alijs diuinis perſonis hunc ſanctum virum iſta dixiſſe, quæ ſola Traditione aduerſus Eunomianos illa tempeſtate a viris ſanctiſſimis confirmabatur et defendebatur. Nazianzenus impietas

Baſilius. Sed & magnus Baſilius, qui magis in hoc negocio laborauit, non alio modo q̃ ſacra Traditione ſpiritus ſancti glorificationem ſtatuit. Qua in re vanus prorſus eſſet hic vir ſanctiſſimus, ſi tanti momenti, & ad fidei ſubſtantiam pertinens dogma, quod in ſcriptura expreſſum nõ inueniebatur, atq; ob id ab Eunomianis reiectũ, ſola antiquitate apoſtolicę Traditionis probaret, quod ſatis ſcio non attentaſſet, niſi in ipſa Traditione diuinũ robur eſſe putaſſet. Ait itaq; libro de ſpiritu ſancto cap. xxvij. cuius verba tanq̃ Catholica vſurpauit D. Auguſtinus lib. de eccleſiaſticis diſpoſitionibus: Dogmata (inquit) quę in Eccleſia ſeruãtur ac prędicantur, partim ex cõſcripta doctrina habemus, partim ex apoſtolorum Traditione ad nos delata, in myſterio recipimus, vtraq; tamen eandẽ ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel modicã ſaltem eccleſiaſticorum iurium experientiam habent. Si enim aggrederemur nõ ſcripto proditas cõſuetudines, velut non magnam vim habẽtes, reijcere, imprudentes etiã ipſis principalibus euangelij partibus damnũ inferremus, imo potius ipſam euangelij prædicationem ad nudum nomen contraheremus. Omnia fere aſtruit hic magnus Pontifex, quæ a nobis dicta ſunt in ſuperioribus. Primum æqualem vim tribuit ad pietatem tutandam & conſeruandam Traditioni eccleſiaſticæ, ſicut & ſcripturæ. quod noſtra aſſertio affirmauit. Secundo, quod ſcripturæ autoritas eneruatur, & ad nudum nomen contrahitur, cum Traditio eccleſiaſtica reijcitur, atq; id non immerito: nam Traditione conſtat nobis de diuinæ ſcripturæ autoritate. Infra vero poſtquã multa numerauit hic vere magnus, quæ ſola arcana Traditione magnopere veneratur & tenet Eccleſia, vt de baptiſmi immerſione, oleiquẽ ſanctificati illitione, de crucis in fronte baptizati ſignatione, & fidei confeſſione, & de integritate verborum, quibus vtitur ſacerdos in inuocatione ſuper tremendis altaris myſterijs, & multis id genus alijs, applicans dicta ſua ad inceptum de glorificatione ſpiritus ſancti argumentum, ait: Si formulam laudationis patris, et filij, & ſpiritus ſancti, tanquam non ſcriptam reijciunt, indicent nobis ſcriptam confeſſionem fidei, & cætera quæ numerauimus. Pręterea (inquit) cum tot ſint non ſcripta, & eorꝫ tantum ſit pondus, & autoritas ac vis, ad religionis noſtrę myſteriũ, nõ permittent nobis iſti verbũ vnũ quod ab ipſis patribus ad nos manauit, quodque nos conſuetudine ipſa, & ſimplici & incorrupta in Eccleſijs non mutatis conſeruatum reperimus, quod ad vim pietatis & religionis non parum momenti, neque exiguam vtilitatem habet. Nam ad id quod iſti obijciunt huiuſmodi laudationem cum ſpiritu ſancto, neque ſcriptam neq; teſtatam eſſe, Reſpondemus: Si nihil eſt pręter hoc quod ſcriptum nõ eſt, neq; hoc teneatur: ſin autem plurima myſteria ſine ſcripto vllo nobiſcum retinemus, amplectamur hoc cum cæteris alijs. Iubet enim Apoſtolus tradita

Lib. de ſpiritu ſancto.

ſine

ſine literarum etiã monumentis tenere. Laudo vos (inquit) quod omĩa Apoſt. meminiſtis, & vt tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Et alio loco: Te- 1. Cor. 11 nete Traditiones quas accepiſtis, ſiue per epiſtolã, ſiue per ſermonem. hæc Baſilius. Locupletiſſimũ ſane pro autoritate non ſcriptarum Traditionũ hic præſul ſanctiſſimus reddidit teſtimonium, aperte damnans illorũ placitum, qui dogma ab Eccleſia vniuerſali receptũ, hoc ſolo nomine, quia ſcriptum non eſt, reijciunt, quos antiquitate Traditionis validiſſime cõuincit, huius noſtri ſuſcepti laboris intentionem apertiſſimis verbis confirmans, ſimulque locos Pauli de Traditionibus in eo ſenſu, quem nos adduximus, exponens. Quare neq; aſſertio, neq; ſcripturæ ſundamenta, neq; ipſe etiam locorũ intellectus a nobis ſunt conficta, ſed a ſanctis patribus ante mille & ducentos annos ſic tradita et intellecta.

Quemadmodum diuus Baſilius cum Eunomianis agebat, ſic & cum noſtræ tempeſtatis nouatoribus, iuſte nos poſſemus expoſtulare, quod in ſuperioribus a nobis tangebatur. Nam ſi nulla recipi debent, quæ ſcripta non ſunt, cur iſti recipiunt baptiſmum paruulorum, & probant etiam baptiſmum ab hæreticis collatum, tenentque neceſſariũ eſſe, aquæ & vini in calice Domini mixtionem, patris, & filij, & ſpiritus ſancti conſubſtantialitatem pariter & conglorificationem, virginis ſacroſanctæ poſt partum integritatem, & alia iſtiuſmodi, nulla ſcriptura aperte docente, ſed ſola Traditione teſte: quare rurſum ſimul cum his & alia dogmata, tanta antiquitate et vniuerſalitate in Eccleſia firmata non tenent? Si ex electione proprij capitis pendet iſta diſparitas, iam ipſi eligunt quod credant pertinaciter cõtra Eccleſiæ ſenſum, ac ſubinde hæreticos ſe eſſe declarant: ſi autẽ pro omnibus illis, quæ credunt, ſcripturam habent, oſtendant illam: profecto non inuenerunt eam ſancti doctores. Sed ſcio quid ſibi velint, quædam enim ex ijs in quibus a nobis diſcrepant, non admittunt, quia ſuis obſiſtunt erroribus, negaturi etiam alia quæ concedunt, ſi cauſæ ſuæ conducibilia iudicarent. Facile enim erit pro illis etiam dicere, non recipimus, quia in ſcriptura nõ continentur: vides vt fidem pro ſuo lubito & arbitrio moderantur? Soluerunt certe maceriam, ſuſtulerunt Chriſtianæ religionis ſepem, cum Eccleſiæ magiſteriũ per ſanctas Traditiones vigens, a ſe reiecerunt: facileque mihi perſuadeo, nullam in eis fidẽ remanere, imo nec de ijs, quæ ſcriptura dicit, quam per magiſteriũ quod reijciunt, receperunt. Perpende tu tamen lector Chriſtiane, ex hoc D. Baſilij teſtimonio, q̃ ſit antiqua hæreticorũ veſania, effreniſq; libido irrũpendi in ſacra dogmata nõ ſcripta, & q̃ ſit etiã in Eccleſia antiquiſſimũ inſtitutũ remediumq; aduerſus horũ ſcorpionũ virulentiã præſentiſſimum, autoritate antiquarũ Traditionũ aduerſus eorum ſycophantias præſcribere. An credis obſecro pietate aut ſcripturæ teuerentia Eunomium iſtum peſtilentiſſimum hæreticũ

hoc excogitaſſe, vt nihil niſi quod in ea contentum eſſet vellet admittere? Minime gentium, ſed vt ſpiritum ſanctum, ſeruum & miniſtrū patris et filij liberius poſſit aſſeuerare, & facilius dogma hoc viperinum poſſit propagare, cui vehementer obſtabat eccleſiaſtica Traditio: atque hæc eſt cauſa cur ille nihil quod in ſcriptura non eſſet, volebat recipere. Nec aliter agunt modo iſti ſectarij, ſtatuerūt apud ſe noua & pernicioſa dogmata diſſeminare, quibus vehemēter contradicunt Eccleſiæ Traditiones, & apoſtolica inſtituta, ob idq; illa reijcere deſtinarunt. Cauſantes ea revereri non debere, quæ in ſcripturis non cōtinebantur, quo liberius ſua prophana dogmata ſimplicibus obtrudāt, ignem alienum in Eccleſiam Dei temere afferentes, & altare contra altare erigentes: quos vtinam Deus ſua miſericordia conuertat, aut in manu forti conterat, ne virus eorum mortiferum amplius in Dei Eccleſia ſerpat. ſed redeamus eo vnde ſumus digreſſi.

Baſilius Item Baſilius in eodem libro de ſpiritu ſancto cap. xxix. Apoſtolicum eſſe arbitratur, in non ſcriptis Traditionibus perſeuerare. quod ſi hoc eſt apoſtolicum, ſecus agere apoſtaticum & diabolicum eſt. idem quoque multarum apoſtolicarum Traditionū meminit epiſtola lxiij. ad clericos Neocæſarianos.

Chryſo. Diuus Chryſoſtomus etiam aſſertum noſtrum non ſolum confirmat, ſed et eodem Apoſtoli fundamento ſtabilit, exponens enim locum illum Pauli. ij. Theſſ. ij. Tenete Traditiones quas accepiſtis etc. Dicit ſine ſcriptura, et cum ſcriptura, nonnulla tradebant apoſtoli, & vtraq; digna erāt quæ obſeruarentur: vbi nullam differentiam vides inter Traditionem et ſcripturam. eodem modo exponit Gemnadius, autor non floccipendendus, neq; ab eis diſſentit Ambroſius.

Theodoretus. Extat præterea apud Theodoretum de hoc D. Chryſoſtomo teſtimonium, per quod vere eccleſiaſticum ipſius pectus poſteritati ſatis cōmendatur. Ait enim ſanctum hunc præſulem ſacerdotibus ſuis diſtrictiſſime iubere ſolitum, vt ſecundum eccleſiaſticas ſanctiones viuerent, earumq; tranſgreſſores a templi acceſſu prohibentem, vt qui crederet non debere tales frui ſacerdotio, tanti faciebat hanc Dei eccleſiaſticam diſciplinam.

Epipha. Venerabilis Epiphanius Chryſoſtomo coæuus, impugnans hæreſin Melchiſedechianorum, terminos fidei noſtræ neceſſarios deſignat ſcripturas ſanctas et Traditiones apoſtolicas, & ſucceſſionem Eccleſiæ in doctrina, non minorem honorem Traditionibus ſanctis tribuens, quam diuinæ ſcripturæ. Dicit enim: Termini nobis poſiti ſunt & fundamēta, et ædificatio fidei, apoſtolorum Traditiones, & ſcripturæ ſanctæ, et ſucceſſiones doctrinæ, & vndiquaq; veritas Dei munita eſt. vides veritatem Dei, hoc eſt, fidem Catholicā, ſanctis Traditionibus velut muro fortiſſimo eſſe munitam, ipſiſque quaſi inuiolabilibus terminis præcluſam? Cū

ergo

ergo minime liceat terminos, quos præſcripſerint patres noſtri tranſgredi, non licebit viro fideli eis contrauenire, ergo nō ſunt adiaphoræ, ſed neceſſariæ, vt noui iſti homines male docent. Alibi etiam hęreſin deſtruens apoſtolicorum, acerrimus hic hæreticorum impugnator de Traditionibus manifeſtiſſime loquitur, dicēs: Oportet & Traditione vti, non enī omnia a diuina ſcriptura accipi poſſunt: qua propter aliqua in ſcripturis, aliqua in Traditione ſancti apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dixit Apoſtolus: Sicut tradidi vobis. Item aduerſus Millenarios idem ſacer autor magnum diſcrimen reputat infra limites ſanctarum Traditionū fideles nolle contineri: Sciant (inquit) pij, quod quiſquis voluerit tranſgredi terminos Dei Eccleſiæ, et ſpeciem Traditionis propheticæ & apoſtolicæ fidei ac doctrinæ, ab vno argumento exigui ac breuis ſermonis, ad multa vaniloquia & periculoſas opiniones cōuertetur: quod paſſim & quotidie cernimus in ijs qui diſceſſionē ab Eccleſia faciunt. Aerianos vero hęreticos, qui multa antiqua dogmata eccleſiaſtica cōuellebant, nō alia ducti ratione, quā quod in ſcripturis nō inueniebantur, ſola Traditione eccleſiaſtica cōuictos eſſe putat, maxime in dogmate ſuffragiorū, quæ Eccleſia facit pro defunctis, qui in pietate deceſſerunt, quos nouatores iſti etiā inſequuntur. Dicit enim: Eccleſia neceſſario hoc perficit Traditione a patribus accepta. Attēde neceſſitatis vocabulum in dogmate minime ſcripto. Et ſubiungit: Quis autem poterit ſtatutū matris diſſoluere, aut legē patris? Salomon dicit: Audi fili ſermones patris tui, & ne repudies ſtatuta matris tuæ. oſtendens per hoc quod in ſcriptis & ſine ſcriptis docuit pater, hoc eſt Deus, mater autem noſtra Eccleſia habet ſtatuta in ſe poſita indiſſolubilia, quæ diſſolui non poſſunt. Iterum confirmat hic bonus prӕſul, multa docuiſſe patrē cœleſtē, matremq́ noſtram Eccleſiā, ſine ſcripto, ſed Traditione ſola, quę neceſſe eſt tenere, qa indiſſolubilia ſunt inquit. Cumq́ Aeriū oppreſſum pondere ſacræ Traditionis putaret, adiecit Epiphanius cōcludens: Quando itaq́ ordinata ſunt in Eccleſia ſtatuta, & bene ſe habeant, et omnia mirabiliter fiant, confutatus eſt hic etiam ſeductor. Huc uſq́ Epiphanius, qui quantū tribuerit Eccleſiæ magiſterio abſq́ ſcriptura, ſatis patefacit vir apoſtolicus et vere eccleſiaſticus. Prou. 1

Theophylactus exponens illud 1. Cor. xi. Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, et ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis: noſtræ etiam ſententię ſubſcribit, dicens: Liquet ex his, cum Paulū, tum apoſtolos reliquos, haudquaq́ omnia literis mandaſſe præcepta quę populis tradidiſſent. ergo ſi aliqua ab apoſtolis pręcepta mandata ſunt, quę ſcripta non fuerunt, multa ſubinde quæ in ſcripturā nō inueniuntur neceſſariæ obſeruatiōis ſunt, hanc enim neceſſitatem præcepti nomē præ ſe fert, hæ vero Traditiones vocātur a ſanctis. Theophy.

Conſentit his om̄ibus Damaſcenus ſermone de ſuffragijs defunctorū, Damaſ.

de huiuſ

de huiuſmodi non ſcriptis dogmatibus Eccleſiæ loquens his verbis: Quę Chriſtiana religio erroris neſcia ſuſcipit, & in tot ſecula ſeruat inconcuſſa, minime vana ſunt, ſed vtilia, Deo placita, ſalutiq́ꝫ noſtrę plurimum conducibilia. Qui ergo fieri poteſt, vt impia dogmata introducat Eccleſia, quæ errare neſcit, & adiaphora ſint, quæ ipſa inconcuſſa ſemper ſeruauit? Valeant ergo ſcarabei iſti, & pernicioſę cantharides, cum ſuis vanis pręſumptionibus & temerarijs auſibus.

Tæderet me iam tanta veraciſſimorum teſtimoniorũ multitudine meas chartas replere, niſi in animo eſſet totam Eccleſiam veterem Orientis & Occidentis, cunctoſq́ꝫ ſanctos patres, in pernicioſam hanc ſectariorum doctrinam congerere, quatenus de peruerſa iſtorũ mente, omnibus fidelibus apertiſſima fides fiat. Dabit igitur veniam lector Chriſtianus, ſi plura adhuc alia accumulemus teſtimonia: malumus enim ſtatui cauſę noſtræ et ſanctæ Eccleſiæ, quam nauſeabundis palatis deſeruire.

Hieron. Auguſt. Hieronymus & Auguſtinus religionis Chriſtianæ columnę firmiſſimæ, huic etiam noſtræ veritati aſtipulantur, quorum alter in epiſtola ad Lucinium hæc verba habet: Multa quę per Traditionem in Eccleſijs obſeruantur, autoritatem ſibi ſcripturæ legis vſurpauerunt. Item epiſtola de Paſchate, a Traditionibus onerosis particularibus, quas permittit (cum ſine ſcandalo fieri poteſt) reſcindi, Traditiones conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ confirmatas, eximit. Cuius verba quia D. Auguſtinus vſurpat libro primo ad inquiſitiones Ianuarij, ſub eius nomine non recito, quia allegata ſunt. Super illo tamen Eccleſiaſtici decimo, Qui diſ-

Hieron. ſipat ſepem, mordebit eum coluber, aureã prorſus habet de dogmatibus eccleſiaſticis idem Hieronymus ſententiam: Sepis (inquit) maceriæq́ꝫ euulſio, eccleſiaſtica ſunt dogmata, & inſtitutio ab apoſtolis, quę qui diſſoluerit et voluerit pterire, in eo ipſo quod negligit, a ſerpente percutitur. Ergo niſi velimus de ſalute periclitari, obſeruanda ſunt & minime diſſoluenda. In epiſtola quoq́ꝫ ad Ruſticum, ſaluberrimũ in hac re dat documentũ his verbis: Qui in ſanctis Traditionibus vincitur, hoc eſt, duci ſe ſinit, ille triumphat & vincit, quare qui contra eas vincere nititur, procul dubio periclitabitur, vel male ſuccũbet. In epiſtola etiam quarta ad Marcellam, ſicut paulo ſuperius allegauimus, cum quadrageſimale ieiunium de Traditionibus apoſtolorum deriuatũ fuiſſe affirmet, neceſſitatem obſeruãtiæ eius hiſce verbis declarat: Non quod etiam totũ annum excepta Pentecoſte ieiunare non liceat, ſed quod aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerri. Ex quibus verbis duo aperte colliguntur: alterũ, Traditionem ieiunij quadrageſimalis eſſe neceſſitatis, & non libertatis, id q̃d ad noſtram attinet aſſertionem: alterum, quod ieiunia eccleſiaſtica plus aliquid includunt, q̃ꝫ actus temperantiæ communis: ad hanc enim omni die tenemur, ad hæc autem ieiunia certis & determinatis temporibus tenemur,

nemur, vt hic beatus & omnes ſancti docent. Auguſtini vero teſtimo- Auguſt.
nium, hoc eſt: Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi vel ab ipſis apoſtolis, vel plenarijs concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas cõmendata, æque debere retineri. Hæc etſi obſeruantiæ neceſſitatem clare nõ explicent, ſatis tamen eſt ex eis intelligere, quod ea quæ vniuerſa tenet Eccleſia in his quæ ſine ſcriptura obſeruat, ex tam illibatis fontibus, apoſtolicis ſcilicet pectoribus, vel ab his, quorum eſt in Eccleſia autoritas celeberrima promanarunt, ac ſubinde vanæ & temerariæ mentis eſſe, qui a tramite eccleſiaſtico & apoſtolico, ſolo ſuo lubitu diſcedit.

Habet etiam libro de fide Chriſtiana, aliud non contemnendum ſuper hac re teſtimonium. Catholica (inquit) Eccleſia, tota regitur autoritate ſcripturæ, vel Traditione vniuerſali, quibus verbis æquas partes tribuit ſanctiſſimus doctor ſcripturæ & Traditioni, quare ſi per Traditionẽ regitur, neceſſarium eſt illi obtemperare, eamq; reuereri. Rufinus in ex- Rufinus
poſitione ſymboli ad Laurentium, Traditione ipſum eſſe dicit obſeruãdum atq; tenendum, etiamſi ſcriptura non conſtet.

Nominatiſſimus ille Leo magnus, verbi Dei prędicator magnificus, Leo magnus.
idemq; vniuerſalis Eccleſiæ paſtor, perq̃ dignus, qui non multo poſt Auguſtinũ in Eccleſia floruit, manifeſtis verbis noſtrũ propoſitũ confirmat in multis ſuæ doctrinæ locis, pręcipue ſermo. ij. de ieiunio Pentecoſtes dicens: Dubitandũ non eſt dilectiſſimi, omnem obſeruantiã Chriſtianam eruditionis eſſe diuinæ, & quicquid ab Eccleſia in conſuetudinem eſt deuotionis receptũ, de Traditione apoſtolica, & de ſancti ſpiritus prodire doctrina, qui nunc quoq; cordibus fidelium ſuis præſidet inſtitutis, vt ea omnes & obedientia cuſtodiant, & ſapienter intelligant. Si de diuina eruditione & apoſtolica Traditione conſuetudines habent originẽ, neceſſario tanquã Dei voces, et ſpiritus ſancti magiſterium ſunt recipiendæ & obſeruandæ. Idem ſermone vi. ieiuniorũ, quæ ab apoſtolicis Traditionibus accepimus, ſtudioſe obſeruari debere ſuadet his verbis: Tria ſunt quę maxime ad religioſas pertinent actiones, oratio, ieiuniũ et eleemoſyna, quibus exercendis omne quidem tẽpus acceptum, ſed illud eſt ſtudioſius obſeruandum, quod apoſtolica accepimus Traditione.

D. Innocentius primus vitæ ſanctimonia pclarus, & ſacra eruditione Innocẽtius
pręſtantiſſimus, cuius laudes Auguſtinus & tota Africana eccleſia non ſiluit, & autoritatem agnouit, epiſtola ad Eugubinum, non ſegniter cõmendat ea quæ a patribus apoſtolica Traditione in Eccleſia recepta ſunt, audi verba eius: Quicquid a principe apoſtolorum Petro Romanæ eccleſiæ traditum eſt, ab omnibus debet obſeruari, nec ſuperinduci, aut introduci aliq̃d, quod vel autoritatẽ nõ habeat, aut aliunde videat accipere exemplũ. Et paulo poſt, cũ Traditionũ quas intẽdit cõmẽdare meminit,

ſubiun-

ſubiungit:Non quod noua præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per diſſidiam aliquorum neglecta ſunt,ab omnibus obſeruari cupimus,quę tamen apoſtolica patrũ Traditione ſunt cõſtituta.Scriptum namqꝫ eſt: State et tenete Traditiões,quas didiciſtis,ſiue per epiſtolam,ſiue per ſermonem.hęc ille.Non dubium,quin cum ad obſeruantiam Traditionũ ſententiam citet Apoſtoli hic ſummus Pontifex, ſentiat eas neceſſariæ eſſe obſeruatiõis.Apoſtolus enim pręceptorio eas cõmendat verbo.

Calixt. Calixtus primus martyr Deo digniſſimus, ad epiſcopos Galliarum ſcribens,ante mille et trecentos annos,magnopere obſeruantiam apoſtolicorum inſtitutorum cõmendauit:Rogamus vos(inquit)ne in iſtis partibus cõtra ſtatuta apoſtolica,quicquam fieri ſinatis, ſed noſtra fulti autoritate,nociua cõpeſcatis,& illicita prohibeatis.Iuſtum enim eſt, vt qui diuina cõtemnunt mãdata,& inobediẽtes exiſtunt patrum iuſſionibus, vt ſeuerioribus corrigantur vindictis.

Zozim. Item D.Zozimus de eiſdem ante 1100.annos,cõtra ſtatuta patrũ audere aliquid vel mutare,nec huius ſedis poteſt autoritas, apud nos enim incõuulſa radicibus viuat antiquitas, cui decreta patrum ſanxere reuerentiam.Quęſo de quibus inſtitutis loquitur D. hic Pontifex, de mere humanis, an de diuinis ſcriptura cõtentis?Non de primis,quia pro loco & tempore variari poſſunt,vt quotidie variantur:nec de ſecũdis,quia nõ appellantur inſtituta patrũ.reſtat ergo vt loquatur de apoſtolicis inſtitutis,vel ſcripto cano. expreſſis,vel cõſuetudine Eccleſiæ dũtaxat firmatis.

Nicola. primus. Diuus Nicolaus primus ante mille annos,abominandum ducit,patrũ Traditionibus cõtrauenire,epiſtola ad Hiſmarum:Ridiculum(inquit)et ſatis abominabile dedecus eſt, vt Traditiones, quas antiquitus a pat ribus ſuſcepimus,infringi patiamur.

Ioannes Ioannes Cõſtantinopolitanus patriarcha,in epiſtola ad Hormiſdam Romanum pręſulem,ſalutem Chriſtianam in obſeruãtia Traditionum collocare audet:Prima(inquit)ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, et a patrum Traditione nullatenus deuiare.

Socrat. Socrates hiſtoricus de ignorãtia redarguit Neſtorium hæreticum,eo quod antiquitatem doctrinæ cõtra ſuum errorem in ſanctis & magnis viris repertam nõ legiſſet, neceſſitatem doctrinæ per Traditionem tenendæ ſubindicans.

Conſonãt cum his vltimo ſanctarum ſynodorum antiquarum oracula,qbus totius Eccleſiæ ſenſum palam ſpiritus ſanctus ſolet declarare.

Gangr. Synodus antiquiſſima Gãgrenſis,tempore Cõſtantini magni coacta, canone ſexto,ſic decernit:Si quis extra Eccleſiam priuatim populos congregans,contemnat eccleſiaſticas ſanctiones,& aliter ea quæ ſunt Eccleſiæ voluerit vſurpare,anathema eſto.Cano.vero vltimo ſic: Cõdemnamus eos q ſe extollũt aduerſus ſcripturas et eccleſiaſticas regulas,et noua intro-

introducunt præcepta,vbi etiam pariter laudant & exhortãtur,tam quæ ſanctis Traditionibus conueniunt, quàm q̃ ſcripturis conſonant diuinis: Omnia(inquit)quæ conueniunt Traditionibus apoſtolicis, & ſanctarũ ſcripturarum præceptis,in Eccleſia fieri exhortamur.Hic anathemate ferit ſacra ſynodus nouatores iſtos antequàm naſcantur, vtpote qui populos priuatim cõgregantes & ſeducẽtes,apoſtolicis regulis publice refragãtur.

Rurſus ſacroſancta ſynodus,& prima inter vniuerſales Nicena, præſcribẽs modũ,qualiter Catharri ſchiſmatici in Eccleſia recipi deberẽt, ſic decernit de his q ſe Catharros nominãt:Si aliquando venerint ad eccleſiã Catholicam, placuit ſancto & magno concilio, vt impoſitionẽ manuum accipientes, in Clero permaneant: hoc autẽ præ omnibus eos cõuenit ſcriptis profiteri,quod Catholicæ & Apoſtolicæ eccleſiæ dogmata ſuſcipiant.hæc ſynodus.Quæ rogo dogmata ſunt iſta, q̃ profiteri debebãt iſti recõciliandi,nunquid in ſcriptura aperte contenta? minime.Hæc enim Nouatiani venerabiliter ſemper receperunt,nec fuerunt vnquam in Eccleſia hæretici religioſiores atque iſti.ſanctas ergo Traditiões eos profiteri oportebat,in quibus iſti potiſſimum peccabant,relapſos in culpis ad pœnitentiam non admittendo. Nicena primæ.

Eſt etiam in tertia Arelatenſi ſynodo non multo poſt celebrata decretum,in quo ſancta ſynodus in hunc modum docet, qui eccleſiaſticam diſciplinam non receperit,cõmunione priuetur. At qui cõmunione merentur priuari, grauiter in Deum peccat: quam ergo neceſſe eſt non peccare, tam eſt neceſſe diſciplinã Traditionũ ſeruare. Arelatenſis.

Secunda ſynodus generalis Nicena,apertius adhuc noſtrum affirmat aſſertum, his verbis:Oportet nos eccleſiaſticas Traditiones, ſiue in in ſcripto,ſiue conſuetudine in Eccleſia retentas,ſeruare, de quarum numero templorum imagines eſſe dixit.

Item ſynodus Conſtantinopolitana ſexta,canone xxxij. errorem Hydroparaſtarum,qui aquam duntaxat in calice Domini offerebant, damnat, & aquæ vinum miſceri,ſola apoſtolica Traditione ſtatuit. Synodus Cõſtantinopolitana.

Tanti etiam facit celeberrima ſynodus Toletana quarta , dogmata per vniuerſam Eccleſiam recepta,vt non vereatur contemptores eorum anathemate percellere,& ſacra cõmunione priuare:quod non parum neceſſitatem obſeruantiæ earum arguit: non enim pro leui culpa huiuſmodi pœna ſolebat in antiqua Eccleſia infligi.ſic enim habet decretum ſeptimum eiuſdem ſynodi contra eos,qui ieiunium in die paſſionis Dominicæ ſoluebant: Quidam in die paſſionis Dominicæ ab hora nona ieiuniũ ſoluunt,et dũ ſol ipſe eadẽ die tenebris palluerit,lumen ſubduxerit,ipſaque elementa turbata mœſtitiam totius mundi oſtenderunt,illi ieiuniũ tanti diei polluunt, epuliſque inſeruiunt, & quia totum eundem diem vniuerſalis Eccleſia, propter paſſionem Domini in mœrore & abſtinentia per- Synod. 4 Tolet.

agit, quicunq; in eo, prẹter paruulos, ſenes & languidos, ante peractas in-dulgentiæ preces ſoluerit, a paſchali gaudio depellatur, nec in eo ſacra-
Can. 11 mentum corporis & ſanguinis Domini percipiat. Rurſus cano. xi. dicit oportere fideles in Quadrageſima fletibus et ieiunijs inſiſtere, & corpus cilicio veſtiri, et in cinere iacere vſq; ad tempus reſurrectionis, eo quod Eccleſiæ vniuerſalis conſenſio hoc in omnibus mundi partibus robora-uit. Tempus deniq; me deſeret, ſi adhuc plura teſtimonia ad oſtenſionẽ huius veritatis vellem coaceruare, ſatis eſt prẹcipua adduxiſſe, magiſque ad propoſitum pertinentia.

Cum audis in his tribus aſſertionibus obſeruãtiæ neceſſitatem de ſan-ctis Traditionibus, nõ putes nos laqueos velle parare infirmorũ cõſcien-tijs, ita vt in omnium tranſgreſſiõe iram Dei promereantur tranſgreſſo-res, nec cõtrario omnes etiam remiſſionẽ peccatorum promereri (ſecluſo ſemper obedientiæ meritum, pertinet enim ad cultum Dei prẹlatis obe-dire,) diſpiciendus enim animus illius, qui tranſgreditur, aut qui omittit, an. ſ. ex cõtemptu hoc faciat, an ſine contemptu, cum ſcandalo an ſine illo. Rurſus diſpicienda, vt diximus, eſt inſtituentis autoritas, et materiæ inſti-tuti qualitas, quæ ſi non grauis fuerit, veluti de credibilibus et ſcripturẹ intellectu, de ſacramentis, de ſubſtantia politiæ et ordinis eccleſiaſtici, et contemptum maiorũ et puſillorum ſcandala ſecludas, graues culpæ non ſunt: quam grauitatem metiri non eſt prẹſentis inſtituti, ſatis eſt impoſtu-ram aduerſariorum refellere, et manifeſtam facere in eo, quod ſanctam Eccleſiam infamant, dicẽtes in omnibus his Traditionibus iuſtitiã Chri-ſtianam ab ea collocari.

Ex his clare colligitur, falſo et irreuerenter et cõtra omnium ſanctorũ et totius Eccleſiæ ſenſum, aduerſarios de ſanctis Traditiõibus docere, ap-pellantes eas omnes cõmenta hominum, et pro externa tantum politia ſeruandas eſſe. Præterea manifeſto cõuincuntur maxime delirare, et car-nalem quandã et diabolicam libertatem docere, cum omnia hæc citra ſcandalum omitti poſſe a quocunq; fidelium aſſeuerant.

Primo, quia obedientia maiorum, quæ in his exercetur, neceſſaria eſt omni Chriſtiano, adhuc citra ſcandalum, prout aperte probauimus.

Secundo, quia a Ieſu Chriſto tradita, vel per ſpiritum ſanctum nomi-ne ipſius ab apoſtolis Eccleſiæ ſunt commendata multa eorum, quæ ſpernere ſummũ ſane flagitium eſſet: & quanquam hoc ſcriptura aliqua canonica non conſtet in particulari, ſatis eſt ex ea cõſtare in vniuerſali, ex qua aperte deduximus, multa eſſe tradita a Chriſto & apoſtolis, quẹ in ſcriptura non cõtinentur: quantum autem attinet ad earum rationẽ ſigil-latim, ſat ſuperq; eſt teſtes habere ſanctiſſimos & antiquiſſimos apoſto-lorũ diſcipulos, aut a diſcipulis eorum edoctos, tanti põderis & numeri, quibus refragari nemo certe poſſit, niſi cũ ſumma temeritate, & extrema demen-

dementia,præſertim cum ad autoritatem & grauiſſima eorundem teſti-monia accedat,& totius Eccleſiæ,conſenſus in Traditiõibus ſaltem vni-uerſalibus:cuius magiſterio in terris nullum aliud maius exiſtit,quę hoc ipſum et prædicat,& prædicauit a temporibus apoſtolorum,vſq; in pre-ſens tempus. Nec poſſunt quantæcunq; libertatis ſint aduerſarij, modo fidei veſtigium in eis remaneat,ſine manifeſto periculo peccati mortalis, tot et tanta teſtimonia paruipendere. At qui periculum amat, peribit in illo,vt ſapiens ait. Eccle. 3

Tertio quia multa ex his concernunt materiam grauiſſimam, vt ſub-ſtantiam ſacramentorum,et ſcripturæ intellectum,et credibilia aliqua,in quibus tota Eccleſia a ſpiritu ſancto ducta vniuerſaliter conuenit, quæ ſine magno ſcelere et impietate prætermitti non poſſunt. Sunt item alia quæ præ ſe ferunt virtutum quædam exercitamenta, vt diei feſti præſcriptio,ieiunium,et alia pœnalia exercitia.In quibus etſi pietatis ſub-ſtantia non collocetur a ſanctis & Catholicis viris,quam in fide, dilecti-one, & ſpe maxime conſiſtere nouerunt, vt Auguſtinus ad Laurentium autor eſt,iuuant tamen multum,& pro fragilitate noſtra, tanquam me-dia legitima,& neceſſaria ſunt a Deo & ſanctis reputata, ad peruenien-dum ad veram & perfectam mentis puritatem, eandemq; augendam, modo fiant ea intentione, qua ab Eccleſia tradita ſunt quæ conte-mnere non poteſt, niſi qui carnis licentia victus prætextu cuiuſdam falſæ libertatis, animæ ſuæ ſalutem negligit. Ex præcedentibus a no-bis elucidatis doctrinis,huiuſmodi confici poſſunt, aduerſus ſacrilegos violatores ſanctarum Traditionum ratiocinia, coaſſumptis alijs, quæ ab eis gratis conceduntur,hoc pacto:Neceſſe eſt vt omnia in Eccleſia ſe-cundum ordinem fiant,at Traditiones,& maxime vniuerſales & apoſto-licę,vt hic ordo retineatur,introductæ a Chriſto et apoſtolis,& alijs vi-ris apoſtolicis ſunt,ergo neceſſe eſt, vt a fidelibus retineantur. cõnexio argumentationis clara eſt,maior eſt iuris naturæ. Item & D. Pauli 1. Cor. xiiij. Minor vero ab aduerſarijs paſſim cum de Traditionibus agũt, conceditur. Concluſio igitur concedenda eſt ab eis,velint nolint.

Auguſt. in Enchiridion.

Prima ratio.

1. Cor. 14

Rurſus obedientia prælatorũ eſt neceſſaria Chriſtianis,ſed omnes Tra-ditiones de quibus nobis ſermo eſt,aut introductæ aut confirmatæ ſunt a maioribus Eccleſiæ præſidentibus,accedente totius Eccleſiæ conſenſu, a tempore apoſtolorum vſq; in hodiernum diem,ergo neceſſe eſt fideli-bus eas retinere. Diſcuſſus probatione non eget,maior eſt Apoſtoli,He-breorũ xiij. Obedite præpoſitis veſtris,& ſubiacete eis,quam & nos am-pliſſime & efficaciſſime dudum probauimus: minorem concedunt ad-uerſarij,quia non verentur dicere omnes Traditiones ſanctas, humana inſtituta eſſe,ergo concluſio teneri debet ab omnibus,nec obſtat limita-tio illa ſeditioſa,quam aduerſarij cõmenti ſunt, præſcribẽtes obedientiæ

Secunda ratio.

Apoſt. Hebr. 13

o ij termi-

terminum in his quæ ſunt iuris diuini. Probauimus enim apertis ſcripturis & Traditione apoſtolica, conſenſu item omnium ſanctorum, nec non ratione naturali, obedientiam maiorũ ad honeſta, licita, indifferentia, & adhuc dubia ſe extendere.

Tertia ratio. Ad hæc qui politiam eccleſiaſticam notabiliter deordinant, præter hoc quod barbare & inhumane agunt, criminoſe & grauiſſime peccant. Primo, quia lædunt bonum publicum ſpirituale, quod in ordine illo prætenditur. Secundo, quia frequenter id facere (etiamſi in rebus minutis eſſet) & alios ad hoc faciendum inſtigare, ex manifeſta ſuperbia, & maiorũ contemptu, procedit. Tertio, quia nec id fieri poteſt ſine totius Eccleſiæ ſcandalo, puſillorum, mediocrium atque maiorum. Sed qui Traditiones apoſtolicas publice non ſeruant, & ad earum paruipendium alios incitant, præter hoc quod obedientiæ apoſtolicæ rei ſunt, magnum offendiculum ponunt conſcientijs omnium fidelium, Eccleſiæ ordinem notabiliter inuertentes, quæ non poſſunt ab inuicem ſeparari, interim dum per maiores aliter non inſtituuntur aut abrogantur: neceſſario ergo eas non obſeruantes peccant. Si enim qui ſcandalizauerit vnum ex illis, qui Matt. 18 in Chriſtum credunt, prout veritas ipſa nos certos facit, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundo maris, quanto magis hi, qui propter ſuam duntaxat libidinem totam Eccleſiam ſcandalizant & male perturbant? Cõnexio iſta, quanquam ſit prolixe diſpoſita, notiſſima etiam eſt: maior, clara eſt quoque in lumine naturali, & fidei: minor vero ex ſenſibili atque palpabili conſtat experiẽtia. Quanta enim ſcandala perpeſſa fuerit Eccleſia Dei, a die qua nouitates iſtæ exortæ ſunt, magno ſuorum filiorum diſpendio atque iactura, agnouimus & experti ſumus. Neque eſt quod cõminiſci iam poſſint ſanctarum Traditionum contemptores, aduerſus ſolidam Eccleſiæ de Traditionibus doctrinam, ſuſtulimus anſas omnes ſubſanandi, occluſimus omnes cuniculos, quibus elabi poſſunt. Nam quod dicunt multas Traditiones eſſe impias, vt venerandam legẽ cœlibatus, et ſacroſanctam Miſſam, probauimus apertiſſime, Miſſam quantum ad eius ſubſtantiam attinet, eſſe oblationem et ſacrificium DEO placitum, & a Chriſto ipſo inſtitutum, & ab apoſtolis promulgatum & vſitatum, necnon a ſanctis omnibus in magno precio habitum: legem vero cœlibatus oſtendimus eſſe diuinum conſilium, & a tempore apoſtolorum vſque nunc a tota Eccleſia complexum. Quod vero cauſantur, cum opinione neceſſitatis & meriti, hæc omnia a nobis cõmendari, & Chriſtianam iuſtitiã in eis collocari, aperte etiam cõmonſtrauimus eſſe hoc manifeſtum mendacium. Eſt enim in his magna latitudinis diuerſitas, & bona pars earum quantũuis ſit circa res indifferentes, accedente tamen maiorum obedientia, fiunt quodammodo neceſſariæ, eo quod neceſſe eſt honeſtis & licitis, quæ

cultum

cultum Dei promouent, diſciplinam Eccleſiæ retinent, & pietatis profectum adaugent, humiliter obtemperare: obedientia vero prælatorum ad cultum Dei ſubſtantialiter pertinet, eo quod a Deo ipſo præcepta eſt, & fidelibus cõmendata, quibus ſi qui refragantur (vt Apoſtolus docet) ipſi ſibi damnationem acquirunt, non quidem pœnę temporalis, vt ibi explicuit, ſed in conſcientia: a fortiori ergo, qui morigeros parentibus ſpiritualibus ſe gerunt, gratiam promerentur apud Deum. Cum enim calicem aquę frigidæ in nomine eius datum ſine pręmio non relinquit, quid putas pręmij manebit eos qui propter Dei præceptum inſtitutis ſalubribus maiorum, humiliter ſe ſubmittunt? Magis propenſus eſt Deus ad retributionem, quam ad damnationem: quare cum tranſgreſſoribus obedientiæ damnationem cõminetur æternam, obedientes mercede ſua non fraudabuntur: ex parte ergo huius obedientiæ, multa quæ alias indifferentia ſunt, dicimus eſſe ad ſalutem neceſſaria, cõcedentes cum hoc eſſe multa alia, in quibus ſi abſit contemptus maiorum & ſcandalum proximorum, nullum aut leue peccatum eſſe, ea nõnunquam prętermittere. Sunt ergo multis nominibus rei Traditionum aduerſarij. Primo, quia ipſi Ieſu Chriſto Domino noſtro & ſpiritui eius repugnant, a quo multas Traditiones recepit Eccleſia, vti iam vidimus. Secũdo, quia legatos eius apoſtolos & apoſtolicos viros primos illos religionis parentes, in ſuis traditis floccipendunt, a quibus bona pars Traditionum promanauit, & per quos diuinæ Traditiones Eccleſiæ innotuerunt. Tertio, quia ſanctam Eccleſiam apoſtolicam ignominioſe traducunt & infamant, ob id ſolum, quod ſanctas has Traditiones ſuſcepit, & venerabiliter retinuit, atteſtãte hoc omnium ſanctorum patrum conſenſu. Quarto, quia ſuis auſibus temerarijs ſanctam Eccleſiæ politiam interturbant, Chriſtianam pacem lędunt, & omnibus Eccleſię membris magno ſcandalo ſunt. Hactenus de tertia parte dixiſſe ſufficiat. Rom. 13

QVARTA PARS.

DILVTIO OBIECTORVM ADuerſæ partis.

VIdiſti Chriſtiane Lector ſanctarũ Traditionum doctrinam, earumque vim ſacroſanctam, non ſolum diuinis ſcripturis, ſed omnium totius eccleſiæ Orientis & Occidentis patrum, venerandorum pontificum, ſanctorum martyrum, percelebrium antiquiſſimarumque ſynodorum, quæ totius orbis vniformem conſenſum præ ſe ferunt, clariſſimis teſtimonijs cõ-

monſtratam et comprobatam. Quæ cum tot ſint, ac tantæ fidei & auto ritatis, quis in ſanctas Traditiones deinceps quicquam vel hiſcere auſit, niſi inſanus demens hæreticus, & proprio iudicio condemnatus? Quæ rurſus iacula vibrari poſſunt in molem tam robuſtam, ſacrarum ſcripturarum argumentis, teſtimonijs vere apoſtolicis, irrefragabilibus probationibus conſtructã, quæ confeſtim vt fuerint emiſſa, aut ſuapte infirmitate non infringantur, aut molis ipſius magnitudine & robore retuſa, in iaculatores ipſos non conuertantur? Age tamen videamus, quid malignãtium hominum conuenticula, in hunc apoſtolicũ & eccleſiaſticum cuneum, a Petrobuſianorum, Pygardorũ & Valdenſium tẽpore, vſque ad hanc noſtram ætatem cõmenti ſunt, & nunc quoq; falſi dogmatis renouatores cõminiſcuntur: vbi ſi animum adhibeas candidum & ſyncerum, facile obſeruabis, quam ſit vanum, verſatile & infirmum hæreticorum ingenium, obſeruabis et mirificam quandam dexteritatem (ſcilicet) qua in exponendis ſcripturæ locis vtuntur.

Prima obiectio aduerſariorum.

Deut. 12 IMpugnant Eccleſiæ aduerſarij ſanctarum Traditionũ doctrinam, primum ex loco illo Deute. xij. vbi populo Iſraelitico in hunc modũ pręcipit Dominus: Quod pręcipio tibi hoc tantũ facito Domino, nec addas quicquam vel minuas. & cap. iiij. Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo. vbi videtur interdicere Dominus per Moyſem, aliam ſui cultus doctrinã, prçter eam quæ per Moyſen illis tradebatur, Traditio ergo cum ſit doctrina addiditia ſuper ſcripturam, a Deo eſt prohibita.

Hic locus nihil cõtra nos facit, nec in eo ſenſu accipi poteſt, vt iſti detorquent, reſpiciamus ad antecedentia illorum verborum, quæ ſępiſſime omittunt aduerſarij Eccleſiæ, vt truncata ſcripturæ ſentẽtia fucum indoctis faciant, & aliquid magni in ſcripturis dicere videant. ſic habet periodus quæ pręcedit illa verba ſancti Moyſi: Quando (inquit) diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciẽ tuã gentes ad quas ingredieris poſſidendas, et poſſederis eas, atq; habitaueris in terra earũ, caue ne imiteris eos, poſtquã fuerint te introeunte ſubuerſæ, et requiras ceremonias earũ, dicẽs: Sicut coluerunt gentes Deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Dño Deo tuo, omnes enim abominationes quas auerſatur Dominus, fecerunt dijs ſuis offerentes filios & filias cõburentes igni. Nunc ſequitur allegata ſententia ab aduerſarijs, quod pcipio tibi hoc tantum facito Domino. Obſecro quis hic non videt ſolum inhibuiſſe Dominũ populo ſuo, ne relicta doctrina cultus ſui, quã ipſe per Moyſen dederat, ceremonijs falſorũ deorũ ipſum coleret? Fac (inquit) quæ pcipio tibi, hoc eſt, exerce te in hoc cultu a me tradito, et ne pſumas adijcere aliqd vel minuere, ex

ere,ex alienis cultibus et prophanis. Dixerat em̄: Non facies ſimiliter Domino Deo tuo, colēs .ſ. Deum cultu alienorꝛ,ſed tantū in cultu a me tibi tradito inſiſte. Quare non prohibet in vniuerſum additionē Dominus, vt iſti prętendunt. Prætereo quod pceptum hoc etiam ſi vniuerſale eſſet, extendi non poteſt ad noui Teſtamēti cultores,quibus lex et cultus Dei in cordium penetralibus ſculpta ſunt, quos Chriſtus legiſlator per ſe et ſuos apoſtolos voluit docere, atqꝫ in cultu ſuo inſtruere. Omitto etiam quod alia lectio ad Hebraicam veritatem magis accedēs,non habet particulam illam tantum,ſed ſic legit: Quæ præcipio, obſeruare debetis: vt illa faciatis,nolo tamen ad nouas translationes (quod iſti plerumqꝫ faciunt)tam debilis argumenti gratia recurrere. Adde,quod cum plurima ex ſanctis Traditionibus a Chriſto ipſo & apoſtolis emanauerint (vt probauimus) quamuis locos illos ad omnem ſtatum Eccleſiæ vellent extendere, non addit ad doctrinā Dei,qui Traditiones ipſius reueretur,& per eas ipſum colit & honorat,cum ſint diuinæ doctrinæ non cōtemnenda pars. Non eſſe autē ſenſum illorum locorū, quem aduerſarij prętendunt,ratione etiam apertiſſima ſic confirmo: Quia aut ex illis locis volunt intelligere quod prȩter doctrinam Deuteronomij, & aliorum quatuor prȩcedentium ſacrorum librorum,nihil tanquam verum & fide dignum debeat recipi,ſub maledictionis pœna,quæ etiam alibi ponitur. Et tunc vnum ſequitur abſurdiſſimū.ſ. ſolum Moyſi pentateuchum a fidelibus recipi debere: quod erat impiorum Samaritanorū inſtitutum. Explodendi ergo erant prophetæ,liber Iudicum,ſancta euangelia,apoſtolicæ epiſtolæ,& reliqua pars ſacrorum librorum: maledictus inſuper fuit Ioſue,vel Eſdras,vel quiſquis ille fuit, qui bonam partē vltimi cap. lib. Deuter.addidit,vt de morte Moyſi,de fletu quo fleuerūt eum filij Iſrael, & obedientia,quam prȩfato Ioſue prȩſtiterunt filij Iſrael, & quod nō ſurrexit vltra propheta in Iſrael ſicut Moyſes,quæ poſt mortem Moyſi cōſtat fuiſſe addita: aut intelligunt quod nihil debet addi,etiā interpretationis & intelligentiȩ gratia,quod nō ſit etiam diuinū,vnde ſequeretur iterum ſacrilegū fuiſſe ſanctum Moyſem,qui multa addidit,vt ea quæ prȩcipiebat Dominus, declararet. Exod.enim xij. cum Dominus ritū phaſe ei denunciaret,de illinitione poſtium cum ſanguine agni,tantum dicit,vt ſumerēt de ſanguine eius,ac ponerent ſuper vtrumqꝫ poſtem, & inſuper liminaribus domorum,in quibus comedent illum. Moyſes autem cum hoc ſenioribus refert in eodem cap.modū addit,quo liniendi poſtes ſunt: Ite(inquit)tollentes animal per familias veſtras,& immolate phaſe,faſciculumqꝫ hyſopi tingite in ſanguine, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrumqꝫ poſtē:vbi faſciculum & aſperſionē,addita eſſe vides. Itē prȩcepto de obſeruantia Sabbati,cum lege illis dat Deus Exodi xx. & xxiij. & xxiiij. nullam pœnam corporalē Deus apponit: & tamen ipſe Moyſes, Exod.12 Exo.20 &23.24.

cũm legem Domini Iſraelitico populo inuulgat, interprętando, addit: vt in die Sabbati nec ignis accendatur in omnibus eorum habitaculis, inſuper & mortis pœnam Sabbatum infringentibus cõminatur. Rurſus in primo præcepto legis cum ipſe nudum a Deo acceperit per negationẽ, non habebis deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile. Exodi xx.

Exo. 20 & 34. & xxxiiij. Moyſes tamen Deuteron. vi. illud interpretãdo addit: Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſerules, ac per nomen illius iurabis.

Origen. Quid quod Origenes ſuper illo Num. xxiij, Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, aſſerit Moyſem ex ſe multa in ſcriptura locutum fuiſſe & declaraſſe: & ponit exemplum de diuortio, quod Deus nõ explicuit, ſed Moyſes tantum permiſit, vnde Dominus Ieſus apud Matthęum Iudæis

Matt. 19 dicit: Ad duritiem cordis veſtri permiſit vobis Moyſes libellum repudij, ab initio autẽ non fuit ſic. Item ſacrilegi eſſent omnes ſancti, qui magni pendendas interpretationes ſuper ſcripturas addiderunt, eaſq; claras & peruias facere conati ſunt, ſacrilegus deniq; ipſe Luther, qui hunc librum Deuteronomij, ſuis annotationibus, ne dicam conſpurcationibus, maculauit atq; corrupit. quid ergo reſtat, niſi vt intelligantur loci illi de additione doctrinæ, quæ ſenſum ſcripturæ peruertit atq; corrumpit, vel quæ contraria docet, aut diuinæ ſcripturæ derogat?

Hoc modo D. Ambroſius lib. de paradyſo, in diuinis præceptis clare

Ambro. traditis, addendum vel detrahendum aliquid quod pręcepti ſenſum corrumpat, negat, cum dicit puram & ſimplicem mandati formam debere ſeruari, vbi merito primam matrẽ viuentiũ Heuam repręhendit, quia ad pręceptum & cõminationem Dei aſſertiuam, particulã addidit dubitatiuam, Ne forte (inquit) moriamur, cũ Dominus dixiſſet: Quacunq; ho

Geneſ. 3 ra comederitis morte moriemini: quam additionem vel detractionem, ſacrilegam pręuaricationem idem appellat Ambroſius. Dicit enim exponens illum locum, quantũ præſens lectio docet, diſcimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere diuino mandato, ſi quid eñ addas vel detrahas, præuaricatio videtur eſſe diuini mandati, quod fecit Heua putans ſe caute Domini mandatũ tẽperare. Sed nihil horũ facit apoſtolica Traditio, quin potius ſcripturam diuinã in obſcuris interpretatur, atque dilucidat & multa ſupplet per Dei voluntatem, quæ in illa non continentur, ad Eccleſiæ ſtabilimentũ, & politiæ Chriſtianæ ornatũ. Aut etiã dici poteſt voluntatẽ Dei in his eſſe, vt pręter diuinitus tradita nihil recipiamus in ea autoritate et reuerentia, qua ipſa diuina recipimus, nec pro diuino reputemus, quod diuinũ non ſit. Eligat lector ex his quod magis ſibi libuerit. Varias enim expoſitiones eaſq; legitimas, exploſis aduerſariorum cõmentis, ob oculos poſuimus.

Secunda obiectio.

Haud

HAud diſſimiliter ſolui poteſt ſecundus locus, quem ex Paulo ad Galatas afferunt: Si quis vobis euangelizauerit, pręterquã quod accepiſtis, anathema ſit. ſ. vt intelligatur de doctrina cõtraria & aduerſa euangelicæ doctrinæ, & quæ illi derogabat, qualis illa erat, quam intendebant plantare falſi iſti apoſtoli, in ignominiam beneficij & gloriæ Chriſti, prædicantes legem Moyſi neceſſariam eſſe ad ſalutem hominis, qui iam Chriſto adglutinatus erat, ita vt Chriſtus non ei ſufficeret, ad placandum patrem, & ad ius filiationem nanciſcendum: quod manifeſte derogabat euangelicę dignitati a Paulo prędicatæ. Itaque non eis prohibet aliam doctrinam, nec alia ſcripta. Alioqui anathema fuiſſent, qui receperunt Ioannis euangelium & Apocalypſin, quæ longe poſt Paulum ſcripta ſunt, vt ſupra demonſtratum eſt. Et aduerte obiter, quod non dicit: Præterquam quod vobis ſcriptum eſt, quod faceret pro aduerſariorum errore, ſed pręterquam quod accepiſtis. Acceperunt autem euangelium Chriſti per Traditionem ab ipſomet Apoſtolo, de qua prædicatione Galatis tunc facta nullum extat in Eccleſia ſcriptum, quare non magis facit ad rem eorum pręſens locus, quã ſi ex illo vellent probare Deum eſſe trinum & vnum. Hanc noſtram ſolutionem, præter hoc quod literæ cõtextui mire conuenit, Diui Auguſtini doctrina confirmat, qui tractatu nonageſimo octauo ſuper Ioannem ponit differentiam inter hæc duo, Si quis vobis euangelizauerit plus quam accepiſtis, et pręterquam quod accepiſtis: ſecundum dicit, q̃d eſt tranſgredi fidei regulam: primum vero non inconuenire, nec ab Apoſtolo prohiberi. Imo ipſemet Apoſtolus Theſſalonicenſium tertio, plus quam prius acceperunt, deſiderat ſe Traditione velle inculcare, dicens: Abundantius orantes, vt videamus faciem veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ: nec propter hoc anathema fuit. Eſt et alia eiuſdem Auguſtini non pœnitenda in præfatum locum expoſitio, quam ad confuſionem corruptorum iſtorum, in medium iuuat afferre, vt appareat omnibus, quam longe abſint ciſternæ iſtæ diſſipatæ, a viuarum aquarum continentia: in quinquagena tertia exponens illud Pſalmi cxxiij. Inter medium montium tranſibunt aquę, obiter prædicta Pauli verba declarat: Si veniat (inquit) mons, aliud euangelizans, anathematizetur. Vnde hoc? quia de priuato vult fluere, non de medio, et hoc forte homo carnali nebula pręperitus, & a fonte cõmuni ad propriam ſuam falſitatem redactus, poſſet facere, nunquid et angelus vere? Reſpondeo: Si angelus de proprio fluens in paradyſo non eſſet auditus, nõ pręcipitaremur in mortem, media aqua poſita erat hominibus præceptum Dei, aqua media, aqua quodãmodo publica ſine fraude, valebat quod diximus charitati veſtræ, ſine labe, ſine cœno fluebat: ſi ipſa aqua ſemper haberetur, ſemper viueretur: venit angelus lapſus de cœlo, factus

Auguſt.

Quinquagena tertia.

ſerpentis

ſerpens, quia inſidioſe iam venena ſpargere cupiebat, emiſit venenum de proprio, locutus eſt de ſuo: quia qui loquitur mendaciũ, de ſuo loquitur, et miſeri audiendo quod cõmune nõ erat, vnde beati erant, & ad ſuũ proprium redacti, cum volunt peruerſe eſſe ſimiles Deo, appetentes quod non erant, quod acceperunt, amiſerunt. Ergo fratres (inquit) ad hoc valeat quod diximus, charitati veſtræ propter fontes, vt fluant de vobis, cõualles eſtote, & cum omnibus conferte quæ de Deo habetis, intermediũ fluant aquæ, nulli inuideatis, bibite, ſaturamini, manate, ſaturate, cõmunis aqua Dei vbiq; habet gloriã, non hominũ priuata mendacia. Aperte hic ſanctus pater ſchiſmaticorũ doctrinam, et quicquid in angulis et ſeorſum docetur, et non de medio gurgitis ſanctæ Eccleſię promanat, etſi ab angelo de cœlo dicatur, minime capiendũ eſſe docet, eo quod qui de ſuo et priuato capite loquitur, mendacia ſeminat, et hoc eſt aliud euangeliũ, pręterquam quod accepimus, quod anathematizat Paulus, ſcilicet quod non de cõmuni Eccleſię ſenſu et ſpiritu Chriſti venit, ſed de priuatis mõtibus, ſuperbis ſingularibuſq; capitibus, quale fuit pręcedentium hęreticorum et Lutheranorum, Sacramentariorum, et Anabaptiſtarũ, et aliarum furiarũ euangelium. vbi obiter et ſatis pie ex hac doctrina admonemur, fratres in Domino dilectiſſimi, vt quoties nouum dogma auribus noſtris inſonuerit, videamus et perpendamus, humiliter et cum fide oremus, et diligenter a ſapientioribus et melioribus inquiramus, vtrum de medio montium apoſtolicorũ laticum fluat, et an Catholicę et Apoſtolicę eccleſię doctrinis cõſentiat; quod ſi ita ſe habeat, acquieſcamus illi, potemus et inebriemur: ſin autem de aliquo particulari ſenſu eccleſię Catholicę (quę omnibus nouitatibus longe antiquior eſt) aduerſo promanare cognouerimus, reijciamus, et anathemate damnemus, dicamus cũ Paulo: Si quis aliud euangeliũ tradiderit, ſit Cicerone eloquentior, ſit Ariſtotele doctior, appareat Ioanne Baptiſta ſanctior, ſit deniq; angelus de cœlo, anathema eſto, quia non de medio montiũ fluit, ſed de proprio et priuato capite manat, aliter enim hæreſeos notam non euademus. Nõ enim aliunde hæreſes dictæ ſunt, quam quod ex electione proprij capitis conſtant, dum ſibi quiſq; eligit quod credat, et non aduertit ad ea quæ in Eccleſia retinentur dogmata: quod recte docet Tertullianus libro de præſcriptione hæreticorum, his verbis: Hæreſes (inquit) dictæ ſunt ἀπὸ τοῦ αἱρεῖσθαι græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſiue ad inſtituendas, ſiue ad ſuſcipiendas eas vtitur, ideo proprio iudicio condemnatum Paulus dixit hæreticum, quia in quo damnatur, ſibi eligit. Poſt vero ſubiunxit, quid Chriſtianos deceat facere. nobis vero nihil ex noſtro iudicio indulgere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. quare hoc? Reſpondet, quia apoſtolos Domini habemus autores, qui non ipſi quoq; ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt, ſed acce-

ptam

ptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignauerunt, ita, vt ſi angelus de cœlo aliter euangelizaret, anathema diceretur a nobis. Hoc ipſum diuum & magnum Baſilium factitaſſe legimus, cum Eunomianorum impiam nouitatem audiuit, quam ſtatim dixit ſe contuliſſe cum apoſtolica Eccleſiæ vetuſtate, quæ media aqua eſt, & de medijs fontibus fluens, cui quia vidit male eam conuenire, non ſolum non recepit, ſed fœliciter impugnauit. Id quoqꝫ ſi a proceribus Germaniæ & alijs, cum Lutheraniſmus, & nouitates variæ increbreſcerent, diligenter et grauiter (prout ipſa rei qualitas expoſcebat) proſpectum fuiſſet, non facile ſe credidiſſent capitibus priuatis & vaniſſimis: & alia nunc in ea prouincia veræ religionis facies appareret, multaqꝫ incōmoda euitaſſet, quæ et hactenus ſubijt, & nunc forte imminent, prouincia alioqui inter nobiles præcipua. Sane præter ſcripturam aliqua poſſe obſeruari quæ Deo placent, & animę valde vtilia ſunt, nemo vnquam ſanctorum negauit, & nos latiſſime probauimus. Succurrit tamen modo ex libro Paſtoris Nuncij ad Hermam Pauli diſcipulum in quinta ſimilitudinum non leue ad hoc propoſitum teſtimoniū, cum ſermonē faceret de eccleſiaſticis ieiunijs, quas antiqui ſtationes vocabant: Mandata (inquit) Domini cuſtodi, et eris probatus, & ſcriberis in numero eorū, qui cuſtodiunt mandata eius: ſi autē pręterea quæ mandauit Dominus aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honeſtior apud Dominum eris, quam quod eras futurus, hęc ille. Vides quantum diſſonet nouatorum vox, ab antiquæ Eccleſiæ vocibus, adeo vt prorſus contraria doceant. in quo ergo gloriantur ſuperbi iſti?

Baſilius.

Hermas.

Tertius locus eſt in ſcriptura, nunquā non in ore iſtorum verſatus, quoties de eccleſiaſticis Traditionibus ſermo incidit, ex Marci euangelio vij. capite deſumptus, vbi Chriſtus dicit: In vanum me colunt docētes doctrinas et pręcepta hominū. vnde iſti profundiſſimi (ſcilicet) ſcripturæ rimatores, a ſono duntaxat verborum arripiunt anſam damnandi omnem doctrinam quæcunque in ipſa ſcriptura non inuenitur, vel ſaltem ad contemptū exponendi: hoc ingenio ſunt et ſemper fuerunt hæretici, non aliter allegantes ſcripturam, quam pater eorū diabolus, qui ſuaſurus CHRISTO vt e pinna templi ſe demitteret, probauit illud ex ſcriptura dicens, quia ſcriptum eſt: Angelis ſuis mandauit de te, contentus tantum ſyllabas et apices ſcripturę allegare, et ad peſſimum inſtitutum ſuum quoquo modo applicare: ſic item et hi, vt libere de ipſorum ingenio dicam, quod ſentio, ſtatuerunt prius apud ſe ſanctas Traditiones eliminare atqꝫ reijcere, eo q̄d ipſorū dogmata plane dānant. Et poſt modū anxie et ſollicite quęrunt ſcripturę verba, quę ſuperficietenus pro ſuis erroribus facere videntur, egregium ſane modum promouendi euangelium. videamus tamen, quo vafer et fallax eorum animus

magis

magis pateat, verborum Chriſti ſenſum & occaſionem, excutiamuſque tum antecedentia, tum conſequentia, quatenus legitimus ſenſus præfatorum verborum ſuper hac re eruatur, & quod verum eſt, teneatur. Sic enim habet euangelica narratio: Cum vidiſſent ſcribæ & phariſæi quoſdam ex diſcipulis Chriſti cõmunibus manibus, id eſt, non lotis, manducare panes, vituperauerũt, Phariſæi enim niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes Traditiones ſeniorum, & a foro niſi baptizentur, non comedũt: & alia multa quę tradita ſunt illis ſeruare, vtpote baptiſmata calicum, vrceorum, æramentorum & lectorum. Dixerunt ergo illi, quare diſcipuli tui nõ ambulant iuxta Traditionem ſeniorum, ſed cõmunibus manibus manducant panem? En tibi diſceptationis occaſionem, qua Chriſtus adductus verba illa dixerit, in quibus iſti vane cõſtruunt errorem ſuũ, leuem. ſ. & frigidam Traditionẽ, quæ neq; virtutẽ iuuabat, nec pietatem promouebat, quam quia negligebant apoſtoli, (vtpote harum rerum minime curioſi) tanto ſupercilio reprehendebãtur a Phariſęis, ac ſi cõtra Dei mandata facinus aliquod perpetraſſent. Horum arrogantiam & ſiniſtram intentionẽ ſeuero magiſterio merito retũdit Chriſtus, dicens: Bene (inquit) prophetauit de vobis hypocritæ, Eſaias: Populus hic labijs me honorat, cor autẽ eorum longe eſt a me. Et ſtatim ſubiungit verba, de quibus eſt nobis controuerſia: In vanum me colunt, docentes doctrinas & pręcepta hominũ. Attende lector, ſi intelligentia dictorum, vt habet regula percelebris Hilarij, ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, & de frigidis Traditiõibus, et prorſus inutilibus, quarum neglectus tanto cũ ſtomacho notabatur ab illis hypocritis, non ſecus ac ſi fuiſſent diuinũ aliquod oraculũ, verba hęc locutus eſt Chriſtus, ergo de illis tantũ intelligi debent eadem Chriſti verba: hęc vero quid cõmercij habent cum eccleſiaſticis & apoſtolicis Traditionibus, quibus Eccleſia regitur, fulcitur & roboratur? An non hoc eſt quęſo magnam iniuriam Chriſto Eccleſiæ ſponſo irrogare, puta quę in eadem Eccleſia tradita ſunt diuinitus, cum frigidis illis & ſuperſtitioſis Iudæorum ceremonijs ęquiparare? Iudaicæ eñ de quibus Chriſtus hic loquebatur, a priuatis et ſuperſtitioſis hominibus erant introductæ, quæ ciuilitatem quandam puerilem tantum prę ſe ferebant, inutileſq; erãt ad pietatem, & eo ſupercilio quo cõmendabantur a phariſæis, officiebant pietati, quędam etiam aduerſabantur legi diuinę: Eccleſiaſticæ vero et apoſtolicæ Traditiones, ab ipſis apoſtolis et eorum diſcipulis per ſpiritum ſanctum traditę, a maxima vſq; ad minimam exercent ſubditos in obedientia, populares continẽt in diſciplina, promouent cultum Dei, adaugent religionem et fidẽ, nihil denique eſt quod non loquatur pietatem, modo pium, humilem & intelligentẽ habeant inſpectorem, ita vt iure poſſis credere omnia (vſq; ad minutas ceremonias) a ſpiritu ſancto verius fuiſſe inſtituta, quam a

Hilarij.

pijs

pijs & ſanctis Eccleſiæ rectoribus adinuenta,nec aliud vnquam probare potuerunt aduerſarij,quamuis plurimum in hac materia & infœliciter ſudauerint. Sed vide obiter in pręfatis verbis Ieſu Chriſti pręceptoris noſtri modeſtiã,qui cum de frigidis traditiunculis diſſeruiſſet,tam falſa opinione cõmendatis,non dixit eas eſſe dęmoniorum doctrinas,non cõmenta hominum,non impia inſtituta,vt hi ſuperbi euangeliſtæ de veris apoſtolicis Traditionibus tertio quoq; verbo in ſuis ſcriptis magna cum blaſphemia dicunt,ſed grauiſſima illos modeſtia docet (vt interim aliã huius loci interpretationem demus)Deum vere coli nõ poſſe,huiuſmodi inſtitutis ſine cordis puritate, hoc eſt prompta in lege Dei voluntate. et ob id poſtq; dixiſſet,Cor autem eorum longe eſt a me(per vitiorũ.ſ.impuritatem)adiecit:In vanum me colunt,docentes doctrinas & pręcepta hominũ.quaſi diceret:quando corda hominũ propter inquinamenta prauitatis Deum nõ amant,vt amandus eſt,tunc vana eſt obſeruantia rerũ externarum: neq; ad vllam cedit animæ vtilitatem,quantũ ad ęternã vitam promerendã,quamuis de rebus frigidis non ſint. Cæterum ſi cordis puritate obſeruantur,Traditiones illæ quæ ad Dei cultum ordinantur, quantũcunq; de rebus minimis ſunt,nõ ſunt vanæ, ſed ſtimuli quidam ad veram pietatem,et vtiles,tum ratione pietatis,quam multæ illarum promouent,tum etiam ratione pacis et diſciplinæ populorum,quam cõſeruant:adde quod a maioribus pręceptæ ſunt,quibus iuxta præceptum Chriſti tenemur obedire. Cordis vero impuritate Traditiones ſuas ſeruaſſe Iudæos,in rebus alioqui nullius momẽti valde ſuperſtitioſos,Chriſtus aperte demonſtrat,cum ſtatim eos redarguit,non iam de frigidis & inutilibus Traditionibus,ſed quod defectu diuinę dilectionis φιλαργυρίᾳ ductì impias Traditiones,legi Dei aduerſas cõminiſcerẽtur. Et vt in ſumma dicam,circa Traditiones alterũ hic docet Chriſtus,& alterũ reprehendit: docet Traditiones hominum vanas eſſe ſine Dei dilectione, reprehendit vero Traditiones,quæ legi Dei cõtraueniunt, vt erat illa de oblatione munerum,quam auaritia ſacerdotum inuenit, poſthabito parentum honore,quos Deus per ſuam legem iuſſerat honorari. hunc ſenſum verborum Chriſti,et ſi ipſa verborum ſeries præ ſe fert,vt oſtendimus,Irenæus et Tertullianus autores celeberrimi et peruetuſti cõprobant. Irenæus lib. iiij. cap. xxvi. cum ipſum hunc locũm Marci tractat,hoc modo exponit: Chriſtus redarguit Phariſęos,quia tenentes legem,erant ſine dilectione, non quidem per Moyſen datam, ſed Traditiones presbyterorum quas finxerunt, quas vindicantes fruſtrabantur legem Dei,&propter hæc,nec verbo eius ſubiecti erant. hæc ille. Tertullianus vero lib. contra Iudæos, in hunc locum Marci incidens,ſic declarat: Negocium exprobrationis, hoc eſt, quod modica curabant,et maiora non exhibebant dicenti: Diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo etc. At qui fieri poteſt,

Irenæus

Tertull.

p vt lau-

vt laudabiles Traditiones patrum Chriſtus infringeret,cum ipſe multoties inſtituta,quæ non a Moyſe ſolum,ſed a maioribus poſt ipſum et ſeruauerit,& ſeruanda exemplo docuerit, & ſua pręſentia condecorauerit.

Ioan. 10 Dicitur enim Ioannis decimo:Facta ſunt encenia in Hieroſolymis, & hyems erat,& ambulabat Ieſus in porticu Salomonis. quod ſatis arguit

Macha. 1.cap.4 ipſum pręſentem feſto illius diei adfuiſſe.feſtum vero illud a Machabęis conſtat fuiſſe inſtitutum,Machabęorum libro primo cap.quarto. Itaq; ſecundum Chriſti doctrinam,et hos antiquos doctores,in hoc loco tantum repudiantur a Chriſto,frigidæ et ineptæ Traditiones, & id genus aliæ,parui ſane momenti, in quibus poſthabitis Dei mandatis collocabatur omis diligentia & fiducia.Illa vero repręhēſio Chriſti, q̄ ſequitur in textu,qua dicit Phariſęos reſcindere verbum Dei propter Traditionē ſuā,nō eo tēdit(ſicut iſti putāt) vt Traditio in vniuerſum reſcindat verbū Dei:abſit hoc a ſanctis inſtitutis,ſed ſpecialiter loquitur de illa impia Traditiōe, quā cōmenti ſunt auari ſacerdotes,mādato Dei de honorādis parētibus plane cōtraria.Id q̄d ipſe textus ſatis indicat. Dicit em̄ bene:Irritū feciſtis præceptum Dei ,vt Traditionē veſtram ſeruetis.Moyſes em̄ dixit : Honora patrem tuum & matrem tuam &c. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri vel matri corban,quod eſt donum quodcunq; eſt ex me,tibi profuerit,& vltra non dimittitis eum quicquā facere patri vel matri,reſcindentes verbum Dei propter Traditionem veſtram, quam tradidiſtis,& ſimilia huiuſmodi multa facitis.Hęc Chriſtus Dominus de Traditionibus aduerſis legi Dei duntaxat diſſeruit,vt luce clarius verba

Cypria. eius indicant:quem ſenſum ſacratiſſimus martyr Cyprianus approbat libro primo,epiſtola octaua pręfata Chriſti verba explicans:Qui mandatum(inquit)Dei reijciunt,et Traditionem ſuam ſtatuere conantur, fortiter a vobis et firmiter reſpuantur.Hunc eundem locum magnus ille Ba

Baſilius ſilius non aliter intellexit,in ſummario ſententiarum moralium,ſententia vigeſima quinta: Non oportet (inquit) Traditiones humanas ſequi in reprobationem mandati Dei.Matthęi decimo quinto:Fruſtra me colūt docentes doctrinas et mandata hominum. Ecce quales Traditiones Chriſtus reprobat ſecundum horum patrum intelligentiam, et ſeriem verborum Chriſti.

Hæc ſunt ex ſcripturis arma pręcipua, quibus eccleſiaſticam doctrinam impugnant aduerſarij,contenti ſyllabas duntaxat verborum adduxiſſe:nam ſenſum earum nihil ad nouatorum cauſam facere non e noſtro capite,ſed ex ipſa ſcriptura,& mente ſanctorum patrum abunde ſatis monſtrauimus.Nunc ad alia quædam veniamus,quæ illi ex duobus vel tribus patribus male detorta ac peius intellecta, aduerſus ſanctas Traditiones afferunt.

Primū omnium obtrudūt nobis ſanctum Cyprianū,vt qui in epiſtola ad Pom

ad Pompeium, in qua re reſpondet epiſtolæ beati Stephani martyris, eo tempore Eccleſiæ gubernacula tenentis, Traditionibus ſanctis videatur derogare, & ſolum pro vero tenendum eſſe, quod in ſcriptura cõtinetur aſſerere: hinc illi fideles adeo interpretes, confirmatũ a ſancto viro peſtilentiſſimum dogma ſuum putant, recenſeamus fideliter ſanctiſſimi viri verba, pro quorum ſana intelligentia, cauſam diſputationis inter ipſum & papam Stephanum prius aperiamus. Diſceptatio inter

Nota eſt omnibus controuerſia, de rebaptizãdis hęreticis, inter hoſce ſacratiſſimos patres, & Chriſti martyres ſuborta. Stephanus cõtendebat minime rebaptizandos eos, qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniebant, ſed per manuum impoſitionẽ recipiendos, cuius placitũ merito obtinuit in Eccleſia, & ratum habitũ eſt in concilio magno Niceno, vbi ſpecialiter deuenientibus Catharris ad Eccleſiam prȩcipitur, vt per impoſitionem manuũ duntaxat recipiantur: cuius etiam ſententiã ſecuti ſunt oẽs ſancti doctores, prȩcipue Auguſtin. Et vniuerſa Eccleſia tenuit tã Orientis ꝙ Occidentis. Contra vero Cyprianus aſſerebat, nec id ſine apparentia, quamuis falſum omnino & erroneum, quod ſcio nõ negabunt aduerſarij. Stephanus præmuniebat cauſam ſuã Traditione, vt obiter videas in cauſa tam graui, quanti momenti reputata fuerit in prima Eccleſiæ ætate a ſancto hoc martyre, & Eccleſiæ vniuerſali præſidenti doctrina Traditionis. Cyprianus vero putabat ſcripturarum teſtimonijs cauſam ſuam muniri, vnde quia ſe videbat a Traditione apoſtolica a Stephano premi, nonnihil videtur derogare Traditionibus, cum Traditioni a Stephano allegatæ reſpondet: tamen vt plane derogauerit, quod vere negamus, dici poſſit ſanctum hunc virum in cauſa acceſſoria ſicut in principali erraſſe, in quo vno a ſancta Eccleſia non tenetur, et hoc ſufficeret ad occludendum aduerſariorum os, quibus ſemper deteriora ſolent placere: qui quicqd noxæ in hac re cõtraxit (ſi tamẽ cõtrahere potuit in re minime per Eccleſiam declarata) effuſione ſanguinis in martyrio ſacroſancto (vt teſtatur Auguſtinus) dilutum eſſe credimus. At ne tãtus Dei teſtis & doctor Eccleſię glorioſus ſchiſmaticorꝫ placito videaẽ fauere, ſententiam eius ex varijs locis collectã in mediũ afferamus, & huius loci obſcuritatẽ, per alia clariora hoc ipſum per ſeipſum exponamus. Stephanum mar tyrem et Papam, et Cypri anum. Synod. Nycena.

Diximus ſtatum cauſæ ſuper qua digladiabantur Stephanus & Cyprianus. Proponamus nunc eorundem verba, Stephani decretum ſic habebat: Si quis a quacunqꝫ hæreſi venerit ad nos, nihil innouetur niſi quod traditũ eſt, vt manus illi imponantur in pœnitẽtiam. Itaqꝫ muniebat cauſam iſte S. Pontifex apoſtolica Traditione. Sententia Stephani

Cyprianus vero oppoſitum tenens rationi Stephani, ſic reſpondebat: Vnde (inquit) eſt iſta Traditio, vtrum ne de Dominica aut euãgelica authoritate deſcendens? an de apoſtolorum mãdatis, atqꝫ apoſtolis veniens? Sententia Cypria.

Itaqꝫ in illa epiſtola ſtatus quęſtionis de hac Traditione in particulari erat,non de Traditionũ vigore in vniuerſum. At inſiſtet aduerſarius,dicens:Quamuis ſermo erat de Traditione quã allegabat Stephanus,tamẽ quia nolebat eam recipere Cyprianus,& cauſam ibi ſubdit, eo quod nõ cõtinebatur in ſcripturis diuinis, conſequitur nullam Traditionẽ recipi debere,niſi in ſcripturis cõtineatur. ſic enim habet Cyprianus poſt pſata verba, ea facienda eſſe q̃ ſcripta ſunt: Deus teſtatur ac proponit ad Ieſum Naue,non recedet volumen legis huius de ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte,vt obſerues facere omnia quæ ſcripta ſunt. Et paulo poſt addit Cyprianus:Si ergo aut in euangelio pręcipitur,aut in apoſtolorum epiſtolis aut actibus cõtinetur,vt a quacunqꝫ hæreſi veniẽtes,nõ baptizentur,ſed tantum manus illis imponantur in pœnitentiam,obſeruetur etiã & hæc ſancta Traditio Stephani.ac ſi diceret: Si in ſcripturis inueniretur,reciperemus:ſed q̃a non inuenitur, non volumus, neqꝫ tenemur recipere. Hęc eſt tota periodus Cypriani,quã hęretici putãt pro ſuo errore facere,vt e medio tollant quicquid diuinis ſcripturis nõ conſtat.

Cyprianus traditionem recipere nolebat

Sed res ſalua eſt,ſi ex alijs locis librorum Cypriani quoqꝫ huius ſenſum,& Cypriani mentem aperiamus. Primo enim nemini vel mediocriter in Cypriano verſato dubiũ eſſe debet,non ſcriptas Traditiones venerabiliter a ſancto hoc viro fuiſſe receptas,idqꝫ nõ ex vno loco eius doctrinæ in ſuperioribus mõſtrauimus. Nã & Cornelij papæ ſacerdotium & vnitatẽ cum ipſo neceſſariam eſſe Chriſtiano aſſeruit,multis in locis Nouatianos impetens,maxime epiſt. viij. & x. ad Corneliũ,et ad Maximũ et Nicoſtratũ. Et lib. de ſimplicitate pꝛælatorũ,epiſcopatus vnitatẽ,Dñi Traditionẽ eſſe dicit,ſimiliter infantiũ ablutionẽ, & olei ſc̃i illinitionẽ, ſine ſcriptura dicit eſſe valida et neceſſaria.epiſt. ad Ianuariũ:itẽ mixtionẽ aquę cũ vino,Traditiõe Eccleſię,pbat,epiſt. ad Ceciliũ. Et epiſt. viij. ad Corneliũ,et multa alia aliis locis tenet,q̃ prolixitatis vitãdę gratia omitto, ppo neremus verba,ſed ſatis eſt locos ipſos vnde petẽda ſunt,oſtẽdiſſe:& eorũ ſemel meminiſſe. Si igit̃ tot et tãti ſunt loci,q̃bus de eius intẽtiõe,quantũ ad eã rẽ attinet,cõſtat,rationabilius & veriſimilius eſt,locũ vnũ ad multorũ intellectũ reducere,q̃plures ad vnius ſenſum coarctare, maxime cũ alijs locis docere intẽdat,hic vero totus in cõcertatiõe ſit poſitus ſanctus pater,& pbabile eſt calore diſputatiõis accẽſum,& autoritate Stephani & Traditionis oppreſſum,quærere cuniculum quo poſſit effugere, non tam attentũ ad id quid dicat,ſed qua via euadat,aut aduerſariũ declinet.

Loci in quibus Cypria. recte ſentit de Traditionibus.

Frequens mos eſt,Auguſtino,Hieronymo,& alijs,cum ſint in concertatione diſputationis poſiti,reſpondendo vel arguendo,vt inclinent ad alterum extremum,quod magis diſtat ab aduerſarij poſitione: non quidem illud docere intendentes,ſed vt vel fortius vrgeant, vel cõmodius ſuam tueantur ſententiã. Hinc fit vt Auguſtin. Pelagianos impetens, ad Mani-

Mos Aug. et Hieronymi in diſputando.

Auguſt.

Manichæi dogma videatur inclinare. Rurſus cum Manichæis cōgrediens, Pelagianorum errori videatur fauere, ſimiliter Hieronymus cum Iouinianum impugnat virginitati derogantem, ſanctas nuptias videatur damnare, adeo vt multis ſui tēporis ſcandalo fuerit, non tamen ex illis locis pręcipue petendus eſt horum genuinus ſenſus, ſed ex alijs, quādo ſerio et abſq; cōmotione intendunt docere, nō vincere aduerſariū, vel eius argumenta diſſoluere, quod et Ariſtoteles ſæpiſſime facit, cum antiquos philoſophos ex profeſſo impugnat: ex quibus locis bonus peripateticus nunquā ſumpſit certū Ariſtotelicæ mentis argumentū, eo quod illic cupiat magis oſtentare victoriam, quam verę quod ſentit, propalare. Præterea quando autores pluribus rationibus ſententiam aliquā refellunt, non putant omnes verū concludere, aut argumentum diſſoluere, aut propoſitum efficaciter probare, ideoq; non firmant ſe in vno aſſumptorū, ſed ad alia feſtinant & recurrunt: quę omnia in pręſenti certamine cōtigiſſe Cypriano veriſimilius eſt quam oppoſitū. Quod item illa reſpōſio & ſententia Cypriani tanquam firma non ſit ab eo reputata & fixa, eo vel maxime conſtat, quod paulo poſt in hac eadem epiſtola Traditionem Stephani reijcit: non tā quia in ſcripturis non erat cōtenta, ſed quia diuinis pręceptionibus videbatur obuiare. Dicit enim quę iſta oſtinatio? quæue præſumptio? humanam Traditionem diuinæ diſpoſitioni anteponere, nec animaduertere, indignari & iraſci Deum, quoties diuina pręcepta ſoluit & præterit humana Traditio? Iam conſtat quod Traditionem illam non admittit Cyprianus, quia putabat a Stephano fuiſſe adinuentam, & diuinæ ſcripturæ aduerſam, quam ſcripturam Cyprianus allegabat ſatis oblique. Poſt vero in fine epiſtolæ, hanc eandem Traditionem ſine veritate eſſe dicit, et vetuſtatem erroris eſſe affirmat. Quare nō prorſus refutabatur ab eo, quia Traditio ſcripta non erat, ſed quia veritati contraria ab eo putabatur. Adde quod in epiſtola ſequenti ad Quirinum, quæ de eodem prorſus argumento eſt, Traditionis obſeruatorem ſe eſſe prædicat, negat tamen illam, quæ a Stephano allegabatur eſſe veram Traditionem, in eo ſenſu quem Stephanus pretendebat, & alium ei intellectum dat. Dicit enim loquēs de iſto dogmate: Dicunt ſe in hoc veterem conſuetudinē ſequi. ſ. hæretici, quando apud veteres hæreſes & ſchiſmaticos, prima adhuc fuerunt initia, vt illic eſſent qui de Eccleſia recedebant, & hic (. ſ. in Eccleſia) baptizati prius fuerant, quos tunc ad Eccleſiam reuertentes, & pœnitentiam agentes, neceſſe non fuerat baptizare: quod nos quoq; obſeruamus, vt quos conſtat hic baptizatos eſſe a nobis, & ad hæreticos tranſiſſe, ſi poſtmodum peccato ſuo cognito, & errore digeſto, ad veritatem & matricem redeant, ſtatim ſatis ſit in pœnitentiam manum imponere. Et rationem aſſignans ſuæ interpretationis, ait: quia iam ouis fuerat, hanc ouem abalienatam & errabundam, in oui-

le ſuum paſtor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit baptizatus prius in Eccleſia non fuit, ſed alienus in totum & profanus venit, baptizandus eſt vt ouis fiat. Non perpendis ſanctum virum Traditionis obſeruatorem ſe fateri, quæ ſcripto minime conſtabat? & veterem conſuetudinem a Stephano allegatam, non ſpreuiſſe modo, ſed incerto ſenſu tenuiſſe & reuerenter expoſuiſſe? Adde quod epiſtola ad Cornelium, cum conqueritur de quodam Nouaciano, quia ordinauerat quendam diaconum et epiſcopum ipſo & Cornelio inuitis, dicit: Remanere in Eccleſia Dei nō poſſunt, qui deificam & eccleſiaſticam diſciplinā, nec actus ſui cōuerſatione, nec morum pace tenuerunt: & hoc quia contra Eccleſiæ diſciplinam & Traditionem agebat ille, quæ tamen ſcriptura minime conſtabat, q̄d enim a ſuo epiſcopo ordinetur diaconus, mera Traditio eſt. Non ergo Cypriani mens erat in verbis illis ab aduerſarijs allegatis, Traditionem illam negare, ſed in eo ſenſu quem prætendebat Stephanus, nolebat recipere, et quod cauſam illam aſſignauerit, quare nō admiſerit, quia. ſ. in diuinis ſcripturis non legebatur: non hoc erat regulā pręſcribere de admittendis Traditionibus, vt male animati putāt aduerſarij, ſed quia ipſe pro ſua cauſa multos locos ſcripturæ adduxerat, contra vero Stephanus nudam Traditionem opponebat, quam Cyprianus putabat humanā, et in eo ſenſu, quo a Stephano allegabatur, falſam et ſuſpectam, ideo merito a ſe non recipi declarabat, quia nullas habebat in ſcriptura radices, cum econtrario aſſertio Cypriani ex ſcriptura probari videretur: quaſi diceret, mea cauſa fulcitur ſcripturis, tua vero nuda & male a te intellecta et ſola conſtat Traditione, ideo nolo eam admittere, quia ſuſpecta mihi cum ſit, in ſcripturis non habet ne per apparentiam quidem fundamentū, imo cum ſcripturis pugnare videor ego ſatis demonſtraſſe, quomodocunq; tamen ſeſe res habeat, vicit cauſam D. Stephanus, vtpote qui verum Eccleſiæ ſenſum Traditione apoſtolica & tenebat et ſequebatur. Vnde

Auguſt. beatus Auguſtinus libro quinto contra Donatiſtas hanc controuerſiā tangens: Conſuetudo (inquit) illa quæ opponebatur Cypriano, a Traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa quæ vniuerſa Eccleſia tenet, & ob hoc ab apoſtolis præcepta eſſe bene creduntur, quāquam ſcripta non reperiantur. Meminerunt etiam huius controuerſiæ de rebaptizandis hæreticis.

Euſebius Euſebius & Hieronymus, Euſebius lib. vij. cap. iij. hiſtoriæ ſuę eccleſiaſticæ, qui hāc concertationē inter Corneliū & Cyprianū primitus fuiſſe aſſerit; Oritur (inquit) quæſtio de hæreticis rebaptizandis in Africa, Cyprianus cum ſuis epiſcopis oportere fieri decreuerat, ſed Cornelius concilio Romæ congregato decreuit, ex antiqua Traditione a patribus ſuper hoc tradita, per ſolam manuum impoſitionē debere recipi. Hieronymus in dialogo Luciferiani dicit concilium coegiſſe Cyprianum, in quo

in quo reprobauit baptiſma hæreticorum, ſed conatus(inquit)eius fruſtra fuit:nam ipſi epiſcopi, qui hoc cõſtituerunt ad antiquam conſuetudinem reuoluti,nouum emiſere decretum. Hactenus de Cypriani ſenſu in propoſita quæſtione. Eligat iam ſibi lector ex ijs ſolutionibus,quę videbitur melior & magis pia.

Quin & D.Hieronymum,cuius autoritati nouatores iſti tertio quoque verbo ſcriptis ſuis impudenter ſolent detrahere, non veritus eſt de grege illo quidam maligne & ineptiſſime detorquere, dum verba ipſius trunca & corrupta ſtudet ad propoſitum ſuum trahere, locus eſt ſuper Matt.xxiij.cap.Quicqd (inquit) Hieronymus de ſcripturis diuinis non trahitur,eadem facilitate contemnitur,qua probatur. Ex quo infert quiſquis fuerit ille deprauator ſceleſtiſſimus, Traditiones eccleſiaſticas ſine periculo reijci poſſe,nr ſcio qua fronte corruptores iſti ſuſtineant ſanctũ hunc in vno loco pro ſuo dogmate allegare,eoq; quidem ſiniſtre & perperam intellecto,quem ipſum in alijs mille, vbi non facit pro ſua ipſorũ ſententia non recipiunt,imo corruptorẽ ſcripturarum, virũ ſanctiſſimũ & doctiſſimum,ore ſacrilego vocant. Si toties iſte ſanctus docet corrupte, vt vobis viſum eſt ſcilicet,quo iudicio putatis o nouitatũ pernicioſi inuentores hoc vno in loco veritatem dixiſſe? an forte quia in hoc dogmati veſtro videtur fauere,& in alijs aduerſari? ſcilicet, hęc eſt regula inobliquabilis inueſtigãdæ veritatis,tunc vero docent ſancti,cum ſemel videtur vobis cõuenire. Sed aperiamus fideliter beati viri ſenſum,ſimul & maligni huius ignorantiam vel mendacem impudentiam. Hæc ſunt verba Hieronymi (ſuper illo Matth. xxiij. Et veniet ſuper vos oĩs ſanguis iuſtus,a ſanguine Abel iuſti,vſq; ad ſanguinem Zachariæ,filij Barachię,quem occidiſtis inter templum & altare.) Quęrimus(inquit)qs ſit Zacharias filius Barachię,alij dicunt eſſe hunc Zachariã vnũ de xij. prophetis,alij patrem Ioannis Baptiſtæ, ex quibuſdam apocryphorũ ſomnijs approbãtes,quia Saluatoris p̃dicabat aduentum. Sed hoc quia dẽ ſcripturis nõ habet veritatẽ,eadem facilitate cõtemnitur,qua probatur. Hic vel oportet iſtũ apoſtatã fateri ſeſe malignũ eſſe Hieronymi corruptorẽ,& qui mendacio pernicioſo Eccleſiã nitatur impugnare, ſuumq; falſum euangeliũ promouere,vt quod ille ſanctus dixit particulariter de Apocrypha illa opinione,ab vno vel duobus leuiter aſſerta in vniuerſalem ſenſum,ad deſtructionẽ oĩm q̃ extra ſcripturã ſunt,male detorqueat: vel prorſus ſeſe eſſe aſininũ dialecticũ,q ex ſingulari enũciato, vniuerſalẽ enunciationẽ intulerit. Quod ſi per locũ a ſimilitudine, ex illo iudicio Hierony. particulari, inferre vult illã vniuerſalẽ,longe fallit̃,tã diſſimilis eſt apocrypha illa interpretatio a ſanctis Traditionibus, q̃ eſt diſſimilis lux a tenebris;illa eñi abſcõdita erat,hę vero publicę:illa particularis doctrina ab vno vel duobus inuẽta,hę vero a tota Eccleſia per omnes eius

ætates receptæ,illam merito reĳcit Hieronymus,has vero approbat,laudat, & cum aliĳs ſanctis patribus reueretur, prout latiſſime mõſtrauimus.In ſumma,illa ex ſomnĳs ortũ habuit, has vero ex fontibus illibatis Chriſto Domino & apoſtolis eius promanaſſe oſtenſum eſt. Quare iſtius perturbatoris illatio turpiter peccat in forma vel materia. Concedamus tamen illi gratis eſſe ſimilitudinem, quo magis eum de falſitate coarguamus.Quis non videt Hieronymum illam apocrypham expoſitionem parui facere,non ob id quia in ſcriptura non exprimeretur et cõtineretur,quod facere poſſet pro iſtorũ cauſa, ſed ex eo quod ex ſcripturis autoritatem veritatis non haberet:quod longe aliud eſt. Cõſtrue ergo nunc,o argutiſſime,argumentationem.Hieronymus refellit illam expoſitionem,quia de ſcripturis autoritatẽ non habet:fatemur ergo per locum a ſimilitudine,quicquid de ſcripturis autoritatẽ non habet,reĳciendum eſt.& illud etiam gratis tibi damus.Sed perge,& ſi potes, applica. At Traditiones eccleſiaſticæ de ſcripturis autoritatẽ non habent. iſtud negamus tanquã pernicioſum & manifeſtũ mendaciũ:nam licet in ſcriptura expreſſe et particulariter nõ contineantur,quæ tradita ſunt,autoritatem tamen habent ex ipſa ſcriptura.firmũ eſt Pauli verbum millies allegatum:Tenete Traditiones quas didiciſtis,ſiue per ſermonẽ,ſiue per epiſtolã.& aliĳ multi loci ſunt,qui irrefragabile teſtimoniũ huic rei præbuerunt,vt longe lateq; ſuo loco differuimus. ficta eſt autem illa interpretatio quam Hieronymus reĳcit,nec in ſcripturis inueniebatur, nec ex ſcripturis trahebat fundamentũ.Noſter ergo eſt Hieronymus,in hoc ſicut in aliĳs:non autem aduerſariorum.

Ne magis quidem pro illis facit (ſi recte intelligatur D. Chryſoſto.) quanquã pro ſe facere decepti iſti exiſtimarũt,Homil.1. ſuper epiſtolã ad Titum:Omnia (inquit) euangeliũ continet, præſentia, futura, honorem, pietatem,fidẽ,ſimul omnia prædicationis verbo concluſit. Ex his verbis colligere iſti nituntur,omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, in ſcriptura ſacra contineri,alioqui mãca & defectuoſa eſſet Ieſu Chriſti doctrina: quod mera blaſphemia videtur,quare reliqua doctrina vana eſt & ſuperflua. Breuiter hic dici poſſit, in euangelio cõtineri ſacramenta, & ea quibus gratia & perfectio Chriſtiana acquiri poteſt ac perfici,& quæ de ſe ad vſum rectũ gratiæ ex neceſſitate pertinẽt, vt recte docet S.Thomas 1.ĳ.q.cvĳ.arti.ĳ. Cæterum multa extra euangelium ſunt, tum quæ ad explicitam fidei latitudinem tenendam,tũ quæ ad ſacramentorum ritus, formas & vſus pertinent,quæ a Chriſto & apoſtolis oretenus accepit Eccleſia:ſunt etiã extra euangelia determinationes legis diuinæ affirmatiuæ, præterea quæ ad ordinẽ Eccleſiæ attinent,et cultum pietatis augmentãt, quæ omnia Chriſtus reliquit apoſtolis & ſucceſſoribus ſuis determinãda & ſtatuenda:hæc licet per ſe non ordinentur ad gratiam,iuuant tamẽ mirum

Prima ſolutio.

Sanctus Thomas

mirum in modum, et accedente obedientia in eo quod precepta ſunt, etiā ſunt neceſſaria, de quibus omnibus abſq; vllo verborum inuolucro S. hic pater ſuam nobis propalauit ſententiam, quæ paulo ante viſa eſt. Dici etiam merito poſſet, & quidem conſequentius ad ea quæ diximus, locum illum Chryſoſto. nihil omnino contra nos facere, ſed oblique ſatis ab aduerſarijs allegari: nullum enim verbum in loco iſto de ſcriptura poſuit Chryſoſtomus, ſed tantum de prædicatione euangelij Paulo apoſtolo credita, quæ longe amplior eſt verbū ſcriptū, imo quę ipſum ſcriptū verbum, vt partē contineat. Aduerſarius autē accipit contētum pro cōtinente, & partē pro toto, quod nunquā ſomniauit Chryſoſtomus. de hac ergo prędicatione ipſe affirmat, quod omnia neceſſaria cōtinet. quod libenter fatemur, cuius prędicationis pars (vt iā probauimus, & ipſe Apoſtolus multis in locis faſſus eſt) ſacræ Traditiones Domini & apoſtolorum eſt. Sed nec opus eſt concedere, omnia ſimul Eccleſiæ tradita fuiſſe, imo per ſucceſſiones temporum pro diuerſitate ſtatus Eccleſiæ, & rerum qualitate, & moribus ornabatur, et fide proficiebat Ieſu Chriſti ſponſa. Multa (inquit ipſa veritas diſcipulis ſuis) habeo vobis dicere, quę nō poteſtis portare modo: cum autem venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Quę verba tractans Tertullianus lib. de velādis virginibus, ſic docet: Propterea paracletum miſit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum deduceretur diſciplina, ab illo vicario Domini. Et ſubdit: Quæ eſt ergo paracleti adminiſtratio, niſi hoc, quod diſciplina dirigitur, quod ſcriptura reuelatur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur? Vbi vides doctrinæ profectum, ſcripturæ intellectum, diſciplinæ eccleſiaſticæ augmentum, poſt Chriſti prædicationem & ſpiritus ſancti miſſionem per ipſius magiſterium tradita. Deinde concludit Tertullianus magis ac magis noſtrum propoſitum confirmans: Nihil (inquit) ſine ætate eſt, omnia tempus expectant, ut dicit Eccleſiaſtes. Aſpice ipſam creaturā paulatim ad fructum promoueri, granum eſt primo, ex grano frutex oritur, ex fructu arbuſcula emititur, deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur, inde germinis tūmor & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: ſic iuſtitia primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens, de hinc per legem & prophetas promouit in infantiam, de hinc per euangelium efferbuit in iuuentutem, nunc per paracletum componitur in maturitatē. Vides aperte Eccleſiam ſanctam per ætates proficere, nec totam perfectionem in ſuis primordijs habuiſſe, ſed eam duntaxat ei cōmunicatam fuiſſe, quæ pro vnoquoq; ſtatu illi congruebat. Inclinat etiam in hanc ſententiam Nazianzenus libro quinto de ſpiritu ſancto: Vetus (inquit) Teſtamentum patrē manifeſte prędicauit, filium aūt obſcurius:

Secunda ſolutio.

Tertia ſolutio.

Ioannes

Tertull.

At no-

At nouum, cum filium clariſſime oſtenderit ſpiritus deitatem, tantũ ſubindicauit. Nunc vero ſpiritus nobiſcum & inter nos habitans, argumẽta ſui ipſius illuſtriora nobis exhibet. neq; tutum erat patris ipſius deitate nondum ſatis recepta, filij prędicationem palam ingeri, neq; diuinitate filij etiam tunc nõ recepta, auditoribus ſpiritus ſancti onus adijcere, ne veluti ciboimmodico ſtomachum redderent languidiorem, ideo hanc cauſam eſſe puto, quod diſcipulis velut per partes obtingit, nimirum eorum qui ad ſe reciperent, captui attemperabant. hęc Nazianzenus. Nec poteſt deinſufficientia argui Chriſti doctrina, quod omnia ipſe per ſe non dixerit, vel non ſemel per apoſtolos ſuos adhuc omnia declarauerit, cum ratione habita ad apoſtolorum & aliorum audientium ruditatem, & ad tẽporum qualitatem illa pręuidebat ſufficere, ſed relinquebat multa poſt reuelanda, & per apoſtolos & rectores Eccleſiarũ ſuæ Eccleſię tradenda, ad quod potiſſimum eos in Eccleſia ordinauit, ſed & ipſi apoſtoli prudentia ſpiritus ducti, non omnia ſemel, nec omnibus, nec paſſim tradebant. Petrus enim prima illa ſua concione, quam Hieroſolymis poſt ſpiritus ſancti miſſionem habuit, Chriſtũ, virum approbatum duntaxat appellat, accõmodans nẽpe ſe carnali audientium ſenſui, & Paulus ſapientiam ſe loqui non omnibus, ſed inter perfectos affirmat; itaq; pro capacitate imbuendorũ, & qualitate tẽporum magiſterium ſuũ attemperabant, contenti maiora maioribus cõmittere, & lacte et oleribus infirmos paſcere, et hoc erat ſufficienter docere: non quidem omnia ſimul et omibus tradere, et ſcripturis mandare, ſed quędam publice, quędam ſeorſum tradere, vt ſuo loco iam vidimus.

Illud vero Auguſtini in epiſtola ad Hieronymum a Luthero toties repetitum, Ego ſolis libris qui Canonici nuncupãtur, didici hunc honorem deferre etc. Nulla in re derogat Eccleſiæ veritati, quia ibi Auguſtinus non loquitur de ſacrorum librorum autoritate conferenda cũ Traditionibus eccleſiaſticis, quas ſanctus iſte Pontifex, cum alijs ſanctis patribus tantopere venerabatur, ſed confert eos ad alios humanitus cõſcriptos libros, qui facile falſa poſſunt homines docere, nam ſtatim dicit: Alios autem ita lego, vt quantauis ſanctitate doctrinaq; prępolleant, nõ ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt. quod ipſa verborum Auguſtini occaſio ſatis confirmat, ſed clarior eſt locus quã qui expoſitione egeat.

Aliæ autoritates ſanctorum, quæ aduerſus dogma hoc noſtrum Catholicum afferri poſſunt, cum tamen rariſſimæ ſint, et ab aduerſarijs valde detortæ, haud diſſimiliter ſolui poſſunt; aut enim dãnant et floccipendunt Traditiones phariſaicas et inutiles, ſiue doctrinæ Dei aduerſas, aut eos reprehendunt, qui nimium humanis inſtitutis, et æqualiter omnibus inhærentes, præcepta Dei et apoſtolorum doctrinam negligunt. cæterũ apoſtolicas Traditiones et vniuerſales, quæ pietatem et cultum Dei, et

diſcipli-

diſciplinam augent vel conſeruant, omnes vnanimiter ſancti cum tota
Eccleſia(prout demonſtrauimus)docent eſſe amplectendas, et quaſi di-
uina oracula venerandas. Prẹterea quẹ obijcere ſolent, quod Traditio-
nes ſacroſanctæ Chriſti gloriam obſcurent,conſcientiam puſillorũ one-
rent,calumniæ magis ſunt quam vera obiecta: oſtendimus enim quali-
ter eas cõmendat Eccleſia, ad ſalutem animarũ, non ad perniciem, ad
Chriſti gloriam & religionis augmentum, non vt redemptionis benefi-
cium obſcurent: quod ſi qui ſuperbiæ ſpiritu ducti in eas impingit, vel
male docendo,vel male conſcientiã formando,ſe vel alios lædit,ſibi im-
putet,redarguatur et reprẹhendatur, et ſi opus fuerit, ſeuerioribus Ec-
cleſiæ diſciplinis coerceatur. Nihil adeo bonum eſt,quo non poſſit male
vti humana malicia,vel rudis ignorãtia. Sed dicet tunc euãgelicæ liber-
tatis vindex: Si tãtum tribui debet Traditionibus, quas vocas apoſto-
licas,quid ſupereſt niſi vt cõmentis hominũ, prætextu apoſtolicarum
Traditionum,Chriſtianorũ conſcientias opprimas, & libertatem Chri-
ſtianam in tantum oneres, vt tolerabilior longe ſit dura et ſuperſtitioſa
lex Iudẹorũ,quam dulce et leue iugum Chriſti. Adde quod cum iſtæ
Traditiones ſcripturæ non ſint demãdatẹ,facile poſſunt corrũpi, & vnũ
pro alio tradi, quod ſatis periculoſum eſt. Quis enim eſt adeo Lyncẹus
vt diſcernere poſſit inter apoſtolicas & ſuppoſititias Traditiones? qua-
re vel oportet illas ſpernere,vel cũ miſera et perplexa conſcientia ſub iu-
go Chriſti viuere.

Traditiones in conſcientias opprimant.

Reſpondeo,amãti et humili, et Chriſtiano animo nihil eſſe difficile:
Charitas omnia ſuffert,omnia credit,non agit perperam,nõ quærit quæ
ſua ſunt,ſed quẹ pacis et ædificatiõis,& obedientiæ:hæc quẹrit charitas;
quæ in omnibus bene conſulit,& cunctis quæ ad pietatem ſunt,acquieſ-
cit:nulla res tã facilis eſt quin difficilis fiat,ſi inuitus facias: imo & ipſum
Chriſti iugum, alioqui amãtibus ſuauiſſimum,minime ſuſtinere inui-
tus poteris,tantum abeſt,vt feras:contra vero ſi bene animatus ſis, & hu
militer et Chriſtiane ſentias,omnis ſarcina quantumlibet grauis,fit val-
de leuis atq; portabilis. Traditio non facit legem Chriſti grauiorẽ, ſed
eam interpretãdo & pietatem iuuando leuiorem, eamque circumual-
lando tutiorem. At multæ ſunt Traditiones Eccleſiæ, fateor: ſed non
omnes ẹqualis ponderis:multæ ſunt,quæ ſi abſit contemptus et ſcanda-
lum,ſine magno crimine omitti poſſunt,et multẹ etiã quẹ paucos obli-
gant et aſtringunt ad ſui obſeruationẽ. Quod aũt ad earum corruptionẽ
attinet,ne ſis tu ſollicitus,relinque Domino et paſtoribus eius hãc curã:
nam cũ conſtet(vt iam probauimus)Chriſti et apoſtolorum doctrinã et
verũ intellectũ eius,et eorũ quẹ ad fidẽ pertinent,in Eccleſia,tanq; in re-
poſitorio fideliſſimo collocata eſſe, nemo orthodoxus dubitare debet;
Traditiones Dñi et apoſtolorũ,eodẽ ſpiritu ſancto ſpecialiter adiuuante;

illæſas

illæſas et incorruptas in Eccleſia ſeruatas fuiſſe,ſicut ſeruata fuit integritas ipſius ſcripturæ,quandoquidem ſunt Eccleſiæ tam neceſſariæ, quam ſcriptura ipſa. Porro ſi rei naturam animaduerterimus, tam facile potuit ſcriptura corrumpi,quam ipſa Traditio:nam vt autores ſunt Irenęus & Tertull. Tertullianus,corruptæ ſunt a Marcionitis omnes epiſtolę Pauli, excepta vnica ad Philemonem(cui Tertullianus ait ſuam breuitatem profuiſſe) Euſebius pariter & totum Lucæ euangelium. Euſebius etiam refert in fine lib.v. ſuæ hiſtoriæ de quibuſdam hęreticis,qui Chriſti diuinitatem negauerãt tempore Victoris Papæ,quod corrumpebant ſcripturas, ſi quando illis aduerſabantur,dicentes ſe illas emendare: quod ipſum nobis etiam opponunt,impij Sarraceni,& ſuperſtitioſi Iudęi:cũ hoc tamen & credimus, & certo ſumus perſuaſi,ſcripturas diuinas nõ ſine ſpiritus ſancti pręſidio Eccleſiæ ſuæ fuiſſe ſeruatas incorruptas, quod & ipſis oculis cernimus, & manibus palpamus,cum videamus illas per omnes Eccleſiæ ætates, continua ſucceſſione a ſanctis ſcriptoribus allegari ijſdem fere verbis, & abſq; vlla ſenſus differentia. Non ergo aliter de Traditionibus apoſtolicis ſentiendum eſt. Idipſum etiam de ijs oſtendit,omnium fere ſanctorum patrum conſenſus,omniumq; Eccleſiarum cõcordia,& inuiolabilis antiquitatis autoritas,cum cõſuetudine minime interrupta.

Baſilius Hoc enim proſpiciebat olim Baſilius,cum nouitatibus Eunomij aduerſus Traditionem glorificationis ſpiritus ſancti pulſaretur: Ego quidẽ (inquit) hanc vocem (conglorificationis) velut paternam hęreditatem conſeruo,acceptam a viro,qui longo tempore in miniſterio Dei vitam tranſegit,per quem et baptizatus ſum, & ad Eccleſiæ adminiſtrationem productus:vbi vero apud me ipſum perpẽdo, tũc quis ex veteribus illis & beatis viris vſus ſit ijs vocibus,quibus nũc contradicitur, multos reperio antiquitate ſidei autoritatem habentes,& ſcientiæ ſynceritate,non cum horum tẽporum hominibus cõparandos: inter quos numerat Irenæum,Clementem Romanum,& Dionyſium Alexandrinum,& vnius iſtorum citat teſtimoniũ. Certe qui hac regula vſus fuerit,pax Iſrael Dei erit ſuper illũ,non facile nouitatibus ſeducetur,et veritatem Traditionis ſecure tenebit. Quam D. Irenęus lib.iiij. ſine fictione cuſtoditã eſſe in Ec- Irenęus cap.67. Vincent. lib.de Eccle. cleſia dicebat. Vincentius etiam Lyrinenſis,homo pius et doctus, ante mille annos eaſdem Traditiones ſuo tempore incorruptas eſſe affirmat, cuius verba ſunt: Chriſti Eccleſia ſedula et cauta depoſitorum apud ſe dogmatũ cuſtos,nihil in his vnquam permutat,nihil imminuit,nihil addit:non amputat neceſſaria,non apponit ſuperflua,non amittit ſua, non vſurpat aliena:ſed omni induſtria hoc vnum ſtudet,vt vetera fideliter ſapienterq; accuret et poliat. hæc ille. Quis igitur illi non ſe credet? quis eã huiuſmodi iacturã paſſam fuiſſe affirmare audebit Eccleſiã,quæ ſpiritum ſanctum ſemper habet magiſtrũ, tutorẽ et aſſeruatorem? Nec ſolũ hoc dicit

dicit hic pater venerabilis,ſed & modũ fidelibus præſcribit,quo veritas recte poſſit teneri,& ſine errore ſeruari in præfato ſuo libello: In ipſa (inquit) Catholica eccleſia magnopere curãdum eſt,vt id teneamus, quod vbiq;,quod ſemper,quod ab omnibus creditũ eſt, hoc eſt em̃ vere proprieq; Catholicũ,q̃d ipſa vis nominis ratioque declarat:quę omnia vere & vniuerſaliter cõprehendit.Sequamur itaque Vniuerſitatẽ,& hanc vetam fidẽ eſſe fateamur,quã tota per orbem terraꝝ cõfitetur Eccleſia:antiquitatẽ vero,vt ab ĳs ſenſibus minime recedamus, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtũ eſt:cõſenſu itẽ, vt in ipſa vetuſtate omniũ vel pene omniũ ſacerdotum pariter & magiſtrorũ definitiones ſententiaſque ſectemur.Itaque(vt vnico verbo hęc omnia nos cõprehendamus)pro vera Traditionũ notitia poteſt eſſe recurſus ad ſanctorum patrũ ſcripta,quæ in dogmate cõſentiunt,ad generalium conciliorũ ſententiam,ad ſedes apoſtolicas,vbi docuerunt apoſtoli & eorum diſcipuli:præcipue autẽ Romanã,vt docent Irenęus et Tertullianus, et ad vniuerſales et antiquas Eccleſiæ cõſuetudines. His adminiculis facile diſcernet fidelis nouas Traditiões a veteribus:falſas,a veris: humanas et voluntarias,ab apoſtolicis.Qui autem hęc nõ poterit iũdicare, vel propter ignorantiã,vel quia aliquã videt in his diſcrepantiam, conſulat viros doctos,pios et vere eccleſiaſticos,et petat a Deo, et interim obediat ſuis prępoſitis,et ſequatur illos,quos Deus voluit in Eccleſia ſua pręeſſe. Sequendus enim eſt in dubĳs epiſcopus,vt Auguſtinus docet. Obediendum eſt præpoſitis,vt Paulus nos inſtruit.Non eſt quod tũc timeat, neq; diſcrucietur:ſalua ſunt omnia,modo non ſuperbiat, ſed humiliter acquieſcat.Hæc eſt em̃ voluntas Dei,vt audiamus illos,qui loco Chriſti pręſunt.Quod ſi ſecus fecerit,ſciat ſe a ſpiritu apoſtaſiæ duci: qui multoties pietatis & zeli religionis prætextu,animas detrudit ad tartara,ſeducens illos ab ouili:ſicut noſtra tempeſtate ſunt multi ſeducti,volẽtes ſapere plus quam oportet,& nõ ad ſobrietatẽ.Hæc ſunt Lector optime hęreticoꝝ argumẽta,ſeu potius nugamẽta pręcipua,quibus ſpõſam Chriſti denigrare,& apud vulgus traducere conanẽ,tantaſque & tã pernicioſas Tragedias in Eccleſia ſuſcitarunt,& propter quæ inconſutilẽ Chriſti tunicã ſcindunt,diſceſſionẽ ab Eccleſia faciunt,denique fideliũ omniũ ſcãdala negligũt:ridicula puerilia,nullius prorſus momenti,aut efficacię,ab intellectu ſcripturę peruerſo,ſanctorũque patrũ,paucis ac male interpretatis locis deſumpta:quę ſi cõferas cũ ĳs quę Eccleſię cauſam in hac parte defendũt,facile ſcio iudicabis illibatã veritatẽ pro Ieſu Chriſti Eccleſia ſtare,dogmataque ipſius nos hic propoſuiſſe,nõ noſtra:q̃ ſua antiquitate velut canicie quadã veneranda,honore et reuerẽtia perq̃ digna ſunt.Poſtremo nouatores iſtos vaniſſimos p̃ter vana mendacia quę illi e priuato capite docẽt,ſolidioris & verioris doctrinę aliud nihil neque tueri,neque

Quod oporteat fidelis tenere in fide id q̃d vniuerſale eſt, & vbiq; tenetur.

Auguſt. epiſt. ad Caſſula.

 promul-

promulgare cōperias,quā meras nugas:argumentis ſuis non ipſam veritatem,ſed aërem verberantes.

CORROLLARIVM

De ſymbolo, quod ſibi falſo arrogant Proteſtantes.

Falſo ſibi arrogant & perperam vſurpātq́ aduerſarij,quaſi ſuis ſectis & ſeditioſo inſtituto,proprium locū illum Eſaiæ, Verbum Domini manet in ęternum.

IAm eſt atrox Proteſtantium in veros eccleſiaſticos odium, vt vel ex leuiſſimis quibuſcq́ occaſionibus incuſandi vel calumniandi anſam paſſim arripiant. Si quid in moribus peccatur (vt hominibus cōmune eſt) eccleſiaſticæ doctrinæ ſtatim aſſcribunt,Eccleſiæ abuſus cum doctrina miſcentes, quo facilius auditoribus ſuis,inter dogmata & mores diſtinguere neſciētibus,imponāt, et eccleſiaſticam doctrinā inuiſam reddant.Si quid vero erroris inter ſimplices ex rudi quadam ignorantia, aut ſuperſtitione ſubortū viderint, ſcriptoribus catholicis hoc illico tribuunt,irrident,in cachinnos ſoluuntur,publice conclamant,e ſuggeſto boant:Sic docent Papiſtæ,ſic illi qui ſe Catholicos nuncupant,animas perdunt,quo magis a ſe deceptos a vera doctrina abſterreant,& non ſolum libros veritatis, qui illis contradicunt,non legant,verum execrentur,atque his tandem peſſulis oſtium miſeræ,rudi & indoctæ plebeculæ occludunt, ne penetret ad adita percipiendæ veritatis.Deinde cum videant ſanctos patres & nos,in probatione dogmatum catholicorum,non ſolum diuina ſcriptura, ſed & Traditione apoſtolica vti, ipſi contra ſcripturam tantum ſe dicant recipere. Ecce occaſionem quam arripiunt vſurpandi,tanquam proprium ſibi vocalis cuiuſpiam ſymboli,Verbum Domini manet in æternum,nos quaſi ex obliquo inurentes,quod verbum Domini,hoc eſt,diuinam doctrinā non recipiamus,eo quod ſanctas Traditiones ſimul cum ſcriptura defendimus:hoc enim vno culpamur maxime ab eis: calumniæ certe abominabiles,& ab ipſo patre mendacij ad perditionem fideliū adinuentæ.

Adoramus & deoſculamur verbū Domini,& doctrinam cœleſtem, per quam mundi huius conditor & redemptor ſanctiſſimæ ſuæ voluntatis arcanum,miſeris mortalibus aperire dignatus eſt. Per quod tremendæ maieſtatis legati,patriarchæ,prophetæ,apoſtoli, mandata nobis de rebus ſublimibus expoſuere,vt de ſuperni numinis cultu,decq́ ipſius et noſtra cognitione,de illius fauore cōparando, offenſiſcq́ declinandis, & amicitia promerenda,ac tandem de ijs quibus vitæ beatæ ac Chriſtianæ ſumma continetur. Maneat(inquit)in æternum & vltra,ſi citra vel vltra ęternitatē ſignari poteſt duratio. Atcq́ vtinā tā regnet in cordibus noſtris,quā frequēs omibus in vſo eſt et frōtiſpicijs librorū,& quantū in lingua

lingua voluitur, tantũ circa opera mandatorũ Dei in affectus omniũ ope retur, minus certe valerent in malo aduerſarij, minus in ſcripturarũ contemptũ, de quarũ cognitione ſe iactant tã impie ſentientes, nec vias peſſimas inueniſſent, quibus ſacram religionem a Chriſto plantatã, et ſanguine & ſudoribus ſanctorum conſtructã, ſimpliciterq́ & fideliter introductam diſſoluerent, venantes vulgi plauſus apud ſimpliciũ popularium & muliercularum conuenticula, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Interim tamen vt ad noſtri corollarij veritatẽ veniamus, reſpondeant mihi vani iſti, quid per verbum Dñi quod ſibi tam rotũdo ore arrogant, intelligunt? Nam ſi verbum Dei appellant, quicquid ad Eccleſię vtilitatem a Deo reuelatũ eſt, cum ad oculum oſtenderimus multas ſacroſanctas Traditiones, in quibus bona pars fidei conſiſtit ad Dei quoq́ doctrinam pertinere, quãs iſti reijciunt, quis dicit hos habere verbũ Dei integrum & illibatum, qui vix recipiunt dimidiatũ? Sin autem verbum Dei vocant, quod a Deo reuelatum & ſcripturis demandatũ duntaxat eſt, ne id quidem retinent: quippe qui id quod ipſum ſcriptum verbũ recipiendum iubet, tam non recipiunt, vt faſtuo ſe & impie interim ſpernãt. Eſt autem clarum & immobile in Paulinis epiſtolis ſcriptum verbum: 2.Theſſ.2
Tenete Traditiones quas accepiſtis, ſiue per epiſtolam, ſiue per ſermonẽ. Sunt alij multi loci ſcripti, qui hoc idem, vt vidimus, pręcipiunt: & ab iſtis impoſtoribus non audiuntur. Adde quod ſcriptum verbum Domini minime tenẽt qui intellectum eius, prout tota Eccleſia, et omnes ſancti tradunt, non recipiunt, ſed potius pro ſua libidine praue corrumpunt. Diuina enim veritas (vt ſcite dixit Hieronymus) non in literis & apicibus mortuis, ſed in ſenſu ſpiritus viuificante conſiſtit, quem retinere neq́ volunt neq́ poſſunt hæretici: id quod nos ante monſtrauimus, et ſancti doctores omnes de ſchiſmaticis, et coitiones aduerſus Eccleſiam facientibus. Vbi eſt igitur falſa gloriatio ipſorum? vbi eſt verbum quod ſe tam plenis buccis iactant habere? certe niſi de ſolis apicibus & literis veluti Iudæi aut Machametici glorientur, vel ſenſum ſcripturæ a Pygardis, Huſſitis, Vualdenſibus, Luthero, & alijs recens natis apoſtatis adinuentum, verbum Domini vocent, neſcio quomodo, vel ſuperficietenus quadrare in eos poſſit, tam impie vſurpatum, et inepte petitum ſymbolũ. Hunc enim ſenſum ſcimus eos ſolos tenere, a magiſterio Eccleſiæ & ſpiritus ſancti valde alienũ & peregrinũ, neq́ de medio fonte fluentem. Pro hoc pugnant atq́ repugnant, turbas in Eccleſia mouent, et omnia ſuſq́ deq́ confundunt. Deniq́ (ſi dijs placet) eos qui huius verbi vel remotiſſima occaſione, ac neutiquam vltronei mortem oppetunt, martyrij nomen elatura condecorant Proteſtãtium reuerendiſſimi, imo impudentiſſimi: quaſi vero martyr poſſit eſſe, qui pro CHRISTO vocetenus prædicato, contra Chriſtum & Eccleſiam re ipſa pugnat,

Hieron. (margin, beside "Diuina enim veritas")

aut verum martyrem non cauſa, ſed pœna poſſit efficere. Qui enim extra caſtra DEI poſitus, prætextu religionis diſcrimen mortis ſubit, magis habet pœnam perfidiæ ſuæ, quam veri martyrij coronam. Non igitur habent de quo glorientur apud pios & ſapientes: ſed ſimplicibus hominibus hypocriſi quadã diabolica impoſturam facere conantur, hoc encomio ſibi falſo aſſcripto. Nam quod frequenter ſcripturam allegant, & ad ipſam magna fiducia prouocent, nemo ſanæ mentis debeat mirari. Familiare enim eſt (vt ſæpe diximus) & ſemper fuit omnibus hæreticis ſcripturam dextræ & ſiniſtræ intellectam allegare: qui cum ex priuato & proprio ſenſu loquantur, non poſſunt niſi mendacia diſſeminare, maiuſque ac multo ſeuerius iudicium damnationis manet eos, quia ſcripturam diuinam paſſim tractantes, & pro arbitratu ſuo intelligentes, ſpiritui ſancto reſiſtunt, nolentes intelligere vt bene agant, id eſt, vt pacem et vtilitatem Eccleſiæ teneant: quin potius ventri ac gloriæ ſeruientes, glorioſum corpus CHRISTI ſcindunt, & quantum in ipſis eſt, interficiunt, pacem loquentes, bellum operantes, colantes culices, deglutientes camelos. Quantumuis enim ſe iactent de morum diſciplina et doctrinæ puritate, quam ſibi immerito tribuunt, longe tamen magis nocet ſchiſmatis et hæreſeos pernicies, quibus miſere vexant Eccleſiam, quam morum reformatio prodeſſe poſſit. Nam et altare contra altare extra Eccleſiam Saluatoris cum Ieroboã erexerũt, et variarum doctrinarꝫ thuribula, alieno et diabolico igne, vt Nabad et Abiud, in magnũ animarum detrimentum accenderunt. Atque hoc de ſymbolo Proteſtantium dixiſſe ſufficiat. Agite ergo vos o redempti a Domino, filij ſanctæ Eccleſiæ, qui certas regulas apoſtolicas nouiſtis, et viam veritatis per gratiam DEI intra eius gremium tenetis, ne retrahamini vanarum vocum nouitatibus, a vera et apoſtolica Eccleſia, cuius lacte enutriti eſtis. Ne ſinatis vos circumferri omni vento doctrinæ, ſed manete in ea, extra quam nulli homini ſalus poteſt contingere: adorantes Dominum, non in angulis et conuenticulis prophanorum et nouorũ hominum, qui ſchiſmata amant, et diſſenſiones nutriunt, ſed in atrio ſancto eius, id eſt, in medio eccleſiaſtici conuentus. Videte quomodo caute ambuletis, quoniam dies mali ſunt. Præſens Eccleſia nihil noui nobis tradit aut defendit, ſed doctrinam apoſtolicam de medio fonte fluentẽ: illam inquã prædicationẽ veritatis, quã tota Eccleſia per vniuerſum mundũ diſperſa, a ſuis primordijs tenuit, tenet atque tenebit: q̃ quaſi vnã domũ inhabitans, et quaſi vnũ os haberet, cõſonanter, a Chriſto et apoſtolis edocta, prædicauit: vt mõſtrauimus. Nam quãuis in mũdo linguæ diuerſæ fuerint, vnus tamẽ ſpiritus et vna Traditio ſempꝫ fuit, et huc vſq; durat: neque maiores et primi illi patres, apoſtoli, martyres, ſanctiſſimi doctores, aliter prædicarunt, quam nos credimus et docemus. In hac fide

ſalui

ſalui facti ſunt quotquot Deo placuerunt ſancti & viri admirabiles a Chriſto vſq; nunc. Relinquentes ergo viarum anfractus, tenete viam rectam & antiquam. Eſt enim matris noſtræ doctrina & Traditio eius, via regia qua ad ſublime itur, qua præruptorum ſcopulorum præcipitia & alia innumera fere pericula deuitantur: nouæ autem iſtæ profeſſiones, erratici tramites ſunt & tortuoſi, qui ad ipſam ducūt perditionem: adinuentores vero eorum carnales & ceruicoſi homines, cœci & male animati, qui maxima iactant & minima ignorant, fontes ſine aqua, nebulæ turbinibus exagitatæ, in ſuperbia vanitatem loquentes, et in deſiderijs carnis paruulos pellicientes, libertatem promittentes, cum ipſi ſint ſerui corruptionis, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Nec moueat vos fratres dilectiſſimi, ſi apud quoſdam in nouiſſimis temporibus, aut lubrica fides nutat, aut Dei timor apud corruptos quoſdam homines vacillat, aut pacifica concordia non perſeuerat: prænunciata ſunt hæc futura in ſeculi fine, et Domini voce, atq; apoſtolorū conteſtatione prædicta ſunt, deficiente iam mundo et appropinquante Antichriſto, bona quæq; deficere, mala vero et aduerſa crebeſcere. Non deeſt in Eccleſia portio Domini, quæ fidei robur teneat, et charitatem in moribus ſeruet, neceſſe tamen eſt vt ſcandala veniant, hæreſes ſuboriātur, ſchiſmata pullulent, vt qui probati ſint, manifeſti fiant: nemini nocent aliena crimina, niſi eis conſentiat aut cōniueat. Non eſt quod ob hæc relinquamus locū ſtationis noſtræ, aut prętergrediamur terminos, quos poſuerunt patres noſtri, viri apoſtolici: ne ſapiatis plus quam oportet, ſed ſapite ad ſobrietatem. Vigilate itaq; et ſtate in fide eccleſiæ Vniuerſalis, firmiter agite et confortamini, et omnia veſtra in charitate fiant. Pax Dei quæ ſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, fidem et intelligentias veſtras. Valete fratres dilectiſſimi, memores noſtri, et laborem hunc quem pro Eccleſiæ vtilitate ſuſcepimus, deſiderijs noſtris et rei dignitatem minime forte reſpondentem, boni conſulite.

Digreſſio ad principes, prælatos & magiſtratus.

HIC VOS EGO APPELLO o Chriſtiani principes, prælati Eccleſiarum et vrbium, quæ Chriſto nomen dederunt, Rectores, et publici conſiliarij, apud quorũ multos in tantum elanguit ſacræ religionis zelus, inualuit autem carnis prudentia, vt pluris faciatis veſtra iſthæc humana eademq; variabilia inſtituta et priuata cõmoda, aut vnius ciuitatis politicam conſuetudinem, quam totius Eccleſiæ et ſponſæ Chriſti inſtitutas diuinitus Traditiones. Quod ſi vel tantillum lædatur veſtra tẽporalis poteſtas, lex, conſuetudo, aut particularis autoritas, bone Deus, quanta mox indignatio, quanta ira et inimicitia, (tange montes & fumigabunt) quam ægre, q̃ acerbe id fertis, q̃ celeriter delinquentem inquiritis, & quęſtionibus varijsq; torturis, ſi delictum negauerit ab eo extorquetis. Preſto adſunt Conſiliarij, qui dicant crimen id vergere in totius Reipublicæ perniciẽ, magiſtratũ lędi, ciuilem autoritatem & poteſtatẽ ſubuerti: parata ſunt ad vindictã & ſupplicia omnia. Fiſcalis promotor, iudex, carceres, lictor, notarius, tęſtes. Quid non? Si fugit reus, magnis clamoribus citatur: ſi non cõparet, abſens dãnatur: miſericordia eſt ſi perpetuo exulet. Si autẽ adeſt, aut grauiter plectitur, aut e medio tollitur, aut ſoluere cogitur vſq; ad nouiſſimum quadrantẽ: pręſertim ſi aulicoꝝ fauoribus, atq; id genus alijs, quę oculos iudicũ obcæcare ſolent, ſit deſtitutus. Nec id repręhendo, ſed laudo, dũmodo veritas concomitetur iudiciũ, & miſericordia Chriſtiana rigorẽ legis nõnihil attemperet. Hoc vero (ignoſcite mihi) non poſſum nulla nec ratione nec modo concoquere, quod in iſthæc veſtra temporalia & caduca, tam acute cernatis, tam duriter animaduertatis atq; adeo ſitis ſolliciti: in eos vero qui politiam diuinitus inſtitutã interturbant, apoſtolicã & diuinam autoritatem lædunt, & in ſacroſanctas Traditiones, quæ per Chriſtum & apoſtolos Eccleſiæ innotuerunt, temere & contemptim irrumpunt, priuatos homines atq; transfugas, tam diſſimulanter & negligenter veſter iſte eximitur poteſtatis gladius, quaſi prouincia hæc ad vos non pertineret. At quid dico, irrumpunt? imo ſcriptis publicis eas impugnant, e ſuggeſtu in veſtris ditionibus, in veſtris domibus, in faciem denique veſtram impune docent. Et quod multo magis dolendum eſt,

quidã

quidã ex vobis falſos hos prophetas ad ſe vocant. Et dum alij annuunt, alij fauent, alij vero cõniuent, huiuſmodi perturbatoribus nunquã deſunt impij patroni. In quorum delictis cognoſcendis, ſurdus eſt iudex, mancus notarius, accuſator elinguis, caret ſecuri lictor, vigilantia carceris cuſtos, & ſuper hæc omnia non deſunt ex vobis, qui hanc impiam diſſimulationem, ſi DEO placet, vocent. Aiunt non conuenire publicis ſtatibus obedientiam ſibi debitam periclitati, nondũ eſſe conuictos, audiri debere prius, ac maturo iudicio quod prædicant examinari, ſit ne pro eis ratio & ſcriptura nec ne, altiora & difficiliora eſſe hęc, quam vt ad principes temporales huiuſcemodi rerum iudicium ſpectet. Vtinam excuſationes iſtæ tales ſint, quibus poſſint in diſtricto Dei iudicio maiores populorum excuſati. Rectores enim vrbium & regnorum, qui cauſam Dei priuatis cõmodis ſuis poſtponũt, neſcio quomodo in iudicio Dei ſe defendent, aut qua fronte ad ſummũ illud tribunal cõparebunt, a quo nulla vſpiam erit prouocatio. Verum dic mihi quiſquis es, qui vel autoritate, vel conſilio gubernandæ cuiuſuis Reipublicæ curam ſuſcepiſti, lubet enim mihi tecũ ſuper hac re ſermonem facere. Si quis fortaſſe priuatus in legem vel conſuetudinẽ vetuſtiſſimã ſapienter a maioribus introductam, & ab omnibus receptã, in rebus grauioribus, quæ ad ſtatum Reipublicæ aut ditionis tuæ pertinẽt, publice et per contemptum peccaret, ſineres ne illũ quęſo impune abire, aut crimẽ diſſimulares? non credo. Quid autẽ ſi idem ille non ſolum in legem tuã iuſtam, ac de re grauiſſima ſancientem, arroganter et faſtuoſe peccaret, ſed ipſam impiam & ſacrilegam diceret, idq; publicitus facto, dicto aut ſcripto teſtatus, quin & populum ipſum, maniſeſtum in contemptum legis concitaret. Quid tu faceres o bone? imo quid non faceres, muneri tuo cupiens ſatisfieri, vt ſeditioſum & peſtilentem hominem cõpeſceres, & leges politicas a contumelia & iniuria vindicares? Scio merito excandeſceres, mille cruces parares, mille faſces, mille ſecures, mille equuleos, mille carnifices, ne homo facinoroſus ille id ferret impune. Neque magnopere morareris (ſi ſaperes) vt de contempta & violata lege cauſam diceret homo priuatus ac ſeditioſus, ſed tanti facinoris continuo damnatum, etiam indicta cauſa, confeſtim raperes ad paratum ſupplicium euerſurus, alioqui funditus Reipublicæ tuæ ſtatum, & ſanctarum legum maieſtatem, perditorum hominum libidini expoſiturus. Quid enim obſecro supereſſet iam, niſi vt cuicunque lubitum eſſet, eidem et liceret contra communem Reipublicæ tranquillitatem, ſtatum et ordinem libidinoſe inſoleſcere, cum poſt patratum quodlibet etiam atrociſſimum facinus, poſt violatas leges, liberum quoque eſſet ei impune aduerſus eaſdem debacchari, & tanquã ocioſas, iniquas, impias, promiſcue multitudini illudendas obijcere?

Ad hunc ferme modū ſe habet ſi recte æſtimas, cauſa eorū qui religionē tā tumultuoſe perturbāt,longaq́ et vix iā tolerabilis cū eis diſſimulatio.

Habet Eccleſia Dei per mundum vniuerſum diſperſa quæ vere Chriſti non ſolum politia ſed ſponſa eſt, præter ſcripturam & ſacramenta, Traditiones ſacroſanctas,ritus venerandos, conſuetudines laudabiles, ab ipſis primordijs per Chriſtū Dñm & apoſtolos, alioſq́ patres ipſorū ſucceſſores introductas, atq́ ab omnibus vniuerſali conſenſu receptas, quibus ſalubriter regitur,prudenter ordinatur, recte in viam regni cœleſtis dirigitur,quas falſi iſti apoſtoli diabolico furore perciti, impudentiſſime non ſine magno totius Eccleſiæ ſcādalo inuaſerūt: quod vt omibus cōpertiſſimum eſt,et in confeſſo,ita nec ipſi eunt inficias.Proinde leuius aliquanto eſſet ac tolerabilius,ſi poſt admiſſum flagitium ingenue ſeſe deliquiſſe confeſſi,ſpecimen aliquod pręberent reſipiſcentiæ & pœnitudinis,a qua re tam procul abſunt, vt magis ac magis in apoſtolicas leges,& ſacroſancta Eccleſiæ ſtatuta debacchantes, non vereantur ea conuitioſiſſimis dictis proſcindere,dū impia modo ac vana q̃dam deliramēta,modo fictitia hominū cōmenta vocāt et inſtituta papiſtica,quęcunq́ p magiſteriū apoſtolicum in Eccleſia inducta ſunt & cōſtabilita.

Quæ igitur ratio aut æquitas eſt, vt ſuper pietate vel impietate eorū, quæ obſeruari priuatis hominibus neceſſum eſt,nouatores iſti tanquā in cauſa iuridica audiantur,ac non potius propter tam inauditā & nefariā licentiā,violataq́ ſacroſancta Dei inſtituta,& Eccleſiæ ordinē labefactatum,in ipſos duriſſime animaduertatur? An non vides ſi hæc diſſimulas cum vindicare potes, o rector Chriſtiane, aut quiſquis es, qui ad Reipublicę alicuius gubernaculū es conſtitutus, viam ſterni: non dico qua Traditiones,ſed vniuerſa Chriſtiana religio ruat in interitū,ac pene ſubuertatur? Quem te eſſe autumas,qui delicta grauiſſima in diuinas et apoſtolicas leges a tota Eccleſia receptas,nec a tuo pendentes arbitrio, poſſe te vel remittere vel diſſimulare,& ad examē et ſcrutiniū legū ipſarum,quarum tu tantū executor eſſe debes & adminiſtrator, procacitatem flagitioſorum hominū admittere? In qua tandem poteſtate hæc facis? quo iure? imo qua non iniuria huiuſmodi diſſimulas? Quid enim aliud agis cum iſtud agis,quam quod ſuperiorem apoſtolicis inſtitutis te ipſum facias,qui nō vindex eorū et executor vt debebas,ſed arbiter,pēſiculator et moderator cupis videri? Adde quod eadē ratione qua te excuſas ne hos cōpeſcas, eadem quoq́ te condemnas,in eo quod diſſimulas, cū vindicare poſſis. Si enim iudex non es cauſæ quæ in controuerſiā vertit,multo minori ratione moderatoris aut arbitri tibi partes vſurpas,vt diuinas et apoſtolicas leges,quibus tu ſubiectus es,impune & diſſimulanter lædi permittas. Dicis eas tanquā impia hominū cōmenta & terriculamenta ab illis paſſim contemni & ignominioſe explodi,quid ad te? pecu-

te? Peculiare hoc eſt flagitioſis omnibus contra legem et earum vindices murmurare, et facinora ſua, quoquo modo poſſint, etiam cũ ſanctarũ legum iniuria, vel extenuare vel palliare. Tu habes leges et conſuetudines apoſtolicas vniuerſali Eccleſiæ conſenſu firmatas, quæ ſtant pro te. Eccleſia eſt in poſſeſſione ſua, non a biduo aut triduo, ſed a mille et amplius annis, permitti non poteſt vt iuribus ſuis per priuatos conatus defraudetur. Accingere tandem, ne cunctanter agito, interim dum tibi alia via nulla per eandem Eccleſiam cõmonſtratur, tuarum partium eſt, decreta et inſtituta apoſtolica a temerariorum iniuria defendere: non enim fruſtra et ſine cauſa gladium portas, ſed ad vindictam malorum, laudem vero bonorum. At iſti (inquis) oſtenſuros ſe promittunt contra diuinam ſcripturam hæc inſtituta eſſe. Verba vana ſunt, & priuatorum hominum fabulæ, qui prius in ipſas leges grauiter deliquerunt quam hæc opponerent, & vt facilius legum iudicium & rigorem euadãt, huiuſmodi fingunt & falſo cõminiſcuntur. Iterum dico, nec ſæpius iterare pigebit, nihil pertinere ad te huius cauſæ cognitionem, nec ob huiuſmodi nebulonum calumnias iudicium & executionem debere ſuſpendi. Hoc tantum ad te pertinet, ſcilicet in eccleſiaſtica inſtituta peccantes punire, & quamuis res in ambiguo verſaretur, pro legis iuſtitia & æquitate præſumere, alioqui in quouis negocio hærebis, nec facinoroſos iuſto ſupplicio vnquam caſtigabis. Non autem te moueat quod hæc humana inſtituta eſſe dicant, cum nullam probationem euidentem ad hoc afferant, & tota Eccleſia cum ſanctis omnibus eis repugnet, vt commonſtrauimus. Tua enim nec refert, nec tui iuris eſt ſuper hac re ſententiam dicere: tamen vt hoc detur, ab hominibus videlicet, non a DEO hæc fuiſſe tradita, quid tum poſtea? An ideo non debent magna reuerentia tum excipi, tum obaudiri? Num permitti debet inconſultis Eccleſiæ præſidentibus, ac primarijs patribus repugnantibus, per priuatos homines conuelli? Hoc certe vel permittere, vel diſſimulare, non ſolum eſt in autorem huius ſacroſanctæ politiæ CHRISTVM Dominum peccare, qui hoſce ipſos tanquam legitimos legatos iuſſit reuerenter audiri, ſed in rationem ipſam & vniuerſam naturam: DEVS tamen eſt in cœlo, qui quotquot honorem ſuum ex corde requirunt, immenſis afficit honoribus: qui vero cauſam ſuam negligunt, perpetuo reddit ignobiles. Itaque hic vos admonitos velim, principes et iudices terræ, quotquot iſta negligitis, quod niſi præteritæ negligentiæ pœnitentiam egeritis, & inſtituta veſtra in melius mutaueritis, ira DEI manebit ſuper vos & ſuper filios veſtros ac dominia veſtra. Neque hoc dico vt mihi placeant acerbiora remedia, quando leuioribus huiuſmodi poſſunt curari contagia. Sed quia blandæ diſſimulationes, errores maximos,

& here-

& hæreſes longe lateq; in Eccleſia ſemper propagauerunt,puſillos multos ſcandalo perdiderunt,& vniuerſalem Eccleſiæ ſtatū cum graui animarum diſpendio turbauerunt. Error enim cui non ex animo reſiſtitur, approbari videtur a ſimplicibus. Iam vero quando aliud remedium ad conſeruandā religionē non eſt,et tam diu ſpectatū eſt,vt ſuſtinentia in magnam ceſſerit animarū perniciē,arceantur,oro vos per ſanguinē Ieſu Chriſti,ab Eccleſiæ ouilibus,qui nos cōturbant,abigantur pſeudo apoſtoli,exulent e veſtris dominijs falſi euangeliſtæ,qui ouina pelle ſuperinduti,intus tamen lupi rapaciſſimi,in miſeras & ſimplices animas crudeliſſime ſæuiunt. Puniantur et ij qui in re tā non æqua iniquis patrocinantur,duriſſima ſi opus fuerit animaduerſiōe, alioqui Reſpublica Dei ſemper manebit infecta,& manifeſtæ perditiōi expoſita. Ac proinde nō effugietis vos terribile iudicium Dei,iramq; eius in vos & dominia veſtra prouocabitis. Nam reliqua popularis multitudo male decepta eſt, vnde veniā meretur: neſcit eñ quid credat diuerſitate ſectarꝫ hinc inde tanq; procellis agitata. Quamobrem ſubleuanda eſt miſera & infœlix,melioribuſq; pręceptis,maiorumq; ſuorum viuis virtutū exemplis imbuēda. Intelligite(obteſtor vos o boni)ſtudio & diligentia principū, religionē maxime promoueri,vos eñ eſtis Eccleſiæ nutricij,iuxta diuinum Eſaiā, veritatis tutores,religionis protectores,quibus gladius ad vindictā malorꝫ a Deo datus eſt,cuius exercitium in expurgatione Eccleſiæ multū ſolet prodeſſe. Si mihi nō creditis,credite Auguſtino, q in epiſtola quadam dicit,plebē ſuam metu & terrore principū ab erroribus Donatiſtarum ad rectam fidem fuiſſe conuerſam. Hoc eſt præcipuum munus veſtrum,qui locum Dei inter homines tenetis,vt pro religione ſitis ſolliciti,vt quod ſuaſu verbi euangelici non fit, fiat ſaltē timore & metu publicæ autoritatis. Audite non me,ſed Iſidorum ſanctiſſimum, idē hoc vtile & neceſſariū approbantē,lib. iij. de ſummo bono: Intra Eccleſiam (inquit)poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi vt quod non præualet ſacerdos efficere per doctrinā,poteſtas hoc impleat per diſciplinæ terrorē, ſæpe per regnum terrenū proficit,vt qui intra Eccleſia poſiti, contra fidē & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore principum conterantur, ipſamq; diſciplinam quam Eccleſiæ humilitas multoties exercere nō præualet, ceruicibus ſuperborꝫ poteſtas principalis imponat,et vt venerationē mereatur virtute pietatis. Cognoſcant principes ſeculi Deo debere rationē reddere propter Eccleſiā,quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt,nā ſiue augeatur pax et diſciplina Eccleſię per fideles principes,ſiue ſoluatur,ille ab eis rationē exigit,qui eorꝫ poteſtati ſuā Eccleſiā credit. hęc Iſidorus. Non deerit fortaſſe q tacita me reprehenſione coarguat,quod homo Chriſtianus atq; eccleſiaſticus,principes de negligentia animaduerſionis in perturbatores Eccleſię cōmoueam,et ad gladiū poteſtatis publicę eximendū

Epiſtola ad Vincentium Donatiſtam.

Iſidorus

inuitare

inuitare videar. Nõ ſum certe hoc ingenio natus, vt magis mihi placeat ſeueritas ꝗ̃ miſericordia: perplacet mihi magnoper in delinquẽtes clemẽtia, quando in Eccleſiæ perniciẽ non cedit (maxime ſi eorꝫ qui delinquunt reſipiſcentia, miſericordiã promereatur) ſed hęreticorum rebelliũ petulãtiam, & quę inde naſcitur perniciem, ferre ſine magno dolore nõ poſſum. Amo certe eos qui in Eccleſia turbas mouent, nam quales quales ſunt, proximi ſunt: odi autem eorꝫ peruicaciã, & auſus temerarios atq; ſacrilegos. Cupio eos quidẽ viuere, & ad meliorem mentẽ conuerti, ſed doleo quod vita et conuerſatio eorꝫ, cedat in tam lamentabile filiorꝫ Eccleſiæ detrimentũ, idq; per principũ negligentiam aut cõniuentiã, et noſtrũ malum exemplũ: iuſta, Chriſtiana et recta poteſtas, neceſſe eſt vt moleſta ſit malis, quamuis non deceat eã illis eſſe inimicã: nam et phrenetici nolunt ligari, nec lœthargici excitari, tamen miſericorditer agit, qui illos ligat, et excitat iſtos. Pro cauſa Dei ſęuire non crudelitas, ſed pietas eſt. Magis rei ſunt qui animas fratrum quã qui corpora occidunt, & vitam hanc temporalem & momentaneã eripiunt. Porro cũ nemo ſuccenſeat ei qui ſicarios, homicidas, adulteros, publica poteſtate puniendos eſſe ſuadet, quãobrem non admittendus eſt, qui magiſtratus & leges conuertit ad ſumendũ de ſceleratis his, qui in Eccleſia Dei nouas excitarunt Tragedias, vindictã, pręſertim cũ hoc ipſum Deus in lege ſua voluerit. Deutero. eñ xiij. falſos prophetas aut fictores ſomniorꝫ interfici iubet, quia auertunt homines a Deo. Illi autem plane auertũt a Deo, qui in damnatas hęreſes & errores, cõtra ſpiritus ſancti magiſteriũ, trahunt homines extra Chriſti ouile. Et rurſus cap. xviij. Prophetam (inquit) qui arrogãtia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non pręcepi illi, et diceret, aũt ex nomine aliorꝫ deorũ, interficietur. Legimus Helię Phinees zelum a Deo fuiſſe laudatũ, eoſq; non parua retributione fuiſſe ornatos. In nouo Teſtamento ſeueritatem Petri in Ananiã et Saphirã legimus a Deo approbatã, et rigorẽ Pauli in Elimã magum, quem pręardentiſſimo honoris Dei zelo perpetua cœcitate dãnauit, nemo Catholicorum auſus eſt repręhendere, eo quod meritas ſcelerum ſuorꝫ pœnas improbiſſimi impoſtores luerunt. Hoc enim natura exigit, hoc ratio poſtulat, & eccleſiaſticę leges præcipiunt, morbidas oues, quę alias ſua contagione inficiunt, a caulis repelli, & immedicabilia mẽbra, vt reliquę corporis partes puræ ſeruentur & integræ, ferro, quando aliud remedium non datur, debere abſcindi.

Hieron. | Deut. 13 | Deut. 18 | Actuũ 5 | Actuũ 13

Omnia ſub cenſura Eccleſiæ Viſibilis, Vniuerſalis & Apoſtolicæ, quæ Cathedræ Petri adhæret, ſunto.

τέλος.

σὺν θεῷ

5-2